Library of Princeton
JUL 10 1888
Theological Seminary

BS2355
.P62

VERISIMILIA.

VERISIMILIA.

LACERAM CONDITIONEM

NOVI TESTAMENTI

EXEMPLIS ILLUSTRARUNT ET AB ORIGINE REPETIERUNT

A. PIERSON ET S. A. NABER.

Ὅμοιόν τι μοι δοκοῦσι πεπονθέναι οἱ πολλοὶ τῶν ἐξηγητῶν — τῷ νοσοῦντι μὲν ὑδερικῶς ἀνθρώπῳ, παρωνυχίαν δὲ αὐτοῦ θεραπεῦσαι Φιλότιμον τὸν ἰατρὸν ἀξιοῦντι. GALENUS.

AMSTELODAMI,
APUD P. N. VAN KAMPEN & FIL.

HAGAE COMITIS,
APUD MARTINUM NIJHOFF.

MDCCCLXXXVI.

CONSPECTUS OPERIS.

Pag.

PRAEFATIO . . . . . 1.

CAPUT I. De Epistula I ad Thessalonicenses . . . . . 3.

CAPUT II. De Epistula II ad Thessalonicenses . . . . . 21.

CAPUT III. De Epistula ad Galatas . . . . . 26.

CAPUT IV. De Epistula I ad Corinthios . . . . . 50.

§ 1. Tractantur Iudaica fragmenta . . . . . 50.

2. Tractantur quaestio de Glossolalia et Cap. 13. . 59.

3. Tractatur quaestio de Mulieribus . . . . . 75.

4. Tractatur quaestio de Nuptiis . . . . . 76.

5. Tractatur quaestio περὶ τῶν εἰδωλοθύτων . . . . 79.

6. Tractatur quaestio de S. Coena . . . . . 82.

7. De Eschatologia . . . . . 91.

8. De Capite 16. . . . . 97.

CAPUT V. De Epistula II ad Corinthios . . . . . 99.

§ 1. De fragmentis quae intelligi nequeunt . . . . 99.

2. Quid scriptor sentiat de Ecclesia sua. . . . . 104.

3. Quaeritur de fragmentorum primitiva forma . . 117.

4. De compilatoris aetate . . . . . 120.

CAPUT VI. De Epistula ad Romanos . . . . . 123.

§ 1. Tractatur I, 18 sqq. . . . . 124.

2. Tractatur II. . . . . 126.

3. Tractatur III . . . . . 129.

4. Tractatur IV . . . . . 131.

5. Tractatur V . . . . . 135.

6. Tractatur VI . . . . . 139.

7. Tractatur VII . . . . . 143.

8. Tractatur VIII . . . . . 146.

9. Tractatur IX . . . . . 153.

10. Tractatur X . . . . . 161.

11. Tractatur XI . . . . . 163.

Pag.
§ 12. Tractatur XII. . . . . 166.
13. Tractatur XIII . . . . . 169.
14. Tractatur XIV . . . . . 170.
15. Tractatur XV, 1—21 . . . . . 175.
16. Tractatur I, 1—17 . . . . . 176.
17. Tractatur XV, 22—33. . . . . 178.
18. Tractatur XVI . . . . . 178.
Caput VII. De Pauli ingenio in Actis Apostolorum . . . . . 180.
Caput VIII. Tractantur Capita selecta ex quarto Evangelio. . . 195.
§ 1. Componitur Caput III cum Capp. I et II. . . 195.
2. Tractatur IV . . . . . 205.
3. De locis retractatis ad normam Capp. III et IV. 207.
4. Tractatur XIII . . . . . 209.
5. Quid in quarto Evangelio ex Graeco fonte fluxerit. 218.
Caput IX. Veterum Christianorum de perfecto homine opiniones. 227.
§ 1. Χριςὸς ὁ κρούων vel ὁ ἐρχόμενος . . . . . 228.
2. Χριςὸς ὁ θεριςής . . . . . 237.
3. Christus vannans . . . . . 240.
4. Χριςὸς ὁ σωτήρ . . . . . 247.
5. Χριςὸς τὸ πνεῦμα . . . . . 251.
6. Χριςὸς πλήρης χάριτος . . . . . 256.
Appendix I. . . . . 262.
Appendix II. . . . . 280.

PRAEFATIO.

Quantumvis magni faciamus, quae Novi Testamenti interpretibus debemus, nihilominus audacter contendimus multa inesse, cum in reliquis libris tum in iis Epistulis, quae Pauli Apostoli nomine circumferuntur, quae atra nocte premantur. Sacrum Volumen, quod legimus et relegimus propter eximiam praestantiam rerum, quae in eo traduntur, numquam tamen lectori afferre poterit meram animi voluptatem sine doloris alicuius admixtione. Quam enim multa identidem offendimus obscura ac plane δυσνόητα! Tantum non utraque pagina oboritur quaestio, qui fieri potuerit ut eadem scripta divina pulcritudine nos alliciant simulque tam sint perplexa, ut difficultates vix superabiles esse videantur iis machinis, quas adhibere solemus ad recludendam intelligentiam eorum, quae boni scriptores memoriae prodiderunt. Neque arbitramur nos longius efferri, quum contendamus, etiamsi omnia interpretationis artificia omnibus nota saepeque probata summa cum cura adhibita sint, tamen haud raro rationem non posse reddi eorum quae legimus vel in Pauli Epistulis vel in quarto Evangelio. Quomodo singula cohaereant, saepius latet quam indicari potest et fidus interpres frequentius crucem figet quam fixam delebit.

Haec fuit res quae nos adegit ut investigaremus quomodo tandem Novum Testamentum explanari deberet. Fatemur in nobis fuisse aliquam confidentiam, quum via patere videretur, quam hucusque vix quisquam ingressus esset. Scilicet primum describenda fuit recepti textus conditio eique

descriptioni deinde addidimus sine ulla praejudicata opinione, quidquid nobis quacumque de causa animadversione dignum esse videretur. Quod aliter vix fieri potuit, ex ea descriptione, quam curavimus ut quam fidelissima foret — id certe praestare voluimus, — mox devenimus ad suspiciones, de quibus utpote *verisimilibus* aequi lectores pronunciabunt.

Itaque opusculum nostrum bifariam dividitur: altera pars certa nobis visa est; in altera ultra verisimilitudinis quandem speciem non potuimus escendere. Nobis certum id est, quod in ipso textu animadvertimus; intricatarum autem rerum explicatio si judicabitur satis esse probabilis, gaudebimus et operae pretium fecisse videbimur.

Quod nobis proposuimus itidem duplex fuit. Primarium fuit interpretibus commonstrare, quam innumerae res sint, quarum in commentariis vix ulla habeatur ratio; deinde conjecturis nostris alios incitare voluimus ut pergerent et in meris tenebris tandem lucem accenderent, nostris verisimilibus sive refutatis sive, quod sane malumus, confirmatis.

Amamus et veneramur sacrum codicem, absque quo haec qua vivitur ratio ne intelligi quidem potest. Amor impulit ut quaerendi faceremus initium; veneratio fecit, ut verecunde quaereremus. Nec critica ars nos admirari dedocet, etiamsi fortasse nos instituat, ut in eadem re aliud pulchritudinis genus admiremur.

Quid uterque nostrum ad laborem contulerit, nec facile dictu est nec mente repetere juvat; sed illud, nisi fallimur, lectoribus haud displicebit theologiae veterem amicum et philologum vires conjunxisse, ut Sacrorum Librorum interpretationem, quantum ingenium concederet et tempus pateretur, gnaviter adjuvarent.

A. Pierson.
S. A. Naber.

CAPUT PRIMUM.

EPISTULA I AD THESSALONICENSES.

I.

In primo capite primae epistulae omnia ordine procedunt nec sententia interrumpitur. Scriptor gaudet quod ministerium non fuit sine fructu (1, 1—5) itaque praedicat prosperam Ecclesiae conditionem (1, 6—10). In 2, 1 illuc redit et gloriatur de introitu suo minime inani, his verbis usus: *αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοί, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν*, ΑΛΛΑ.... Itaque exspectamus aliquid in eam sententiam, quod introitus vanus non fuit, *sed* cognosci potest ex ecclesiae conditione. Oppositionem indicat conjunctio *ἀλλὰ* et scriptor de ipsa ecclesia aliquid dicturus videtur.

Non explet id quod promisit ante vs. 13[b] (*παραλαβόντες*, cet.) A versu 2 (post *ἀλλὰ*) usque ad 13[a] nihil legimus de grege, verum agitur de pastore.

Hoc quidem est suspicionis plenum: quis sanus ita scribat: ministerium meum non fuit inane, SED semper me bonum virum praestiti? Contra si reliquis praeteritis conjungimus vs. 13[b] cum conjunctione *ἀλλὰ* in versu 2, omnia recte cohaerent itaque obtinebimus: *αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοί, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν, ἀλλὰ παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν [τοῦ θεοῦ] ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων ἀλλὰ καθώς ἐςιν ἀληθῶς λόγον θεοῦ*, cet.

Quod si conjicere licet quacumque tandem de causa divulsa fuisse *ἀλλά* (vs. 2) et *παραλαβόντες* (vs. 13[b]), etiam

ratio reddi poterit versiculi 13ª, quo intermissum orationis filum satis incommode resumitur. Quod initio positum est καὶ διὰ τοῦτο, jam non amplius nos torquebit; prodere enim videtur manum redactoris vel epitomatoris haud nimis acuti itaque versus 2—12, quibus scriptor se ipsum supervacaneis laudibus ornat et onerat, postmodo inserti videntur.

Ab 2, 13ᵇ in reliqua epistula usque ad finem scriptor dicit de se ipso, vota nuncupat pro fratrum salute, adhortatur ad virtutem (vide 2, 14—4, 12 et 5, 12—28), sed facile apparet toto coelo diversam esse pericopen, quae incipit 4, 13 et quam primo obtutu pertinere dixeris ad 5, 11. Reliqua omnia sunt privati argumenti vel paraenetici, sed interposita est pericope, in qua tractantur dogmatica vel certe eschatologica. Nihil hoc miraremur, si adhortationes illae ex iis quae proxime praecedunt, derivarentur vel certe quodammodo confirmarentur. Sed secus est. Post 4, 12 continuo addere poteris 5, 12 sqq., nam in adhortationibus, quae in altera parte sequuntur, nihil est cur fluxisse credantur ex dogmatica expositione, quae praecedit. Hinc efficimus fragmentum eschatologicum aliunde insertum esse, nec cum reliquis cohaerere. Ipsum initium nimis praecisum est neque ullo modo referri potest ad 4, 12.

Nec tamen ea pericope, quam brevitatis causa fragmenti eschatologici nomine insignivimus, circa eschatologiam tota est. De eschatologia proprie sunt 4, 13—18. Hos versus primum considerabimus.

I. Indicabit scriptor quid piis hominibus post mortem prodesse possit Iesu παρουσία, nam Graecum vocabulum diligenter retinebimus, ne quis forte sponte obliviscatur, παρουσίαν non tantum eius esse, qui redit, sed etiam eius qui nunc primum advenit. Quo tempore Dominus παρέσται, et ii qui tunc vivent et ii qui mortui erunt, rapientur simul obviam Christo in aera [1]), neque hi illos praeverten-

---

1) Vs. 14 non est sermo de resurrectione mortuorum. Nescimus fortasse quid ἄξει significet; certe non significat *suscitabit*. Sunt fideles, qui in vivis erunt tempore παρουσίας, reliqui *suscitabuntur*, non *etiam suscitabuntur*. Verte *quin et* et orietur

tur. Antequam vivi in coelum adscendent, mortui qui in Christo sunt, resurgent. Sive vivimus, sive morimur, παρουσίας tempore perinde erit. Hoc reputantes vos consolari oportet (vs. 18).

II. Quae verba leguntur vs. 17: ἡμεῖς οἱ ζῶντες [οἱ περιλειπόμενοι] non accipi debent, quasi scriptor in universum dicere voluisset de iis, qui quandocumque id futurum esset, tempore παρουσίας in vivis forent. Itaque παρουσία brevi exspectari potest.

III. Quum alii moereant, apparet scriptorem consolari velle lectores suos (ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποί, οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, desperantes scilicet de iis, quos mors occupavit). Sine dubio *aliorum* nomine fratres intelligere debemus eiusdem fidei vinculo conjunctos. Gentilium enim non magis intererat scire, quid de mortuis futurum esset quam de iis qui superstites erant futuri. Unde consequitur fuisse qui aut ignorantes mortuorum resurrectionem aut fidem mysterio denegantes, existimarent παρουσίαν prodesse non posse nisi iis, qui illo tempore superstites futuri essent.

IV. Pericopes concinnitas demonstrat, jamdudum nosse fideles quomodo coelum intretur. Rapiemur in aera: non hoc novum est lectoribus et incredibile; sed nunc primum do-

---

quaestio quis tandem praeter mortuos suscitari possit. Itaque incommoda est conjunctio καί, nisi ἄξει aliquid significet quod de mortuis neque exspectemus neque speraare possimus; sic demum erat operae pretium dicere; καὶ τοὺς κοιμηθέντας ἄξει, hoc est: etiam *hoc continget illis*, quin et *illis hoc continget*. Fac praeterea ἄξει significare *suscitabit:* quid erit σὺν αὐτῷ? Nec sane suscitabuntur mortui cum Iesu, qui jam suscitatus est, cf. Rom. 6, 8; 6, 4; Col. 2, 12; 2, 16; Ephes. 2, 6, ubi sermo est de nostra morte et sepultura et resurrectione cum Christo, sed semper praeterito tempore, numquam futuro. Rom. 6, 8: συζήσομεν αὐτῷ magis exceptio esse videtur quam revera est. Verum si ἄξει non significat ἀναζήσει, nulla causa fuit vs. 14, cur sermo fieret de Iesu resurrectione et vs. 14a eo magis nostram movet suspicionem, quum vs. 14b conjunctio οὕτως tam incommode referatur ad conjunctionem εἰ, vs. 14a. Exspectamus potius: sicuti Deus rapiet, adducet qui testes aderunt τῇ παρουσίᾳ, eodem modo, cet. Olim fortasse tale quid lectum fuit et vs. 14 genuina scriptura erat: σὺν αὐτοῖς. Id certe liquido affirmamus ἄγειν (cf. 2 Thess 2, 1; Joh. 10, 16) σὺν Χριστῷ nil quidquam significare. Imprimis conferatur 2 Thess. 2, 1: ἐπισυναγωγὴ ἐπ' αὐτόν, ubi certe σὺν in composito ἐπισυναγωγή non significat σὺν αὐτῷ.

centur, hoc etiam mortuis contingere posse. Nec verisimile est miram doctrinam, quae vs. 17 continetur, obiter et quasi in transcursu tradi potuisse, quo tempore primum traderetur. Cogitet quis inter lectores fuisse, senes, aegrotantes, gravidas denique. Quid animi iis fuisse putabimus, quum primum audirent illa: ἔπειτα ἡμεῖς.... ἁρπαγησόμεθα εἰς ἀέρα. Intempestiva brevitas attulisset plus consternationis quam consolationis. Credere licet hoc dogma lectoribus jam antea fuisse cognitum; deinde non Thessalonicenses soli tam beati fuisse videbuntur, nisi forte existimes suam cuique urbi peculiarem fidem fuisse. Sed permirum est, praeterea nusquam in Novo Testamento simile quid aut diserte tradi aut certe obscure respici. Atque hinc oritur suspicio, vetera scripta fuisse olim deperdita, in quibus ἐπισυναγωγὴ luculentius tractaretur.

V. Versiculi 5, 4 sqq. cum 4, 13—18 magis cohaerere videntur quam revera cohaerent. Vss. 2 et 3 docemur diem Domini (i. e. diem, quo judicium pronunciabitur) necopinato venturum esse male securis hominibus, qui obliviscantur se judicium non magis effugere posse quam parturientem ex partu dolores. Vss. 2 et 3 semper et ubique valent: hinc ἔρχεται tempore praesenti. Tum pergit scriptor vs. 4 sqq.: neque vos tanquam fures dies comprehendet (etenim κλέπτας cum Vaticano Codice legendum): non occultandum est quod facitis neque diurnam lucem vitat. Filii lucis estis nec faciendum quod nocturno tempori convenit: dormire, inebriari, cet. 5, 5—8. Verum enimvero hi versus nullo vinculo conjunguntur. Vs. 2 dies, vs. 4 homo ipse cum fure componitur. Vs. 2 ἡμέρα dies est venturi judicii, vs. 4 ἡμέρα lucem significat. Vs. 2 ἡμέρᾳ non tenebrae opponuntur, sed ἀσφάλεια· contra vs. 4 ἡμέρα caliginem pellet. Si vs. 4 ἡμέρα ab die judicii non diversa erit, plane contrarium erit ἐν σκότει εἶναι suntque ante diem judicii omnes omnino homines ἐν σκότει· tamen fideles dicuntur οὐκ εἶναι ἐν σκότει. Praeterea vs. 8 ἡμέρα fere necessario idem significabit quod vs. 4; sed ibi certe in verbis: ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες, ridiculum fuerit diem judicii intelligere. Verbo ut

dicamus: *dies* vs. 2 diversus ab *die* vs. 4 idemque valet de *fure*. Unde efficimus vss. 2 sq. conglutinatos fuisse cum vss. 4—9, nulla alia de causa nisi quod utrobique *dies* et *fur* forte memorarentur.

Vs. decimo proxime praecedentia non respiciuntur, sed 4, 17 potius. In 5, 6 opponuntur dormire et vigilare: Vigilemus, inquit, ne dormiamus. Vs. 10 contra nihil referre videtur dormiamusne an vigilemus. Vs. 6 dormire idem est quod ebrium esse; vigilare idem quod armatum esse. Vs. 10 dormire idem est quod κοιμᾶσθαι (4, 13) et vigilare idem quod ζῆν. Quomodo supra vs. 4, eodem modo vs. decimus ad superiora adscriptus fuit propter soni fortuitam convenientiam. Alia de hoc genere infra offendemus; redactor conjunxit fragmenta vel excerpta, in quibus idem vocabulum forte recurrebat, dummodo auribus satisfieret, nihil curans nominum diversissimas translationes [1]).

Itidem agnoscimus redactorem 5, 11, ubi iterantur ea, quae jam dicta erant 4, 18. Atque hic quidem versiculus bene se habet. Magnum aliquid erat quod lectores ignorabant itaque scriptor hoc eos docere instituit. Nihil est cur fideles mortis poeniteat, nam participes fient ejusdem felicitatis, cuius nosmet ipsi. Itaque dum mortuos lugetis, consolamini invicem in verbis istis. Idem quoque praecipit redactor 5, 11, sed inconsiderantia fecit ut adderet: καθὼς καὶ ποιεῖτε, nam, si hoc consolandi genere lectores jam utebantur, ineptum erat scribere 4, 13: οὐ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν.

Quatuor igitur sunt, quae hucusque obtinuisse videmur:

I. Fragmentum eschatologicum videtur quidem pertinere ab 4, 13 usque ad 5, 11, sed revera sunt tantum eo refe-

---

1) Olim Excerpta interdum *Epistularum* nomine circumferebantur. Cf. A. Gellius in Praef. Noct. Att.: Facta igitur est in his quoque commentariis eadem rerum disparilitas, quae fuit in illis annotationibus pristinis... Sed quoniam longinquis per hiemem noctibus in agro, sicuti dixi, terrae atticae commentationes hasce ludere ac facere exorsi sumus: idcirco eas inscripsimus Noctium Atticarum, nihil imitati festivitates inscriptionum, quas plerique alii... in id genus libris fecerunt... Namque alii *Musarum* inscripserunt, alii *Silvarum*,... neque item non sunt qui indices libris suis fecerunt aut *Epistolarum Moralium*, aut cet.

rendi versus 4, 13—18 (de conditione mortuorum tempore παρουσίας) et 5, 1—3.

II. Suspicio est vss. 4, 13—18 excerptos esse ex uno pluribusve libris, in quibus idem argumentum copiosius esset expositum.

III. Hi versiculi non sic simpliciter descripti fuerunt, sed, quod vs. 14 ex hiante oratione apparet, epitomator, dum aliena in suum usum convertebat, quaedam immutavit.

IV. Vss. 5, 4—11 epitomatoris sunt et quantum jam nunc affirmari potest, conjungendi sunt cum adhortationibus moralibus, quae leguntur 4, 1—12 et 5, 12—22.

Hos versus antequam consideremus, ut quae conjungenda sunt sub uno conspectu ponantur, dividemus in octo paragraphos:

a. 4, 1—8.
b. 4, 9—12.
c. 5, 2; 3.
d. 5, 4—10[a].
e. 5, 12; 13.
f. 5, 14; 15.
g. 5, 16—22.

Animadvertendum est, in illis paragraphis sententiarum vinculum desiderari, neque in ipsis adhortationibus certum consilium indicari posse, quum praesertim minime omnia idem sive historiae sive ethices fundamentum habeant. In § *a* lectores pueri sunt, qui fuerunt docendi πῶς δεῖ περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν θεῷ. Ne hoc quidem antea norant se debere ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας. Iidem § *b* θεοδίδακτοι sunt. In § *a* monentur ne velint ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφόν, in § *b* supervacaneum fuerit aliquid scribere ad commendandam φιλαδελφίαν. In § *e* lectores colere jubentur τοὺς νουθετοῦντας, in § *f* ipsi debent illo munere fungi et νουθετεῖν. Qui scripsit vs. 27, praeterea non norat τοὺς προιςαμένους, quorum fit mentio vs. 12; quam enim commode iis injungi potuisset officium epistulam palam recitandi? Atque haec quidem admodum mira sunt, si quaeris *ad quos* illae literae datae fuerint; neque *praecepta ipsa* eandem ethicam redolent. Huius quoque rei expedita est demonstratio.

In § *a* virtus pendet ex alieno arbitrio et bonus vir est qui paret praeceptis a Summo Iudice datis. Hic nisi locutus fuisset, nesciremus πῶς δεῖ ἀρέσκειν θεῷ. Virtus est non peccare (τὸ μὴ ὑπερβαίνειν, cet.; ἀπέχεσθαι cet.; fitque provocatio ad metum poenae, ad metum Domini Vindicis (v. 6). Altius quiddam commendari videtur versu septimo, sed parum perspicua sententia est. Digitum etiam intendimus in abnormem exaggerationem in illa § *a;* etenim vs. 5 gentiles invidiosis criminationibus opprimuntur, licet jam nota iis esset ea virtus quam scriptor inculcat; vide modo 5, 15; 21; 22. Contra in § *b* virtus est quam ipse Deus nos docuit et in praecordiis nostris collocavit.

Praeterea in ipsis verbis quaedam nos advertunt, quibus manus epitomatoris arguitur potius quam librariorum negligentia. In 4, 4 σκεῦος intelligi nequit et certe non significat *corpus* vel *uxorem;* quid enim foret κτᾶσθαι corpus vel *uxorem*? Quid τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν..... τιμῇ? Nec magis assequimur quid sit καὶ ante τὰ ἔθνη vs. 5 vel ἐν τῷ πράγματι vs. 6. Supervacaneum fere est quod legimus 4, 10[b] post 3, 12 et mire languent verba 4, 11; 12 post 3, 13. Post 4, 6 multo aptius sequerentur vss. 5, 2; 3 (inde ab ὅτι ἡμέρα) et contra vs. 4, 7 continuo legere mallemus post vs. 5. In extrema pericope recte stare poterit vs. 8, servemus modo lectionem ἡμᾶς, nisi forte vs. 8[b] (vide supra) epitomatoris sit.

Itidem vs. 5, 8 epitomator arguitur ex imaginum confusione, nam ne mediocris quidem scriptor post νήφωμεν continuo addidisset: ἐνδυσάμενοι θώρακα. Quis praeterea inter 5, 13[a] et 14 intercalasset εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς? Ni haec omnia excerpta sint, cuinam potuit in mentem venire post 5, 24 repente addere: πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς? Nam, quod insuper affirmatur: ὃς καὶ ποιήσει, plane sensu vacuum est.

Similia animadverti possunt in tribus prioribus capitibus, sed quia offensiones sunt aliquanto minores, praemittere quaedam maluimus de postrema Epistulae parte. Sed primum verba ἐν θεῷ πατρί (1, 1), non habent quo referantur. Vs. 6 verba καὶ τοῦ κυρίου sensu carent, quum statim sequatur δεξάμενοι cet., nec Christus praeterquam quod no-

minatur *post* Apostolum, exemplo esse potest, quomodo verbum accipere debeamus. Quam importuno loco legantur 2, 2—13ª, supra jam dictum fuit, sed ne in ipsa quidem tam brevi pericope omnia recte cohaerent. Veluti conjunctio γάρ vs. 3 omni vi destituta est: fiduciam habuimus loqui ad vos; exhortatio *enim* nostra non de errore, οὐκ ἐκ πλάνης: quasi pseudoprophetis fiducia deesse soleat. Vs. 5 non debuissent conjungi καθὼς οἴδατε et θεὸς μάρτυς. Deum enim testem advocamus earum rerum, quarum alius testis non est. Vs. 6 ἐν προφάσει πλεονεξίας, sed ἐν om in Codice Vat., difficulter explicatur et δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι non habet quo pertineat. Ne ipsum quidem se intelligit qui scribit: est a me aliena omnis adulatio, nolo hominibus placere, *quamquam* oneri possem esse. Vs. 8 nihili est vocabulum ὁμειρόμενοι, pro quo frustra suppositum fuit ἱμειρόμενοι. Vs. 9 vix ferenda exaggeratio est, nec Paulo, quem simplici vitae genere contentum fuisse credimus, noctu et interdiu adlaborandum fuit ut sibi victum quaereret. Deinde vs. 11 scire cupimus, qualem scriptor ipse se praestiterit, non quid aliis ut facerent commendaverit.

Vs. 13ᵇ resumitur tela, quae vs. 2 intermissa fuerat. Epitomator de suo addidit 13ª, quo male coeuntia melius conglutinarentur. Hinc illud καὶ διὰ τοῦτο, conjunctio καί ante pronomen ἡμεῖς et insipida hyperbole in adverbio ἀδιαλείπτως, quod temere translatum est ex 1, 3.

Multo plus refert considerare verba 2, 16: τοῖς ἔθνεσι, quae vix admittunt sanam explicationem. Efficitur ex vs. 14, Judaeos esse ac minime Christianos ex Judaeis, qui nolint scriptorem τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν. Quodnam objectum esse potest huius verbi λαλῆσαι praeter ipsum Christum? Crediderunt ne igitur Iudaei, salvos esse posse Gentiles, dummodo Christi Evangelium amplecterentur? Qui sibi persuaserunt hanc epistulam unius eiusdemque scriptoris esse, vix effugere poterunt conclusionem, qua devehuntur ad id quod absurdum.

Nos quidem horum nihil admodum movere debet; nam si revera varia excerpta undecumque coniuncta in unum

sunt, fieri potest ut post λαλῆσαι aliud objectum subintelligi debeat indeque conjicimus vss. 15 et 16 desumtos esse ex libro Israelitae cuiusdam, quales Flavius Iosephus et Strabo depinxerunt, qui, quum Jesum Prophetam fuisse concederent, (vide mode Ἰησοῦν καὶ τοὺς προφήτας vs. 15), inter gentiles praedicando spargerent Judaicam religionem philosophice tinctam et coloratam probarentque avitae fidei loco nova dogmata, quae scribae Hierosolymitani cane peius et angue oderant et abominabantur.

Describere juvat ex Josephi Archaeol. 20. 2. 4: καθ' ὃν δὲ καιρὸν ὁ Ἰζάτης (τῶν Ἀδιαβηνῶν βασιλεὺς) ἐν τῷ Σπασίνου χάρακι διέτριβεν, Ἰουδαῖός τις ἔμπορος, Ἀνανίας ὄνομα, πρὸς τὰς γυναῖκας εἰσιὼν τοῦ βασιλέως ἐδίδασκεν αὐτὰς τὸν θεὸν εὐσεβεῖν ὡς Ἰουδαίοις πάτριον ἦν καὶ δὴ δι' αὐτῶν εἰς γνῶσιν ἀφικόμενος τῷ Ἰζάτῃ κἀκεῖνον ὁμοίως συνανέπεισε .... πυθόμενος δὲ (ὁ Ἰζάτης) τὴν μητέρα τὴν ἑαυτοῦ πάνυ χαίρειν τοῖς Ἰουδαίων ἔθεσιν, ἔσπευδε καὶ αὐτὸς εἰς ἐκεῖνα μετατίθεσθαι, νομίζων τε μὴ ἂν εἶναι βεβαίως Ἰουδαῖος εἰ μὴ περιτέμνοιτο, πράττειν ἦν ἕτοιμος .... δύνασθαι δὲ αὐτὸν ἔφη (ὁ Ἀνανίας) καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων· τοῦτο γὰρ εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι. Ecce Judaeus, qui exteros docet negligere circumcisionem.

Judaicam religionem quam Strabo dum multum peregrinabatur, cognovit, ita describit p. 760. Moses, inquit, ἀντὶ τῶν ὅπλων τὰ ἱερὰ προὐβάλλετο καὶ τὸ θεῖον, ἵδρυσιν τούτου ζητεῖν ἀξιῶν καὶ παραδώσειν ὑπισχνούμενος τοιοῦτον σεβασμὸν καὶ τοιαύτην ἱεροποιίαν ἥτις οὔτε δαπάναις ὀχλήσει τοὺς χρωμένους οὔτε θεοφορίαις οὔτε ἄλλαις πραγματείαις ἀτόποις. Haec, inquit, ipse Moses olim docuerat; ἔπειτ' ἐφιεμένων ἐπὶ τὴν ἱερωσύνην τὸ μὲν πρῶτον δεισιδαιμόνων, ἔπειτα τυραννικῶν ἀνθρώπων, ἐκ μὲν τῆς δεισιδαιμονίας αἱ τῶν βρωμάτων ἀποσχέσεις, ὥνπερ καὶ νῦν ἔθος ἐςὶν αὐτοῖς ἀπέχεσθαι καὶ αἱ περιτομαὶ καὶ αἱ ἐκτομαὶ καὶ εἴ τινα τοιαῦτα ἐνομίσθη. Circumcisionem ex corrupta veterum disciplina esse natam! Nec dubitandum quin Strabo eam opinionem ab Judaeis acceperit; certe non ipse excogitavit. Qui volebant demonstrare περιτομὴν minus

esse necessariam, eos fecisse coniicimus quod omnes faciunt qui receptam populi fidem emendare cupiunt et, quod Muhammedis etiam exemplo confirmatur, sese propterea redire velle perhibent ad vetera instituta quae insequens aetas neglexit et negligendo corrupit. Sed satis haec sunt ad explicandum, cur Judaei, qui maiorum disciplinam sectabantur, non potuerint ferre novatores eosque noluerint τοῖς ἔθνεσιν λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν. Nemo facile dixerit quomodo Christianus homo scribere potuerit 2, 16; omnes difficultates evanescent, si probabitur suspicio scriptorem nostrum ea verba mutuatum esse ab Judaeo aliquo de eo novatorum genere, quos ex Josepho et Strabone cognovimus. Est haec suppositio, ad quam in sequentibus saepius nobis confugiendum erit. Nunc satis est provocare ad 3, 13: μετὰ πάντων τῶν ἁγίων, ubi fere necessario sancti Veteris Testamenti intelligendi sunt, cf. 2 Thess. 1, 10: ἐν τοῖς ἁγίοις, vide infra. Quin et dixeris vs. 2, 18 scriptorem diserte sese distinguere voluisse ab eo, quem alibi presse sequitur; nunc demum intelligimus, cur tam significanter nomen proprium inseratur: ἐγὼ μὲν Παῦλος. Vide etiam illud καὶ ἐνέκοψεν, ubi ἀλλὰ exspectabatur potius, et credere videtur scriptor jam nosse Thessalonicenses, cur ad se venire non potuerit.

In capite tertio pauciora sunt quae offendunt nec tamen desunt quae aliunde desumta videntur. Veluti incommoda verba sunt quae legimus 2ᵇ—5ᵃ, quibus deletis reliqua multo melius coeunt. Totum locum relegamus. Verba sunt in extremo capite secundo: ἐσπουδάσαμεν τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ, διότι ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.... καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς. Deinde paucis interpositis sequuntur illa, 3, 1; 2ᵃ: διότι μηκέτι ςέγοντες ηὐδοκιμήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον κτἑ. Quid hic addi potest praeter εἰς τὸ γνῶναι (vs. 5ᵇ), cet. Primum scriptor vult aliquid resciscere de ecclesia, quam tanto opere diligit, μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων. Hoc audito, poterit demum scire debueritne Timotheus Thessalonicae operam suam conferre εἰς τὸ ςηρίξαι ὑμᾶς κτἑ, vs. 2. Atque adeo supervacanea verba sunt 2ᵇ—5ᵃ, ut etiam ipsa re su-

persederi potuerit, neque necesse fuit στηρίξαι fideles qui in fide fideliter perstabant, vs. 6 et 7. Nec facilis transitus est a vs. 4 ad vs. 5, in quo resumitur quod dictum fuerat vs. primo, sed satis incommode interpositum est διὰ τοῦτο.

Vs. 8 intelligi nequit tum propter illud νῦν ζῶμεν (estne fortasse legendum ἀναζῶμεν?), tum propter additam conditionem: ἐὰν ὑμεῖς στήκητε ἐν κυρίῳ, nam nuper scriptor de ecclesia sua carissima optima quaeque audierat (παρεκλήθημεν διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως vs. 7). Vs. 8 fortasse redactoris est, qui inseruit quo melius tueretur quae itidem inseruerat $2^b - 5^a$. Atque idem valere nobis videtur de vs. 10. cuius insignis exaggeratio incurrit in oculos.

Praejudicium est ad quod quisque sponte defertur, esse hanc epistulam unius ejusdemque scriptoris. Hic autem assecuti erimus id quod nobis proposuimus demonstrare, dummodo lectores nobis concedant esse operae pretium de illo praejudicio ulterius quaerere, possitne idoneis argumentis suffulciri. Nos quidem ipsae dubitationes, quae nos interpellaverunt dum singula curiose rimabamur, impulerunt ad pervestigandum quae tandem origo esset illius contextus, quo hodie utimur.

Hic antequam conjecturam periclitari liceat, duarum rerum series examinandae sunt ac primum quidem juvat colligere locos, quibus scriptor de se ipso loquitur.

In primo capite primum satis magnifice scribit. Ministerium fuit ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, vs. 5. Lectores eum imitati sunt, sicuti ipsum Christum sunt imitati, vs. 6.

In capite secundo omnia sunt aliquanto modestiora nec dissimulat scriptor, quibus difficultatibus conflictatus sit, vs. 2. Non supervacaneum est asseverare afuisse fraudem, afuisse turpem causam, afuisse dolum, quum fratribus unice prodesse conaretur. Vidit quidem non esse se personam gratam sed satis est, modo Deus probarit sinceritatem. Ab omni adulatione semper alienissimus fuit; numquam avaritia eum instigavit; testis Deus est eum numquam honoris cupidum fuisse; manibus ipse suis perpetuo laboravit,

sibi ut victum quaereret nec cuiquam oneri esset: adeo ne suspicatur quidem gregem libenter conferre quae pastori necessaria sunt; revocat lectoribus in memoriam quam comiter inter oves suas olim versatus sit; quam foverit eas planeque paterno amore sit prosecutus; nec tantum Evangelium verbis commendavit, sed totum dedit se ipsum (vss. 3—8). Molestum est quidem defendere se ipsum adversus turpes criminationes, sed lectores, eheu, egent tali apologia. Μνημονεύετε γάρ, ἀδελφοί, τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον, vs. 9. Optime norunt quam strenue laborando pastor se noctes pariter atque dies sine intervallo exercuerit; quam ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως semper vixerit, patris instar singulos commonefaciens (vs. 9—11), ut ambularent digne Deo, qui vocavit eos in suum regnum et gloriam, vs 12.

Post 2, 12 reditur ad superbiam primi capitis. Verba scriptoris vere divina verba sunt laudaturque ecclesia quod divina verba esse credidit, vs. 13. Pellucet vehementia, pellucet severitas, pellucet maiestas. Quam acriter bellum gerit adversus Judaeos ὀρθοδόξους in Palaestina! Quin et interitum iis vaticinatur tamquam unus de Prophetis (vs. 14—16: ἔφθακε δὲ ἡ ὀργὴ ἐπ' αὐτοὺς εἰς τέλος).

Modi denuo mutantur vs. 17 et iterum audimus placidam vocem viri illius probi ac modesti, qui vs. 18 se ipsum Paulum appellat. Hoc nomen eius servabimus scriptoremque, quem infra toties pergemus agnoscere, Paulum Episcopum appellabimus. Collatis iis quae adnotavimus ad 2, 2—12, ex densissimis tenebris quaedam in facie lineamenta quasi depingere posse jam videmur. Amabili seni absentia gravis est nec magis grex desiderat pastorem quam pastor carissimum gregem. Tempus non minuit amorem et omnia ei suadent ut oves revisat. Cur nondum venerit? Non fuit quotidianum vel tritum — et simul agnoscimus hominem mysticismo emancipatum — quod eum hucusque ab Thessaloni ca avertit. Nempe Satanas impedivit iterumque impedivit ut eos inviseret, quibus die Domini sperabit, gaudebit, gloriabitur.

Hoc modo pergit dicere per totum caput tertium, sed

initio quarti capitis partibus tertium mutatis, interpellat minister, qui novit plurimi suam auctoritatem esse debere apud eos, qui omnia bona sua ipsi accepta referre debeant. Ambulare eos oportet, sicuti ipse olim praecepit. Quae praecepta dederit (vs. 1; 2), si quis contemserit, contemnere is videbetur ipsum Deum (vs. 8).

Vs. 9 seqq. excipit Paulus Episcopus, qui de caritate non necesse habet quidquam scribere neque ipse gregem instituit, sed ipse Deus. Sicuti 3, 22 etiam 4, 10 satis est, si fideles magis abundent et perficiant quod laudabiliter inchoarint. Decet eos ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς χερσίν, id est imitari eos decet ipsius Pauli Episcopi vitae rationem. Decet εὐσχημόνως περιπατεῖν πρὸς τοὺς ἔξω. Πρὸς τοὺς ἔξω· hoc est quod Episcopum ante oculos nostros ponit. Verbo totam rem ut comprehendamus, in reliqua epistula discrimen ne appareat, sed usque ad 4, 12 agnoscimus diversum ingenium multumque diversa est ad fideles oratio.

Sequitur jam ut videamus quomodo in hac epistula scriptor agat de Christo. Hic autem primum animadvertimus nomen Iesu vel Iesu Christi vel Domini crebro inveniri, quin et crebrius interdum, quam reverentia postulare videatur. Verendum nomen saepe sine ullo detrimento delere poteris; imo interdum sententiae adeo non officies, ut post lituram reliqua etiam rectius intelligas. Dixeris fuisse qui zizaniorum instar divinum nomen passim superseminavisset.

Jam mirabamur 1, 6: καὶ τοῦ κυρίου post ἡμῶν et ante δεξάμενοι κτέ. In 1, 10 verba: ὃν ἤγειρεν — ἐρχομένης languide adhaerent nec vacat suspicione praesens ῥυόμενον. In 2, 14 notamus illud ἐν χριςῷ Ιησοῦ post ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ et miramur tum hic, tum Gal. 1, 22 in Iudaea plures fuisse ecclesias. Universi Judaei dicuntur Jesum trucidavisse 2, 15; est praeterea observatione dignum, in tam vetere libro nullam conversionis spem iis relictam fuisse. Additis verbis Ἰησοῦ — παρουσίᾳ 2, 19 in futurum tempus differtur quod continuo post (ὑμεῖς ἐςέ) jam praesens adesse dicitur. Hinc in additis verbis inest contorti aliquid et parum elegans, quod itidem

offendimus in extremo vs. 13 faciliusque nobis persuadebimus hoc modo fuisse peccatum, si contulerimus 3, 9: ᾗ (χαρᾷ) χαίρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἡμῶν. De verbis ἐὰν στήκητε ἐν κυρίῳ, vs. 8b, supra jam diximus itemque de vs. 13. Nec sane potissimum confirmanda corda ἀμέμπτως [?] ἐν ἁγιωσύνῃ ἐν τῇ παρουσίᾳ, quum ceterum nihil opus sit. Deinde cur tandem additur ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ 4, 1? Quid significat διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ vs. 2? Sed imprimis nos movet, quod 4, 14 mentio de Jesu morte et resurrectione nimis longe petita est jamque animadvertebamus particulas εἰ et οὕτως male copulari neque apte explicari posse illa: τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ. Quid quod apparuit nobis in versibus 4, 13—18 τοὺς λοιπούς, qui vs. 13 memorantur, necessario esse fideles itaque esse Christianos μὴ ἔχοντας ἐλπίδα, quod sane mirum est, ut leniter dicamus, in opere, quod totum quantum est tribuetur Apostolo Gentilium. Conferimus etiam 5, 10 cum 4, 18, ubi ἐν κυρίῳ, quae est Codicis Vaticani lectio non satis respondet praepositioni σύν, quae illic invenitur. Deinde 5, 18 verba ἐν χριστῷ Ἰησοῦ si abessent, nemo requireret.

Sed haec omnia dum reputamus, ne hoc quidem negligendum ducimus per totam epistulam religionem Christianam vix incertis lineamentis adumbrari. A parte ethices nihil plane est, quo Christiani ab reliquis mortalibus distinguuntur Quod ad Jesum attinet, etiam hic nihil laudatur eorum quae dixit, nihil eorum quae fecit. Mentio fit de morte, etiam de resurrectione; sed ne de cruce quidem quidquam audimus. Pauca haec sunt et pauciora quam quis putaverit in omnium vetustissima epistula. Contra vix fidem habemus oculis nostris, dum illa legimus quae merum eclecticismum sapiunt: πάντα δὲ δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε, 5, 21.

Tria potissimum sunt, quae ex iis quae praecedunt, effici posse videntur:

I. Talis est textus conditio, ut minime credibile sit epistulam uno tenore, ab uno eodemque scriptore esse compositam.

II. Nec magis constat sibi scriptor, ubi de se ipso loquitur, nam variam ac mutabilem prodit indolem.

III. De Christianorum dogmatis quae insunt, admodum pusilla sunt. Demta rerum extrema superficie ac quasi pumicatione vix quidquam restabit quod eo possit referri.

Theses tres sunt, quas age consideremus ad lucem sequentis hypothesis.

Circa initium huius aerae Judaei erant quidam, qui, postquam secesserant a Pharisaeis, spretis legum Mosaicarum caeremoniis unice studebant virtuti ac morum puritati, quibusque persuasum erat, brevi venturum esse Filium Hominis, quem praedixisset Daniel Propheta. Quos libros ea secta peperit, eos Judaei alto supercilio contemserunt et interire passi sunt, sed magni facienda sunt complura fragmenta, quae de hoc genere in Novo Testamento servata sunt. Jam in dies certior spes affulgebat de Messia, donec tandem in animis infixa est persuasio adesse tempus diu ante praedictum inque terris revera apparuisse Filium Hominis, quem jamdudum exspectassent. Statim ab initio nihil affirmabant praeter hoc ipsum. Filii hominis non erat nomen proprium, sed titulus tantum; Salvator erat, i. e. Iesus; Messias erat i. e. Christus. Mox alia ac deinceps alia de eo spargi coeperunt, commixtis in unum iis quae Jesaias vaticinatus fuerat capite 53 et Graecorum fabulis quibusdam, qui ab tali exspectatione minime abhorrebant. Ferebatur mortuus esse sed resurrexisse: quando et quomodo? id etiam nunc ignorabatur.

Postquam eo perventum fuit, libri illi Judaici lectoribus Christianis jam non amplius satisfacere poterant, sed quod in iis primarium erat tam videbatur praeclarum, ut id incuria perire nollent. Itaque opus fuit nova redactione eaque nova redactio, quam nihil impedit quominus Graeco vocabulo sed imprimis idoneo διασκευὴν appellemus, triplici modo instituta est: 1° quem exspectarant Filium Hominis, is jam adventasse credebatur ad humanum genus servandum, itaque in fragmentis selectis Salvatoris nomen ubique insertum fuit; 2° his fragmentis collectis in unum indita Epistularum forma; 3° Redactor, sive mavis διασκευαστὴς, de suo quaedam addidit, male securus ac plane negligens,

quod saepe quadrata misceret rotundis, quum fragmenta illa Judaica plena nobilis audaciae et abstrusae cuiusdam philosophiae, qualis e Prophetarum scholis derivari poterat, vix ita possent decurtari ut responderent redactoris mediocritati. Pietas eum impulit ut quae in iis fragmentis praestantia ac vere sublimia invenirentur, ab interitu servare cuperet; ἀκρισία fecit ut disparibus additamentis indecore amplificaret. Sed haec suspicio non poterit satis verisimilis videri, nisi uberius exponatur novisque argumentis confirmetur. Quod donec fecerimus, velimus lectores iudicium cohibeant. Ac primum incumbit nobis exponere, quibus locis vestigia invenerimus redactoris illius vel διασκευαςοῦ, quem pergemus Paulum Episcopum appellare, tum ut distinguatur ab illo Paulo, quem novit historia, tum ut statim ab initio jam quodammodo appareat, qualem eum fuisse arbitremur.

Erat liber quem Judaeus mundanus de illo hominum genere quos ex Josepho cognovimus, scripserat olim ad fideles ac certe ante initium hujus aerae. Supersunt particulae quas indicabimus.

A. 1, 2—2, 2 (usque ad ἀλλά incl.), sine καὶ τοῦ κυρίου vs. 1, 6 et sine extremo versu 1, 10 (inde ab ὃν ἤγειρεν).

Libenter agnoscit scriptor fidelium constantiam et ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριςοῦ (1, 3) et laudat quod ἀναμένουσι τὸν υἱὸν (θεοῦ) ἐκ τῶν οὐρανῶν. Etenim hoc in ministerio sibi proposuerat, corroborare fidem, confirmare spem, adhortari ad patientiam. Perseveranter exspectare Messiam, qui secundum Danielem supra nubes aliquando proditurus erat et caste pieque vivere, sicuti eos deceret qui tam magnificam spem animo foverent: hoc proprium ac peculiare fuerat religionis, quam docuerat σεβομένους illos (vid. v. c. Act. Apost. 17, 17 et Bernaysium in Opusculis II 76), quorum jam nihil intererat scire essetne quis Judaeus an Gentilis qualemve Cornelium centurionem fuisse cognovimus facientem eleemosynas multas plebi et deprecantem Deum semper.

B. 2, 13b (inde ab verbis ὅτι παραλαβόντες) usque ad vs. 16 incl. (exceptis verbis τῶν καὶ τὸν κύριον — προφήτας vs.

15); 3, 12; 13. 4, 1 usque ad 9 incl.; 13 usque ad 18 (excepto vs. 14[a] εἰ γὰρ — ἀνέστη).

Discipulis suis scriptor revocat in memoriam quam multi in Judaea homines sint, qui eadem spe ductantur. Hi dum Jesu adventum sive παρουσίαν (minime: reditum) quotidie exspectabant, saepe inclementer tractati fuerant ab tribulibus, quos Pharisaeos fuisse conjicimus, qui nollent sacra mysteria communicando profanari. In alio capite quod periit, scriptor discipulis animum addebat εἰς τὸ στηρίξαι κτέ. (3, 13). Propediem Jesus venturus erat cum omnibus Sanctis (veteris Testamenti), sed fidelibus sedulo cavendum erat ne non reperirentur ἄμεμπτοι. Deinde cum alia argumenta attingit, tum agit περὶ τῶν κοιμωμένων. Reliqui Judaei, qui perpetuo somniant gentis suae restaurationem, mortuos lugent tanquam οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, sed vos meliora edocti estis. Sicuti vos rapiemini in nubibus obviam Christo in aera (sed horum verborum pars intercidit), οὕτως ὁ θεὸς ΚΑΙ τοὺς κοιμηθέντας ἄξει σὺν αὐτ[οῖς] (vs. 14[b]). Tum scriptor incipit describere Jesu παρουσίαν. Num plura ex illo opusculo in hanc epistulam translata sint, vix ausi fuerimus definire, sed tamen eandem vocem audire nobis videmur 5, 1—3 et 14—28, in quibus versibus adhortationes ad virtutem aliquantum distare videntur a praestantia Ethices Christianae; sed omnino fieri non potest ut indidem desumti sint vss. 5, 4—10; nec lubenter Judaeo illi tribuemus 5, 11—13.

Hoc igitur opusculum Paulus Episcopus, qui numquam ipse tale quid elaborare potuerat, διεσκεύασεν. Percommodum ei erat in suos usus convertere verba auctoritatis plena et conjunctas Ecclesiae laudes, quo tempore ipse coactus ac propemodum invitus se ipsum defendere debebat et ingratum animum exprobrare Ecclesiae cuidam, quae officium neglexerat. Utebatur oratione verbosiore neque ampullas spernebat; de suo quod depromere poterat, parum erat; viarum deverticula adeo non fugitabat, ut interdum captaret occasiones gregem suum adhortandi et commonefaciendi; qua in re subinde ne ab verborum quidem lusibus

temperabat. Huius igitur viri boni quidem ac venerabilis, sed qui minime norat meritis quaesitam superbiam, est inscriptio epistulae perperam enunciata (1, 1), sunt sensu carentia verba καὶ τοῦ κυρίου (1, 6) et ὃν ἤγειρεν — ἐρχομένης (vs. 10[b]), apologia minime superba sed magni amoris plenissima (2, 2[b] — 2, 13[a]), disertum additamentum de Jesu morte καὶ τὸν κύριον — προφήτας (vs. 15), tenerae nimis testificationes et adjurationes 2, 17—3, 11, supervacaneum illud διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ (4, 2), ethica humi repens 4, 11 sqq., auctarium ex errore natum, quo perturbatur sententia (4, 14[a]), denique puerilis verborum lusus (5, 4—10); fortasse etiam vs. 11—13.

Sed haec omnia quo jure Paulo Episcopo tribuamus, ex reliqua disquisitione luculentius effici poterit.

CAPUT SECUNDUM.

EPISTULA II AD THESSALONICENSES.

In secunda epistula primum considerabimus fragmenta, in quibus παρουσία tractatur: *a* 1, 5—10 et *b* 2, 1—12.

Primum fragmentum nec cohaeret cum iis quae praecedunt, nec cum iis quae sequuntur. Certe vs. 5 non continuatur id quod dictum fuerat vs. 4 et oppositum substantivum ἔνδειγμα nihil plane habet in superioribus, quo pertineat et finis indicatur verbis εἰς τὸ καταξιωθῆναι, sed verbum unde pendet, in obscuro est, nec magis in tali sententia poterit commode explicari conjunctio εἴπερ, vs. 6.

Hic ne sint omnia perspicua, et sunt ad quae infra nobis dabitur redire, sed tamen agnoscimus unam eandemque periodum, quae abrumpitur demum vs. 11 conjunctione εἰς ὅ, quae plane nihil significat. Praeterea vocatio eorum qui legent certa est *ante* versum 10; deinde incerta fit; confer modo vs. 10 ἐνδοξασθῆναι et ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς cum iis quae leguntur vss. 11 et 12: προσευχόμεθα — ὅπως ἐνδοξασθῇ. In reliquis versibus 1—4 et 11—12 agnoscimus orationem mellitam sed elumbem Pauli Episcopi. Superfluum est καθὼς ἄξιόν ἐστιν (vs. 3) post ὀφείλομεν, uti et εἰς ἀλλήλους post ἑνὸς ἑκάστου. Praeterea abundat ἐν ὑμῖν vs. 4; fac significare ἐν ταῖς ἐκκλησίαις· fac significare ὑπὲρ ὑμῶν i. e. ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν· semper, uti vides, abundabit. Deinde vs. 4 scriptor oblitus est, caritatis mentionem factam fuisse vs. 3: gratias agit quod tanto opere creverunt discipulorum fides et *caritas*, ut laudare possit fidem et

patientiam. Imperite junguntur versus 10 et 11 ope conjunctionis εἰς ὅ. Verbi πληρώσῃ duplex sensus est, nam quomodo πληροῦται εὐδοκία, non eodem modo πληροῦται ἔργον πίστεως· illa enim cumulate monstratur, hoc ad perfectionem adducitur. Languet ἐν δυνάμει post ἔργον πίστεως. Denique aures tantummodo implet ut tinniant vs. 12 Ἰησοῦς ἐν ὑμῖν καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ. Omnia haec produnt aliam manum ac dudum nobis cognitam. Dele modo εἰς ὅ versu 11 et videbis quam recte statim post quartum versum duo postremi versus huius capitis sequi potuerint.

Etiam pericope 2, 1—12 sine damno e contextu eximi poterit. Quod initio legitur ἐρωτῶμεν δὲ, facit ut fere exspectemus inchoati argumenti continuationem, sed secus est et transitur ad alia. Hanc pericopen pertinere usque ad vs. 12, videmus vs. 13, qui transscriptus est ex 1, 3, nam nunc quidem abundat verbum ὀφείλομεν et si unus idemque scriptor omnia haec uno tenore effudisset, post versum 12, ingessisset: ὑμᾶς δὲ ὁ θεὸς εἵλετο κτέ.

Pericope 2, 1—12 non tantum ab reliquo contextu luculenter distinguitur, sed ne ipsa quidem sine offensione atque uno tenore decurrit. Jam statim ab initio manum agnoscimus interpolatoris. Caput est 2, 1—3ᵃ: ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου, μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον. Instante die Domini (cf. ὡς ὅτι 2 Cor. 5, 19), ne quis vos ullo modo decipiat: hoc cum reliquis haud satis apte cohaeret; quin et sensu vacuus est totus versiculus 2: εἰς τὸ μὴ — ὡς δι' ἡμῶν. Quod inchoatur vs. 3ᵇ ὅτι ἐὰν μὴ κτέ, vere arena sine calce est. Vss. 6 et 7 Oedipum suum nondum iuvenerunt, nec tempus definitur indefinito illo καὶ τότε vs. 8. Quo refertur οὗ vs. 9? Quorsum pertinet τοῖς ἀπολλυμένοις vs. 10? Mirum ni quis nobis concesserit totum locum aegrum esse nec mortuo medicinam esse faciendam; lenes certe correctiones magis nocebunt quam proderunt.

Bene factum quod in pericope quantumvis male habita color tamen pellucet sub corruptelarum involucris. Habet haec parva apocalypsis nihil admodum Christianae religioni

proprium. Non monemur vs. 3 ne a Christo desciscamus. Ὁ ἀντικείμενος vs. 4 non Filio Dei resistit, sed ὑπεραίρεται ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεόν, neque ecclesiam occupavit, sed ipsa sedet in aede. Vs. 8 κύριος superabit non verbo suo, sed spiritu oris. Ἀπολλύμενοι dicuntur vs. 10 — potestne quis magis indefinite loqui? — qui non habent τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας. Vs. 12 post οἱ μὴ πιςεύσαντες exspectaverit quispiam τῷ εὐαγγελίῳ, sed valde mirum est quod additur τῇ ἀληθείᾳ. Verbo ut dicamus: apocalyptica omnia in his duodecim versibus desumta sunt ex Danielis Vaticiniis, in quibus vide capp. 7—12. Ἀποςασία, ἄνθρωπος, ἀνομία, ἀντικείμενος· quo sensu nota vocabula hic adhibentur, omnia fluxerunt ex Vetere Testamento. Judaeus Judaeorum in gratiam depingit quam appellat ἡμέραν τοῦ κυρίου. Supervenit Paulus Episcopus addiditque colorem Christianum adnectendo ὑπὲρ τῆς παρουσίας κτἑ, 2, 1 et οὐ μνημονεύετε κτἑ vs. 6.

Jam vide quomodo de Jesu persuasio quasi in animis hominum nascatur. Quo die prodibit Homo apud Danielem, erit ille dies irae, non extremus dies, non dies supremi judicii necdum justitia de omnibus adversariis triumphabit; sed quiescent aliquantulum Israelitae qui Deo confidentes extrema mala perpessi sunt iisque satisdabitur. Homo est qui prodit; accipit regnum (Dan. 7, 14) simul cum sanctis (vs. 18), qui nulla in re inferiores imperium retinebunt, adeo ut vs. 21 adversarius unice adversus sanctos bellum gerat; praeterea confer 8, 13 et videbis neutrobique Hominem appellari quem Propheta praedixerat 7, 14. Aeternum imperium acceperunt, et tamen Homo cum Sanctis ad tempus superabuntur (vs. 21). Diu post demum Deus secundum eos pronunciabit (vss. 22 et 25 coll. vs. 26) atque sic sancti cum ipso Homine e Prophetae visione evanescunt et locum cedunt toti populo Dei, qui supremo die victoria potietur.

Homo ille vel Filius Hominis, quem Daniel 10, 16 salutat et κύριον appellat, adeo non est omnium rerum dominus, ut Michael (10, 13 et 21) ei auxilio veniat; imo vs. 12, 1. Michael princeps est, qui stabit pro filiis populi oppressi, quo tempore salutifer dies aderit et evigilabunt qui dormiunt

in terrae pulvere. Tandem iterum prodit Homo (12, 7), nec tamen venit in partem operae nec quidquam confert ut salvos praestet Dei electos. Jurat aeternum Deum, certam affore salutem: tribuitur ei praeterea nihil.

Haec eschatologia Judaica implicata satis et parum distincta atque oculis minime subserviens paulatim diversam formam induit factaque est Christologia Christiana, cuius summa praedicatur simplicitas cum perspicuitate conjuncta. Operae pretium est quaerere, quibus intervallis tandem ea mutatio peracta sit. Homo ille sive Filius Hominis, vix strictim ac per transennam adspectus, tandem revera fit κύριος, quo nomine jam ab Daniele salutatus fuerat. Quo magis ille crescit, eo magis decrescit figura Michaelis, quae tandem in tenues auras abit. In 2 Thess. 1 et 2 vix apparet, sed leve vestigium superest 1, 7, ubi nunc demum pervidemus unde natum illud μετ' ἀγγέλων δυνάμεως. Haud multo post et jam non sufficit κυρίου nomen putaturque Homo idem esse qui Messias sive Christus. Fit κύριος σωτήρ, Josua, Jesus nomenque id proprium brevi habitum. Quid mirum si mox satisfactum fuerit desideriis eorum hominum, qui de vita eius mortali plura cognoscere vellent. Itaque παρουσία Jesu Christi, de qua toties legimus, *adventum*, non *reditum* denotat, neque ea παρουσία tamen finem imponet ei rerum ordini, qui nunc est. Nunc demum intelligimus quam recte 1, 7 ἄνεσις dicatur; mite enim vocabulum est, quo rectissime ostenditur παρουσίαν a malis requiem allaturam esse. Qui addidit ὄλεθρον αἰώνιον 1, 9 nesciebat, quo sensu παρουσία intelligenda esset nec magis assecutus erat quid sibi vellent verba δίκην τίσουσιν. Nunc plana fiunt verba vs. 10b: ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ καὶ θαυμασθῆναι κτέ. Qui κύριος venit ut admirationi esset adstantibus, hodie ferri vix potest, postquam in ecclesia tanto intervallo ab eo segregati sunt, quos servavit, sed quamdiu κύριος Ἰησοῦς Homo erat, quem Daniel praedixerat, unus erat de sanctorum numero et primus inter pares, qui parem admirabantur. Sic explicandum videtur ἐν τοῖς ἁγίοις vs. 10.

Ἄρα οὖν 2. 15 refertur ad aliquid quod praecedit; fortasse

olim statim sequebatur post vs. 12. Provocatur ad παράδοσιν, quemadmodum in libro Judaico, qui primae epistulae pro fundamento est (cf. 1 Thess. 4, 1 sqq.).

Tertium caput indidem est, unde desumta sunt 1, 5—10 et 2, 1—12, sed hic illic interstrepit Paulus Episcopus nempe vs. 7 (inde ab ὅτι οὐκ) usque ad vs. 13 et vss. 16—18. Vss. 7 et 11 planissime non intellexit quid esset ἀτάκτως περιπατεῖν, quod secundum vs. 6 idem est quod μὴ περιπατεῖν κατὰ τὴν παράδοσιν· nempe credebat idem esse quod μηδὲν ἐργάζεσθαι idque crimen longe a se removendum ducebat. Quod legitur 3, 15 νουθετεῖτε respondet verbis quae sunt 1 Thess. 5, 14: νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους.

Denique quaeritur quae religio Christiana inculcetur his duabus epistulis et respondemus ita:

a. Iesus est dominus fidelium.

b. Mortuus est et resurrexit.

Alia frustra quaeras. Neque de Jesu vita terrestri, neque de doctrina, neque de cruce, neque de ratione quae ei cum Deo intercedebat, neque de peccatis eorumve remissione quidquam invenitur in altera utra Epistula.

Fierine potuit ut eae epistulae talem formam haberent, si vera forent ea quae de primis originibus nostrae religionis tradi solent?

CAPUT TERTIUM.

EPISTULA AD GALATAS.

Constat haec epistula duabus partibus, quarum altera est historica (1, 1—2, 14), altera dogmatica et paraenetica (2, 14—6, 18). Transitus fit a priore parte ad alteram ope versus 2, 14, cuius altera pars historica est, altera dogmatica: qua de re infra dabitur dicendi locus.

Quod ea pars, quam historicam appellavimus, tam gravibus premitur difficultatibus, id nobis mirum non potest videri; quae enim in eo referuntur, variam produnt originem mirisque modis commixta et confusa sunt. Dabitur enim nobis, uti arbitramur, non uni scriptori ea esse tribuenda, in quibus *de se ipso* diversa tradat ac plane repugnantia. Componemus in unum quae de hoc genere nobis observata sunt.

Negat esse duo Evangelia (1, 9) et scribit Evangelium, quod impugnat, ab suo non esse diversum.

Magna cum gravitate exsecrat alios (1, 8); deinde sicuti benevole monentes et suadentes solent, iterat, quod semel dixisse omnino satis erat.

Non cupit placere aliis hominibus (1, 10), sed discipuli judicabunt numquid ministerio suo assecutus sit (2, 2: *μήπως εἰς κενὸν τρέχω*).

Ex matris utero segregatus est et vocatus per Dei gratiam (1, 15) et usque ad virilem aetatem profecit in Judaismo et Ecclesiam Dei persecutus est, quin et expugnavit.

Loquitur de Jesu tanquam de imagine vel de fermento, quod diu in corde repositum latuerat (1, 16: ἐν ἐμοί) itidemque loquitur de Jesu, tanquam de mortali homine, cuius etiam fratrem cognovit (1, 19).

Qui circumciditur, is Christi particeps non est (5, 2 sqq.) et patienter fert Titum comitem incurrere in periculum ne circumcidatur (2, 3); quin et manum porrigit iis qui circumcisionem flagitare possunt.

Per revelationem accepit verum Evangelium (1, 12) itidemque revelatio fecit ut Hierosolyma proficisceretur sciscitatum jamne nosset verum Evangelium (2, 2).

Frustra laboravit, si discipuli eos sequantur (4, 11), quos ipse rogavit ut decernerent num forte frustra laboravisset.

Falsos fratres appellat qui venerunt speculatum suam ipsius libertatem (2, 4); mox manum porrigit iis qui ei carissimae libertati parcere nolunt nisi ultro citroque aliquid concedatur (2, 9).

Non intercedit quominus οἱ δοκοῦντες in se judices sedeant (2, 2), nec curat qui fuerint (2, 6), quamquam in praeterita vita sit sola causa cur judicent.

Convenit inter fratres ut ipse Apostolus esset εἰς τὰ ἔθνη, deinde proficiscitur Antiochiam, ubi nobilis Ecclesia ἐκ τῆς περιτομῆς erat (2, 11 sqq.); quin et universa in hac epistula argumentatio ex Judaicis principiis desumta est (Cap. 3 sqq.), nec cuiquam quidquam persuadere potest nisi qui sit ἐκ τῆς περιτομῆς. Quodsi autem statuis scriptorem primum Antiochiae fuisse et aliquanto post Antiochia profectum fuisse Hierosolyma, simulatorem nominavisse reperietur (2, 13) eundem, quem supra retulerat intra numerum eorum quorum suffragia reliquis omnibus anteponit (2, 2).

Itaque hic duos viros audimus, quorum alter severus est et θεοδίδακτος, alter mitis ac placidus et cedens in ecclesia alienae auctoritati. Fatemur hujus inconstantiae aliquam tentari explicationem, sed non fit ea explicatio nisi ope dei cuiusdam, uti aiunt, qui opportuno tempore ex machina demittitur (cf. κατ' ἀποκάλυψιν 2, 2).

Deinde quaerimus cur tandem ea historica pars reliquis

praemissa sit, sed ibi quoque perpetuam contradictionem invenimus.

Miratur (1, 6), quod lectores desciscunt ab Evangelio, quod eos docuit esse ipsius Dei proprium Evangelium et revelatam veritatem (cf. 1. 9: ὡς προειρήκαπεν); sed post annos septendecim demum cum discipulis rem gravissimam communicat, nempe esse illud Evangelium revera revelatam veritatem (1, 11).

Una fuit cum iis (1, 9), sed discipuli audiverunt tantum ab aliis quomodo olim inter Judaeos versatus sit (1, 13. ἠκούσατε).

Quos persecutus est (1, 13), iis facie ignotus erat (1, 22) [1]. Postulat ut sibi Evangelium adnuncianti (1, 8) fides habeatur, sed necessarum esse putat ipsum Deum jurare, se non fallere cum scribat de sua ipsius vita.

Jam tot tantaeque repugnantiae nobis suadent, ut horum omnium duplicem originem esse statuamus. Dixeris mitem illum Paulum Episcopum ea quae legimus 1, 1—10 [2]) et iter Hierosolymitanum ut approbaretur ὑπὸ τῶν δοκούντων, reliqua omnia de vita propria intexuisse relationibus apostoli cuiusdam, in quo longe diversam indolem et longe diversam orationem facile agnoscimus. Huic tribuemus vs. 8; 11; 12; 15; 16; 22. 2, 5; 6, sed quod apparet 2, 3; 4. et

---

1) In Judaea Ecclesiae per annos quattuordecim, audiverunt (ἀκούοντες ἦσαν), eum evangelizare; sed si non audivissent *quid* evangelizaret, vix propterea Deum laudare potuissent.

2) Praecipua certe. Scilicet versus 1—5 eius loquendi genus redolent, veluti in illis ἀπ' ἀνθρώπων, δι' ἀνθρώπου, quae ne intelligi quidem possunt, antequam perveneris ad vss. 11 et 12. Additum ὅπως ἐξέληται — πονηροῦ spem facit disputationis περὶ τῆς παρουσίας, nempe sponte eo delabitur Paulus Episcopus, nam in tota Epistula eschatologia praeterea non attingitur. Credibile est aliunde eum mutuatum esse id, quod nos vetat μετατίθεσθαι εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, quorum verborum vim ipse statim infringit: ὃ οὐκ ἔςιν ἄλλο et εἰ μή τινες κτέ (vss. 6 et 7). Nec fortasse fortuitum est quod ἀνάθεμα vs. 9, quod e vs. 8 desumtum est, multo mitioribus verbis iteratur: multo plus virium habet κἂν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος vs. 8, quam εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται vs. 9; alterum fieri ne potest quidem, alterum potest sane fieri: itidem aliquanto minus superbum est παρ' ὃ παρελάβετε vs. 9, quam παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα vs. 8. Corrupta verba sunt vs. 10a.

ex filo narrationis repente abrupto 2, 14, contextus nimis male habitus est, quam ut elementa in hoc fragmento historico (1, 1—2, 14) jam dirimere auderemus suaque cuique assignare.

Qui contendunt hanc epistulam uno tenore conscriptam fuisse, imprimis mirari debent tam multa obscura reperiri in historico fragmento, in quo scriptor praecipue studere debuerat perspicuitati, quo melius intelligi possent, quae inde in sequentibus derivarentur; nos quidem nihil est quod hic moretur. Epistula ad Galatas nos refert ad illa tempora, quibus jamdudum sepulta erant certamina de circumcisione et εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυςίας suum locum tutabatur juxta εὐαγγέλιον τῆς περιτομῆς. Apud Judaeos secta eorum quibus severiora omnia probabantur iique qui patriam disciplinam laxari cupiebant, sese olim acerrime impugnarant, sed Christiani ex Judaeis et Christiani ex Gentilibus hoc tamen commune habebant, quod Christi doctrinam amplexati fuerant. Tum quoque factum est quod antiquitus ubique fieri videmus diremtumque fuit de religione certamen contrarias opiniones consociando. Hoc facere instituit etiam Paulus Episcopus qui 1, 1—2, 14 novam suam et placabilem rationem implicuit opinionibus veteribus et nimis praefractis. Omne superbum, omne audax, omne severum eum ad se trahebat, sicuti mortales plerumque maxime iis rebus alliciuntur, quibus carent ipsi; sed non poterat dimittere sicuti acceperat: animus mansuetus et vere Christianus intus celabat quo generosum vinum dilueret.

Peculiaris est ratio, qua utitur 2, 11—14. Quod hodie legitur intelligi non potest; certe simulationis crimen, vs. 13, et convicium, vs. 14[b], causam idoneam non habent. Peccarat Petrus quod animus fuerat inconstans et pusillus, sed nec simularat nec quamquam coegerat Ἰουδαΐζειν. Quod ad breve tempus ἐθνικῶς ἔζη, ne aliis offensioni esset, nondum continuo locum dabat criminationi εἰ σὺ ἐθνικῶς ζῇς, quo tam gravis ab Judaeis defectio arguitur, qualis e superioribus neutiquam potest effici. Nec tamen textus bene se habet. Legitur in Vaticano utique Codice, cui merito plu-

rimum tribuitur, vs. 12b: ὅτε δὲ ἦλθεν (Jacobus), ὑπέςελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτὸν (Cephas). Non ferendam censemus eam subjectorum tacitam commutationem et libenter delebimus verba τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου, ut Cephas pariter dicatur ἐλθεῖν et ὑποςεῖλαι ἑαυτόν· sic ὅτε δὲ ἦλθεν simpliciter iteratum videbitur ex vs. 11. Hoc modo vs. 12 verbis πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν sermo fit de Cephae adventu, nimirum quid rerum egerit, antequam Antiochiam venerit. Nunc demum cognoscimus id in quo cardo rei vertitur, ut de Cephae vitae ratione judicium ferre possimus: scilicet Cephas πρὸ τοῦ ἐλθεῖν εἰς Ἀντιόχειαν μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν. Hoc Antiochiae non faciebat, φοβούμενος — quod nunc demum in aprico est — τοὺς ἐκ περιτομῆς, quum secundum vulgatum textum exspectaverit quispiam τοὺς ἀπὸ Ἰακώβου. Itaque Cephas revera simulator est, qui decipit Ecclesiam Antiochenam celando se antea alibi ἐθνικῶς vixisse. Sic demum dicitur Cephas perpetuo vixisse ἐθνικῶς et merito ei exprobratur, quod exprobratur vs. 14b.

Quis ille Cephas fuerit, ignoramus, sed postquam latius serpendo firmiter haesit opinio hunc Cepham ipsum esse Petrum Apostolum et unum de numero τῶν δοκούντων ςύλων εἶναι, Paulus Episcopus fragmentum sic simpliciter transscribere non poterat. Non Petro culpam attribuit sed vituperat ignotos quosdam, τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου, nam amat Episcopus derivare crimen in ignotos homines, cf. 1, 7: εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες et 5, 10, ad quem locum postea redibimus [1]).

Vs. 14 delendum est τοῦ εὐαγγελίου; hic enim minime quaeritur cuiusmodi sit verum Evangelium debeamusve ἐθνικῶς ζῆν an Ἰουδαϊκῶς, sed agitur de veritate, de sinceritate, de aequabilitate; nec licere contenditur nobis ὀρθοδοξοτέρους velle videri quam reapse simus. Verum hisce correctis fragmentum utilissimum est. Hic minime disputatur inter

---

1) Nunc demum apparet quam recte olim correxerimus vs. 11: ὅτι κατέγνωμεν ὃς ἦν. Qui hoc primus scripsit, norat revera qualis homo Cephas esset; norat eum *perpetuo* ἐθνικῶς vivere. Nisi hoc comperisset, concidisset simulationis crimen.

Christianos, sed res agitur inter Judaeos qui Ἰουδαϊκῶς aliosque qui ἐθνικῶς vivebant. Cephae adversarius tam perspicue ut magis non possit: εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων et quos Cephas cogere vult, gentiles sunt, τὰ ἔθνη. Propter similem causam postea lites ortae sunt inter Christianos ex Judaeis et Christianos ex gentilibus atque tunc demum illa ἀλήθεια vs. 14 facta est ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου, sed illam disputationem de vera fide post attingemus.

Jam minime mirandum vs. 2, 14 finem esse fragmenti historici, nam est haec disputationis conclusio et praeceptum generale his verbis continetur, quod ut ne animadverteretur in causa fuit pronomen personale σύ· sed haec est sententia quam scriptor tuetur: si quis Judaeus natione fractis legis vinculis, in libertatem sese asseruit, audiendus non est, si gentiles qui verum deum pie colere cupiant, cogere velit Mosaicam legem observare.

Jam demonstrabitur in altera Epistulae parte, quam dogmaticam et paraeneticam esse diximus, et Judaeum natione et Gentilem sine ullo Mosaicae legis adminiculo pie vivere et Deo placere posse. Haec demonstratio, quae tota Judaica est, ab Judaicis principiis proficiscitur et in qua non nisi Judaica argumenta adhibentur, pertinet ab 2, 14 usque ad 6, 18. Quaedam ornamenta Christiana manus addidit et adaptavit.

Documentum Judaicum inde ab capite tertio nullo negotio indicari potest, sed Pauli Episcopi paulo liberior διασκευὴ nocuit pericopae quae est ab 2, 14—21, in qua pauca sunt quae ex vetere libro fluxerunt. Ac primum habemus vs. 14: cur cogit Judaeus gentilem ea observare, quae ipsum se tuto negligere posse existimat? Respondet adversarius vs. 15: Nihil hoc hercle mirum est; sumus enim nos natura Judaei, non ex gentibus peccatores [1]). Cui Judaeus mundanus,.... εἰδότες δὲ ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου. Eodem referimus vs. 18, qui reliquis hodie mire in-

---

1) Quo sensu haec accipi solent, contextu non ἁμαρτωλοί requireretur, sed πιςεύοντες.

terpositus, recte legi poterit statim post vs. 14b. Vere enim Judaei quam legem sibi destruxerant, Gentilibus iterum exaedificabant in suam ipsorum condemnationem. Si quam legi etiamnunc auctoritatem tribuebant, se ipsos constituebant peccatores. Reliqua in his versibus Christianus quidam adscripsit [1]); multa ne intelligi quidam possunt [2]) et semel fortasse aliquid bene enunciatum est [3]); per omnia scriptor sui dissimilis [4]). Sed utcumque de hisce existimabitur, pellucent in hac pericope duae propositiones, quae in sequentibus uberius tractantur: I. Judaei mundani qui paganos, quibus volupe est Deum colere, legis vinculis irretiunt, ipsi suis manibus quod instituerunt facere, destruunt. II. Non Judaeis tantum, sed omnibus mortalibus vera justitia fide censetur.

In tertio capite inde ab versu 6 usque ad versum 25 videmus quomodo Judaeus ille, quem jamdudum quaerimus, alteram propositionem lectoribus commendaverit. Arguit conjunctio *καθώς* initio posita, quaedam periisse, neque ullo vinculo cohaerent vss. 5 et 6.

Quod demonstrabitur vss. 6 sqq. ita describitur vs. 7: *οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοι υἱοί εἰσιν Ἀβραάμ.* In ea propositione illustranda, omnia mere Judaica [5]) sunt, quod sequentes

---

1) Vs. 16. Facile agnoscitur Christiana *διασκευή*, tum propter praesens *εἰδότες* ante *ἐπιστεύσαμεν*, tum propter *ἀσύγκλωστα* illa: *εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου .... ἐπιστεύσαμεν .... ὅτι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ.*

2) Vs. 17. Qui quaerit justitiam, nondum continuo peccator est. Vs. 19a, 21.

3) Vs. 20a.

4) Vs. 19b: *ἵνα θεῷ ζήσω* et 20b nimis languent coll. vs. 20a.

5) *Mere Judaicum* et hic et alibi appellamus quod profecit ab iis Judaeis, qui Messiam (Jesum et Christum) avide exspectantes, nondum inaudiverant adesse tempus et jam de coelo descendisse *τὸν Σωτῆρα, τὸν χριστόν. Adhuc Judaicum* appellabimus quidquid profecit ab iis, qui sibi jam repraesentabant *κύριον Ἰησοῦν* mortuum et suscitatum. Christianum denique nobis erit quidquid erat illorum *σεβομένων* vel *metuentium*, nam hoc vocabulo Romanos usos fuisse comperimus, qui, quum neque Judaei neque gentiles essent, jam cognorant perfectam virtutem, quae fuit in *κυρίῳ Ἰησοῦ*; qua in re toto coelo distabant ab iis, quibus, sicuti diximus, mere Judaicum et adhuc Judaicum probabantur. Quam persuasionem nunc primum videbimus *in statu nascenti* et pannis involutam tanquam infantem in praesepio, procedente opere multo melius cognoscemus.

animadversiones satis declarabunt: Ἀβραὰμ ἐπίστευσε τῷ θεῷ (vs. 6) nec, quod exempli gratia dictum esto, τῷ μέλλοντι χριστῷ. Abrahae filii non sunt qui certae fidei addicti sunt, sed οἱ ἐκ πίστεως (vs. 7).

Nihil interest inter ἐκ πίστεως εἶναι et πιστὸν εἶναι· vide modo vs. 9: οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ.

Τοῖς ἐκ πίστεως (sic nude dictis) opponuntur ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν (vs. 10), qui numquam dicuntur vel Judaei fuisse vel Christiani ex Judaeis.

Quod maledictum est omnibus ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν quodque νόμος et πίστις nulla ratione conjungi possunt, unice derivatur ex locis quibusdam Veteris Testamenti, non ex iis quae Christiani soli vel vere accidisse credebant, vel philosophando comprobabant.

Fides qua justus vivit (vs. 11), eadem illa fides est quam apud Israelitas Propheta Habacuc (2, 4) jam norat; nullo modo conjungitur cum dogmate quodam Christianorum.

Post vss. 11 et 12 (quibus aequiparantur justitia et τὸ πιστὸν εἶναι ostenditurque exemplo Abrahae [1]) jam olim revelatum fuisse quid esset τὸ πιστὸν εἶναι), pergit scriptor quaerere cur tamen Deus tot annis post Abrahae mortem legem promulgarit. Respondetur inde ab vs. 15 (modo legas λέγομεν ὡς pro λέγω ὅμως). Manet divinum foedus, foedus olim ictum cum fideli Abraha, neque infringitur quod Deus pollicitus fuerat Abrahae et vero semini ejus, sed προσετέθη κτέ (vs. 19) [2]). Servat lex suam vim, donec vera Abrahae soboles suboriatur, donec in mundo reperiantur πιστοὶ et πιστεύοντες. Nec dedit Deus legem, quae posset vitam reddere et virtutem excitare, sed quae, deficiente unico principio, quo vita excitatur, quae fides est, h. e. deficiente vera sobole Abrahae, quae fide unice censetur, humana vitia contineret et caveret ne crescerent in immensum. Praeter πιστούς nemo prorsus beatus erit: hoc est eximium illud quod Deus pollicitus est. Hoc numquam revocabitur

1) De vss. 13; 14 infra agemus.
2) De vs. 16b vide infra.

et Abrahae tempore praeclare confirmatum fuit. Post eum πίστις sensim paulatimque ex terris evanuit adeoque mortales officii obliti sunt, ut ipsa vitia legem efflagitarint tanquam custodem cum atroci exsecratione. Nec tamen Deus mendax factus est, nec minus οἱ ἐκ πίστεως εὐλογήσονται. Sint modo πιστοὶ et exsplendescet id quod verum est: πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν (= τοὺς πιστεύοντας s. πιστούς) ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι (vs. 23) vel ἄχρις ἂν ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται. Itaque futura πίστις eadem quae futura Abrahae soboles [1]).

Ex hac quoque consideratione explicandus vs. 25: ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως (quod minime significat: quum primum educatio nostra perfecta erit, vel: postquam fideles facti sumus) jam non sumus sub paedagogo vel custode. Quod hic praedicatur, minime pendet ex singulorum hominum arbitrio. Jam venit πίστις, quae per multa saecula μέλλουσα πίστις fuit. Continuatur rerum ordo, qui post Abrahae tempora intermissus fuerat, unde fit ut jam paedagogo vel custode supersederi possit.

Cum hoc fragmento Judaico Paulus Episcopus conjunxit aliunde I. Versus 2—5, in quibus alius dicendi usus cernitur; non enim πίστις, sed πνεῦμα potius id appellatur quod summum est [2]). II. Versum primum, in quo fit crucis mentio, quae vss. 2—25 nec memoratur neque adeo memorari potuit. III Vss. 13 et 14, quorum prior cum reliquo contextu minime concinit. Quid enim? Vs. 10 sub maledicto sunt ὅσοι (sua sponte) ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν· vs. 13 autem omnes omnino mortales. Vss. 6—12 satis est esse fidelem cum fideli Abraha ut maledictum subterfugias, quo vs. 13 Christus demum nos liberare poterit. Vs. 10 mortales ἐπικατάρατοι fiunt propter Deuter. 27, 16; vs. 13 Christus fit ἐπικατάρατος propter Deuter. 21, 23: apparet haec conciliari

---

1) De vs. 24 vide infra.

2) Attendat quis ad participium ἐπιχορηγῶν vs. 5. Hoc non est verbum quod exspectamus, ne πνεῦμα aliquid fiat extrinsecus illatum et praeterea confer δυνάμεις illas et Rom. 1, 11: ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα πνευματικόν.

non posse, nam alterum maledictum effugitur, si quis se legi non subjungit neque hanc vitae normam sequi se velle profitetur; altero detruditur quis nullo suo vitio, dummodo in ligno pependerit. Serva modo vs. 13 et habebimus bellam sane sententiam: Exsecratos, — nempe qui exsecrati sunt, quoniam exsecratus est qui non totam legem observavit — eos igitur servat alius exsecratus, qui exsecratus est quoniam exsecratus est quicunque cruci affixus fuerit. Nec magis quadrat vs. 14, secundum quem versiculum Christus nos redemit ab legis exsecratione, ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται ἐν Ἰησοῦ χριςῷ [1]). Verum hoc supervacaneum fuit secundum vs. 8, nec necesse fuit gentibus Jesum afferre quod Abrahae causa jam haberent. Dele vss. 13 et 14 et ad argumentationem nihil deesse senties: non potest luculentius ostendi hos versus aliunde insertos esse: ostenditur quae πίςις sit, quae vere δικαιοσύνη sit et in ea demonstratione, qua arcanum dogma explanatur, ita fit de Jesu cruce mentio, ut omne hoc sine damno resecari possit! IV. Vs. 16 glossema οὐ λέγει — Χριςός. Cui primum debemus totum locum, is scriptor nomine Abrahae sobolis comprehendit omnes omnino fideles, quod manifestum fit vs. 19: σπέρμα (non ὅ sed) ᾧ ἐπήγγελται. Nec sane liceret pronomini relativo ipsum Christi nomen substituere. V. Extremo versu 24 glossema εἰς χριςόν. Etenim vs. 29 apparet τοῦ χριςοῦ εἶναι esse tantundem quantum ἐκ πίςεως εἶναι. Itaque τὸ ὑπὸ νόμον εἶναι numquam nos poterit εἰς χριστὸν perducere apud scriptorem, secundum quem est aeternum bellum inter νόμον et πίςιν. Παιδαγωγός servus est, qui in via pueros custodit; quo sensu hic παιδαγωγός usurpetur vss. 15—23, cum alibi videmus tum vs. 23: ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα. Est praeterea νόμος Mosaica lex, vs. 17, nec tamen omnes homines eam legem cognovisse existimantur [2]). VI. Etiam

1) Duplex ἵνα haud semel arguit epitomatorem, cuius rei deinceps alia dabimus exempla.

2) Poterit sane quis legem appellare παιδαγωγὸν εἰς χριςόν idque reapse factum esse comperiemus cap. 4; sed qui scripsit vss. 6—25 aliis praemissis diverso modo conclusionem instituere debet.

Legem

versus 26—29 aliunde desumti sunt. Argumentum est unitas humani generis, cf. vs. 28[b]; sed est hoc plane alienum ab vss. 6—25. Si quid efficitur ex his versibus, illud est: itaque vera justitia fide censetur; contra vs. 29 efficitur ex versibus 26—28: estis vos eodem jure tanquam heredes. Verba σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ vs. 29 redactori ansam praebuerunt, ut hanc pericopen cum illa conjungeret.

Itaque deletis quibusdam interpolationibus, manet nobis ea pericope quae est ab versu 6 usque ad versum 25. Ne valeant quae supra disputavimus: quaere modo quid scriptor tandem sibi proposuerit et facile agnosces haec Judaeum scripsisse Judaeis. Ad Christianos nemo umquam sic potuit scribere, nam si quid probatur, illud probatur, Christianam fidem quae proprio sensu ita dicitur, supervacaneam esse habendam. Quodsi satis fuit Abrahae πιςεύειν τῷ θεῷ et πιςὸν εἶναι, unicuique id satis esse poterit. Sed haec pericope, quae primo obtutu tam est ad explicandum difficilis, ipsa luce clarior fit, sumamus modo ab Israelita Israelitarum in gratiam eam fuisse compositam. Postquam autem Christiani sibi persuaserunt, Jesum πίςιν consummavisse, fragmentum Israeliticum de vera justitia, quae nihil contineret praeter τὸ πιςὸν εἶναι σὺν πιςῷ Ἀβραάμ, dignum visum est quae retractaretur ad ejus religionis normam, quam similia Israelitarum opuscula diu ante prae-

---

Legem Mosis vilipendi ut φρουρός diceretur et παιδαγωγός, (nam nullo in honore erant παιδαγωγοί· vide modo Sext. Matth. 7, 13, qui τίτθας καὶ παιδαγωγούς componit in unum) non ferendum videbatur ei qui duo glossemata adscripsit: vss. 19b, 20 (quae verba desumta sunt ex Actt. App. 7, 53 coll vss. 35, ubi quod ἀγγέλου legitur, mutatum fuit in μεσίτου, quum modo praecessisset ἀγγέλου et fortasse de Mose scriptor cogitavit: est certe varia lectio Μωσέως; deinde vs. 20 offert verba sine sensu, quo efficitur hanc pericopen aliquid passam esse); et vs. 22 (qui non magis intelligi potest). Aut ὑπὸ ἁμαρτίαν idem est quod ὑπὸ νόμον (vs. 23) et ἡ γραφή, a qua non multum sane discrepat ὁ νόμος (Thora), ipsa homines ὑπὸ νόμον concludet. Aut ὑπὸ ἁμαρτίαν et ὑπὸ νόμον diversa sunt et idem scriptor duobus versibus continuis eandem imaginem duobus diversis modis adhibuisse videbitur. Attendatur etiam ad verba: ἵνα — πιςεύουσιν. Non est ἐπαγγελία ἐκ πίςεως nisi quatenus est διὰ πίςεως (cf. vs. 18) itaque accepienda haec sunt hoc modo: ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἡ διὰ πίςεως δοθῇ τοῖς πιςεύουσιν. Aliquanto concinnius scribere solet is cui debemus vss. 6—25.

pararant, neque indigna erat nova persuasio quae hereditatem adiret, nam usu venit id quod inter populares nostros summus vates aliquando cecinit, Judaeum κατ' ἐνέργειαν jam Christianum esse κατὰ δύναμιν: *de aan God getrouwe Jood is Kristen in 't verlangen.*

Itaque Paulus Episcopus, quae olim Israelita praeclare scripserat, paucis quibusdam immutatis in suum usum convertit. Quod olim de Abraha affirmari potuerat, magis etiam et luculentius valebat de propria illa et perfecta Abrahae sobole, quam sub Jesu persona admirabatur et diligebat [1]).

Venimus ad caput quartum. Constat *a* vss. 1—11, *b* vs. 21—31: quibus versibus provocamur ad Christianam libertatem et *c* vss. 12—20, quibus agitur de ratione quae est inter scriptorem et lectores eius. Hic locus interpositus nullo vinculo cum reliquis cohaeret, nam si quid potuit officere lectorum amicitiae, periculum tamen nullum erat ab libertate, etiamsi quis ab ea descisceret.

Ecce argumentum capitis 4, 1—11:

Impubes filius nihil discrepat a servo, quod ad bonorum administrationem attinet manetque in tutela, quamdiu pater jusserit (vss. 1; 2). Pariter nos (οὕτως καὶ ἡμεῖς) antea legis servi eramus, sed Jesus nos redemit ut adoptaremur et essemus in patria potestate.

Verum hic nulla cernitur comparatio nec locus est conjunctioni οὕτως. Sumusne liberorum ingenuorum similes, qui aliquando sponte sui juris fient? An servorum similes sumus, qui nisi pretio dato non manumittentur? Sumusne denique liberi naturales an adoptivi? Frustra quaeres: nemo respondet.

Deus mittit Filium suum ut fiamus adoptionis participes

---

1) Credibile est eum vs. 16 post σπέρμα αὐτοῦ addidisse ὅς ἐςι χριςός· dixeris postea demum bellam epexegesin esse additam. Atque nunc, postquam explanavimus vss. 6—25, melius etiam intelligimus 2, 15, cuius haec est sententia: Nos natione Judaei nec peccatores ex Gentilibus, ita nonnulli ratiocinabantur, jam superavimus legem nobisque inutilis est talis φρουρός vel παιδαγωγός· sed eiusdem legis ope Gentiles etiam nunc educari oportet.

(vs 4; 5). *Deinde* mittit Deus spiritum Filii sui qui clamat: Abba pater (vs. 6; 7).

Denique Filius Dei factus est legis servus (vs. 4) [1]).

Scriptor demonstrare coeperat vs. 1, impuberem hominem ad adultam aetatem pervenire — quae mutatio pendet ex annorum numero — atque illinc efficit, vs. 7, hominem qui servus fuit, adoptivum filium evadere, — quae mutatio minime indidem pendet. Hinc delabitur ad singularem numerum, quod mirum sane est post vs. 6, sed magis etiam subit mirari qui vs. 7 dicatur non esse filius quin heres sit, quasi vs. 1 non eodem loco habiti essent filius et heres. Praeterea vs. 8—10 docemur nos non pie colere verum Deum, si certa tempora observemus, sed quomodo scriptor adactus fuit ut veram religionem tam incredibiliter opponeret iis quae Vetere Testamento constituta fuerant?

Hic desideratur sententiarum nexus et contendimus varia fragmenta indecore conglutinata fuisse ea ratione, quam supra epitomatoris propriam fuisse vidimus. Fuerunt ab initio loci quos indicabimus: *a*, vss. 1; 2; *b*, vs. 3; *c*, vs. 4; 5; *d*, vss. 6; 7; *e*, vss. 8; 9; *f*, vss. 10; 11.

Sex fragmenta olim in uno eodemque libro lecta fuerunt, in quo idem quaerebatur quod cap. 3 tractatur, quae sit vera pietas vel justitia. Separatim dictum fuit de Judaeis et de gentilibus, unde ortae duae locorum series, quae in hodierno contextu contaminatae sunt.

Primum ad Judaeos pertinent: vss. 1; 2; 4a, (usque ad χρόνου); vs. 6 (inde ab ἐξαπέςειλε); vs. 7 (omissis supervacaneis verbis: εἰ δὲ υἱός — θεοῦ); vs. 10; 11. Lex penes quam tutela olim fuit, suo tempore locum cessit πνεύματι· haec est causa cur Judaei jam Ἰουδαϊκῶς ζῆν non debeant.

---

1) Hoc solum significare potest quod legimus: γενόμενον ὑπὸ νόμον. Non significat: homo factus; etenim hoc jam inest in verbis γενόμενον ἐκ γυναικός· nec magis significat: Judaeus factus, ne verba vs. 5: ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ ostendant, Jesum solos Judaeos redimere; nec magis: ὑπὸ παιδαγωγὸν vel ἐπίτροπον· quam enim mira atque incredibilis similitudo foret? nec magis ὑπὸ κατάραν, non enim sequitur ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν λάβωμεν, sed ἵνα τὴν υἱοθεσίαν, Nec praeterea vss. 4—11 de exsecratione sermo fit.

Ad gentiles referuntur versus 3; 8; 9: quem locum νόμος tanquam ἐπίτροπος apud Judaeos tenet, idem locus est ςοιχείων τοῦ κόσμου apud gentiles, qui sese ab illorum auctoritate liberare debent, ut verum Dei cultum addiscant. Verum sicuti Judaei ad legem, sic gentiles redierant ad sua ςοιχεῖα.

Hoc maxime modo in 4, 1—11 omnia recte intelligi possunt, postquam transposuimus tertium versum ante versum octavum. Tantummodo delenda sunt verba quae leguntur vss. 4; 5, quibus locus non est quique soli Christianam manum produnt nec recte explicari possunt [1]). Eliminatis 4[b]; 5; 6[a] (ἐξαπέςειλεν — ἐςὲ υἱοί) et vero restituto ordine obtinebimus:

I. Ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐςιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου, κύριος πάντων ὤν, ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐςὶ καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τῆς τοῦ πατρός (vss. 1; 2). ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου (vs. 4), ἐξαπέςειλε τὸ πνεῦμα εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν κρᾶζον Ἀββᾶ ὁ πατήρ (vs. 6), ὥςε οὐκέτι εἶ δοῦλος, ἀλλὰ υἱός (vs. 7), deinde vs. 10 et 11.

II. Ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ ςοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένα· (vs. 3) ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεὸν ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσι θεοῖς· νῦν δὲ γνόντες θεόν, μᾶλλον κτέ.

Postquam comperimus idem argumentum tractari cap. 4, 1—11 quod tractatum fuerat cap. 3, apparet πίςιν, ἐλευθερίαν et πνεῦμα significare plane idem. Itidem συνώνυμα sunt vocabula σάρξ et νόμος.

In pericope *b*, vss. 21—31, continuatur argumentatio, quae instituta fuerat cap. 3. Non fuit νόμος cui Abraham acceptam debebat justitiam (3, 6); non fuit σάρξ, quae dederat heredem (4, 23); sed ἐπαγγελία causa extiterat et justitiae et heredis.

Sed heredem Abraham nactus est partu τῆς ἐλευθέρας

---

1) Jam indicabamus quam nihil cogitaverit, qui scripsit γενόμενον ὑπὸ νόμον, nec ferimus υἱοθεσίαν, ubi liberi naturales intelliguntur minimeque adoptivi. Denique vs. 6 ἐξαπέςειλεν desumtum est ex quarto versu ἐξαπέςειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ, et quam mire Spiritus *missus* dicitur, nec Spiritus tantum sed Filii Spiritus.

itidemque nos κατὰ Ἰσαὰκ, hoc est intercedente libertate, sive κατὰ πνεῦμα (vs. 29) evadimus ἐπαγγελίας τέκνα. Sicuti Ismael persecutus est Isaacum, sic σαρκικοί, qui ab lege omnia repetunt, persequuntur πνευματικούς. Sed quid refert? Eiicitur παιδίσκη. Αὗται γάρ (sic enim pergit, modo locum ante recte emendaveris vs. 24—28), εἰσι δύο διαθῆκαι, ἡ μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἡ δὲ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα, ἥτις ἐστὶ μήτηρ ἡμῶν, deinde vss. 27; 28 [1]). Est foedus ab Sina monte, nempe legis; aliud est foedus ἐλευθερίας (πνεύματος, πίστεως), quod ab Hierosolymis portenditur nobis. Hierosolyma intra muros habent paucos πνευματικούς, sed ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου (urbis legitimo suo rege destitutae) μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα (Romae?) Illa urbs vera mater verae Abrahae sobolis, quam mille σαρκικοί conculcant. Ad arma! Ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· Judaeos orthodoxos, quibus mons Sina patria est: ὑμεῖς ἐπαγγελίας τέκνα.

Hoc modo erant inter Israelitas qui delectabantur commemoratione eorum quae legerant Vat. Jes. 54, 1. Hierosolyma! o si vestri obliviscerer! Vidua videatur urbs olim deo consecrata, quam nobilia vaticinia extulerunt (וְהָיוּ עֵינַי וְלִבִּי שָׁם כָּל־הַיָּמִים 1 Regg. 9, 3 in fine); zelotae sint et phari-

1) Delenda sunt quae expunximus et res incurrit in oculos: 1°. ἅτινα (vs. 24) non habet quo referatur. 2° Nec sequitur ἀλληγορία (quae secundum Quinctilianum (8, 6, 44) „aliud verbis, aliud sensu ostendit"). Eorum quae *verbis* traduntur Gen. 21, 2; 9 et 17 historica veritas non in dubium vocatur, nec negat scriptor Patriarcham duos habuisse filios, quod totius demonstrationis tanquam fundamentum est. Qui scripsit: ἅτινα ἀλληγορούμενα non melius quam Lutherus in conceptis verbis, quibus S. Coena instituta esse fertur, intelligebat copulam in illis: αὗταί εἰσι δύο διαθῆκαι. 3° ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ (24b) genuinum esse nequit; nam scriptori Agar jam nusquam comparet et cogitat διαθήκην quam Agar repraesensat: διαθήκη, inquit, ea est a monte Sina, διαθήκη τοῦ νόμου. Non est Sina Hagar, sed Hagar Sina, id est lex. 4° συστοιχεῖ — αὐτῆς: haec verba prohibent quominus rerum nexus appareat. Nihil nunc refert Hierosolyma in potestate Romanorum esse; sed post verba εἰς δουλείαν γεννῶσα, quam facile interpolatori dolor haec extorquere potuit. 5° Τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ opponitur ἡ μέλλουσα Ἱερουσαλήμ. Supervacaneum est affirmare liberam esse coelestem urbem Hierosolyma, sed est propemodum ridiculum *futuram* urbem nostram matrem nominare. Denique cur ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ vidua et sterilis est?

saei, *υἱοὶ τῆς παιδίσκης*, qui eam teneant: tamen est manetque vere *ἐλευθέρα* et qui periturae legi addicti sunt *εἰς δουλείαν γεγέννηνται.*

Juxta haec quae poetarum ritu magnifice enunciata sunt, glossemata in oculos incurrunt, quae primo obtutu puerilia sunt, sed quorum, dummodo excipias 24[b] et 25[a] diversa est ratio. Paulus Episcopus, quum aliunde mutuabatur pericopen, in qua pneumatici Hierosolyma celebrabant, quorum causam nondum deseruerant, uti non poterat vss. 21—31 eo sensu quo primitus conscripti fuerant. Sed captis Hierosolymis, oculi sursum attollebantur et urbs, quae jam penitus interiisse videbatur, fiebat *ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ* addiditque verbum *ἐςίν* post *ἐλευθέρα.* Quod respiciebatur Jes. 54, 1, id impedimento esse non poterat, nam *ἡ Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος, ἡ καινὴ Ἱερουσαλὴμ* (Hebr. 12, 22; Apocal. 21, 2) non perpetuo in coelo remansura erat. Jam videbat *καταβαίνουσαν .... ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς* et mentis acie intuetur Hierosolyma coelestia tanquam Ecclesiam Christi, matrem aliquando multorum futuram. Paulo Episcopo revera allegoria adesse videbatur, nec Jesaias 54, 1 vaticinatus fuerat sed per imagines erat locutus [1]).

Verba *ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱόν* (4, 30) animum superbum produnt Judaei pneumatici et nemini cedentis. Eundem deprehendimus in extrema epistula, inde ab 5, 16 [2]).

Cap. 5, 16—6, 18 quae leguntur, neque inter se cohaerent, neque referuntur ad id quod caput est in partibus dogmaticis hujus epistulae.

Verborum *πνεῦμα* et *σάρξ* duplex est significatio, adeo ut vss. 16—19 e regione sibi invicem opponantur, sed vs. 23 a severitate demonstrationis aliquid remittitur. Deinde quomodo 5, 22 *πίςις* recenseri potest inter fructus *πνεύμα-*

---

1) Decurrit pericope usque ad versum 30. Vs. 31a languidam agnoscimus repetitionem; vs. 31b Christianus quidam amplificavit, neque accurate intelligi possunt verba: *τῇ — ἠλευθέρωσεν*, nam libertatis filii jam emancipati sunt. Hic quoque sequimur Vaticanum Codicem.

2) Dicemus infra de 4, 12—20 et 5, 1—15.

τος? Quo sensu νόμος τοῦ χριστοῦ appellatur 6, 2b? Pugna est inter 6, 2a et 6, 5. Vs. 6 verba sunt sine sensu. Vs. 7 plane διὰ μέσου est positus. V. 8. commode explicari nequit. Vs. 9a interrumpitur filum, quo ducimur ab vs. 8 ad vs. 9b, quod iterato verbo θερίζειν arguitur. Quorsum pertinet vs. 10? Quorsum vs. 11? Undenam repente sese intulit vs. 12 cum ridiculo illo εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί et quibus tandem in terris *decorum* umquam habitum est περιτετμῆσθαι? Non pudor est confiteri nos nescire quid sit τῷ σταυρῷ διώκεσθαι. *In carne gloriari* et *in cruce gloriari* locutiones sunt, quae quam absurdae sint, melius sentiremus, nisi longa consuetudo obtudisset mentis aciem. Deinde quam inexpectato post 3, 1 fit crucis mentio, nam vs. 5, 11 vix in censum venire potest? Breviter iteratur 6, 15, quod melius jam dictum fuerat 5, 6. Quomodo distinguitur vs. 16 inter eos ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν et τὸν Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ? Ferendumne futurum est in sententia generali? Denique quam iners illud est vs. 17: *nemo mihi molestus sit*, quum praesertim sequatur quod nunc quaeri poterit an non mystice accipiendum sit: στίγματα τοῦ Ἰησοῦ βαστάζω! Verbo, jure nostro contendimus solitis interpretandi artificiis hic nil quidquam profici.

Mordicus retineamus significationem vocabulorum πνεῦμα et σάρξ, quam agnovimus in fragmentis, quae hucusque tractavimus. Quoties ea primitiva significatio mutabitur, alium scriptorem agnoscere licebit.

Manet pristinus usus cap. 5, 16—18. Quodsi σαρκὸς nomine hic voluptatem intelligemus, etiam minus assequemur quid sit πὸ πνεῦμα ἐπιθυμεῖ κατὰ τῆς σαρκός, licet id etiam per se ipsum spectatum satis obscurum sit, quocunque tandem modo sumatur. Nobis duae erant factiones quibus πνεῦμα et σάρξ pro tesseris erant, sive Hebraice forte *shibboleth* appellare mavis. Ab utraque parte utrique contrariis rebus student (sicuti supra erat 3, 23 πίστις = πιστεύοντες). Εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε, liberum vobis est vitae genus nec quisquam vos cogere poterit Ἰουδαϊκῶς ζῆν.

Quas duas factiones diximus, Judaeorum erant. Altera

erat pneumaticorum qui πνεῦμα colebant nihilque ad salutem pertinere arbitrabantur oeconomiam legis, quae perduceret ad κατάραν. Altera factio duplex erat, nam partim Judaei erant, legis observantissimi sectatores, qui ne προσηλύτους quidem adsciscebant, quum Gentilis ab Abraha nunquam adoptari posset; reliqui hujus factionis homines ipsi quidem pneumatice philosophabantur et ἐθνικῶς vivebant, sed quam sibi expetebant libertatem, eam gentilibus, qui Deum colere volebant, neutiquam concedebant, quandoquidem iis opus esset eadem educatione et institutione, quae Judaeos per saeculorum decursum tandem ad fastigium produxisset et quasi in arce constituisset.

Hanc igitur alteram factionem scriptor respicit vss. 16—18 itaque hoc modo lectores adhortatur: Ambulate convenienter nostrae pneumaticae doctrinae. Omnibus modis obviam ite σαρκικοῖς, qui ex lege pendent. Cavete ne quapiam in re iis morem geratis, nam nihil nobis cum iis commune esse potest. Si πνεῦμα vobis dux est, legi obnoxii non eritis. Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται (6, 7 sqq.). Quod quis severit, ita metet. Quidquid adversariis gratum feceritis (εἰς τὴν σάρκα), φθορά est (nam ἑαυτοῦ post σάρκα delendum). Πνεῦμα si secuti fueritis (nec legitur πνεῦμα ἑαυτοῦ), aeterna vita continget vobis. Multo minus severus fuit Paulus Episcopus, qui vs. 10 adscripsit.

Hinc scriptor acerbe invehitur in eos, qui hominibus utriusque factionis placere cupiebant. Turpe est quod assequi conantur. Secedunt a nobis, quibus directa via unice probatur, jubentque gentiles περιτέμνεσθαι, non quod principium tuentur a nobis diversum, sed quod contemta virtute sese applicant ad id, quod honesta species suadere videtur (vs. 12). Idem hodie vitio datur iis qui jamdudum aedes sacras non frequentant nec tamen minus pueros et ancillas sedulo eo mittere solent. Hoc est quod legimus vs. 13: οὐδὲ γὰρ οἱ περιτετμημένοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν κτέ. Vestra circumcisione, o Gentiles, gloriari vult σάρξ, i. e. gloriari volunt Judaei illi nimis severi (sicuti supra ἑαυτοῦ vs. 8, sic vs. 13 stultum illud ὑμετέρᾳ ante σαρκὶ

delendum est). Equidem, inquit, apud illos gloriam mihi comparare nolim. Ne me collaudent qui ἐν σαρκὶ sunt. Περιτομὴν et ἀκροβυςίαν nauci non facio; plane nihili sunt; nihil novi praeter καινὴν κτίσιν (vs. 15) et quotquot hucusque maluerunt εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, sed in posterum meam vitae normam probabunt (itaque cum Vaticano Codice retinendum *futurum* ςοιχήσουσιν). Pax super illos et misericordia et supra Israel Dei, h. e. universum gregem fidelium sive πιςῶν, qui tum ex circumcisione tum ex praeputio sunt, sed omnes Πνεῦμα sectantur.

Paulus Episcopus non erat is, qui silentio transmitteret eximium fragmentum, in quo scriptor omnia putida deridens et odiose persecutus eos qui patrum traditionem tutabantur et Judaeis propriam vivendi consuetudinem, quum unice virtutis ratio deberet haberi, tandem imitatus veteres Prophetas (cf. Ies. Vat. 1 passim), quantum novimus omnium primus id pronunciavit, quo vincula omnia solvebantur: nempe καινὴν κτίσιν spectandam esse idque esse agendum ut animus quasi renasceretur. Itaque nihil resecuit, nihil addidit, sed intactum reliquit generosum versum 6, 15.

Alibi minus parcus verborum fuit et judicium desideramus. Intelligi nequit vs. 12b (μόνον ἵνα — διώκωνται), valetque idem in his Epistulis de plerisque versibus, quos Christiani addiderunt. Vs. 14b verbis εἰ μὴ ἐν ςαυρῷ κτἑ infringitur vis tersae sententiae: ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι. Qui circumcisionem imponunt, gloriam quaerunt apud alios. Egone? Deus avertat. Gloriolam teruncio non emerim. Qui ita loquitur, huic dejerare non opus est, nec frigide ludet (κἀγὼ κόσμῳ), quo verba meliuscule cadant.

Additamenta Pauli Episcopi imperite enunciata sunt, sed indolem produnt de meliore luto fictam. Quid enim? Qui ab omni gloriae cupidine sese segregavit, is revera sese applicuit ad eum qui relictus ab omnibus solitarius pependit in Calvariae colle. Qui omnium mortalium longe perfectissimum illum esse videbat, quem occaecatus populus devoverat, huic propemodum triumphanti exclamare licebat: ἐμοὶ κόσμος ἐςαύρωται. Auctor primarius et totus in rebus quas

pertractat, non facile incidisset in id, quod sponte sese offert διασκευαςῇ aliena relegenti et in suos usus convertenti.

Christianam originem praeterea produnt 5, 19—26. Ab ingenio illius Judaei quem toties diximus, alienum est tam protrita scribere, quale est illud vs. 21[b]: ὅτι τὰ τοιαῦτα πράσσοντες κτέ. Vs. 22 πίςις juxta χρηςότητα ponitur et asseveratur vs. 23: κατὰ [τῆς πίςεως] οὐκ ἔςι νόμος. Lenis est ironia Pauli Episcopi, qui spinosis illis disquisitionibus minime delectatur. Quantumvis, inquit, πνεῦμα extuleris et legem depresseris, virtutes tamen illae omnes, χρηςότης, πίςις, cet. minime adversantur legi, quam tam odiose impugnas. In paraenetico versu 24 agnoscimus eandem manum, quae scripsit 6, 14[a].

Post vs. 24 fragmentum Christianum, quod pertinet usque ad 6, 6, magis etiam memorabile fit, primum propter πνευματικῶν nomen, deinde propter Episcopi mansuetudinem, quae imprimis elucet, sicubi conferas cum superbia, quam illic offendimus. Nec metuimus ne quis nos verborum lusus aucupari arbitretur, sed judice Paulo Episcopo, pneumatici nimios spiritus gerunt. Quantivis pretii πνεῦμα est, sed demissior animus admixtus nihil nocebit. Quanam in re cerneretur illa κενοδοξία 5, 26 apparet et attendat quis ad verbum προληφθῇ, 6, 1. Non ostenditur quomodo in viam reducendi sint qui peccarunt; sed quomodo nos gerere debeamus erga eos, qui *antequam* inter pneumaticos reciperentur, turpi piaculo sese polluissent. Illa erat pneumaticorum κενοδοξία quod se multum praestare putabant iis, quos forte compererant *olim* gravi vitio prolapsos fuisse. Nimirum genuinus pneumaticus ab ineunte aetate semper integer vitae scelerisque purus fuerat [1]).

Vs. 2 minime negligendum est additum τοῦ χριςοῦ. Jam antea exposuerint pneumatici Judaici id quod postea apud Christianos in dogmatica praecipuum caput fuit, tamen quum primum pneumatici Christiani facti sunt, novus

---

1) Ante σκοπῶν lacuna est, quod numerorum mutatio arguit.

quasi animus iis instillatus fuit, quem Paulus Episcopus textu leniter immutato νόμον χριστοῦ appellavit. Ex eodem fonte sunt vss. 9 et 10, sed ut scriptorem illum Christianum penitus cognoscamus, nos convertimus ad 5, 1—15, [1]) in qua pericope nova quaedam offendimus.

1. In hac epistula alibi legimus, nemini circumcisionem necessariam esse, neminem cogi oportere ut circumcidatur, περιτομὴν et ἀκροβυστίαν nihili esse; nec quaeritur capite tertio num forte Abraham circumcidendo se periculum adierit, ne non πιστός fuisse videretur. Contra 5, 1—15 circumcisio admodum diserte condemnatur. Ἐὰν περιτέμνησθε, χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει (vs. 2).

2. Attendat quis ad medium verbum περιτέμνεσθαι 5, 2; 3, coll. cum Gal. 2, 3; 14[b]; 6, 12; 13. Vs. 5, 2; 3 censentur homines ultro petere ut circumcidantur; alibi legitur: quid aliis molestias creas inutile onus imponendo? Hic legitur: noli ipse ut salveris perversam viam ingredi; alibi scriptor disputat adversus eos, qui circumcidi jubent alios. Vss. 5, 2; 3 scripti sunt in eos, qui ipsi circumcidi cupiunt: παντὶ ἀνθρώπῳ (non τῷ ἀναγκάζοντι τὰ ἔθνη περιτμηθῆναι, sed) περιτεμνομένῳ. Alibi impugnatur vetus institutum quod inutile est; hic condemnatur, quod ὁ περιτεμνόμενος ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι et a circumcisione tota lex pendere videtur. Conferantur praeterea 6, 15 et 5, 6 et facile agnoscentur duorum scriptorum ma-

---

1) Hic praeterea examinaremus vss. 4, 12—20, sed nimium obscuri sunt. Οὐδέν με ἠδικήσατε· num negatur corpori factam injuriam? Sed quam languide hoc enunciatum est, quum praesertim sequantur vss. 14; 15. Num negatur, debitum honorem non fuisse tributum? Verumtamen ἀληθεύων inimicus factus erat (vs 16). Nec magis intelligimus vs. 13: ὅτι δι᾽ ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην vel τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε, ubi nihil refert legamusne ὑμῶν an ἡμῶν, nam utrumque aeque stultum est. Quanta inest exaggeratio in vss. 14b et 15! Quam inexpectatum accidit perfectum γέγονα! Vss. 17; 18 meri stribligines sunt, nec magis sensum assequimur vs. 19, nam non partu foetus formatur, sed quamdiu in utero gestatur. Quid est illud πάλιν? Quid in hoc contextu significat ἀλλάξαι τὴν φωνήν? Ne conjicere quidem possumus, quomodo pericope, cui librariorum negligentia nihil admodum nocuisse videtur, tamen tam male mulcata sit. Illud certe constat, quum lenibus remediis nihil proficiatur, advocandam esse Criticam sublimiorem, quae dicitur.

nus. Etenim 6, 15 luce clarior est, sed ambigue scriptus est 5, 6. Quid significat οὐκ ἰσχύει ἀκροβυςία ἐν χριςῷ? Nam ἐν χριςῷ vix quidquam esse poterit nisi *per* Christum. Deinde in verbis ἐν χριςῷ .... ἰσχύει .... πίςις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, non est sane πίςις aliquid absoluti, sed πίςις certae cuiusdam personae; itaque in hoc versu ne ἀκροβυςία quidem absolute sumi poterit et intelliguntur ii qui legis caerimoniae satisfecerunt.

Secundum Paulum Episcopum opposita sunt περιτομὴ et χριςός, non quod duo sunt principia ex intima philosophia depromta, sed quod, ut ita dicamus, duae ecciesiae [1]). In altera salus pendet a circumcisione. Qui circumciditur, sciat quid agat; etenim legi se subjicit et reapse salutem recusat, quam Christiana ecclesia ovibus suis ostendit. Erant, uti conjicimus. qui utrimque lucrari cuperent, sicuti iis temporibus, quibus effectum est protestando ut Ecclesiae ratio emendaretur, multi erant qui sacerdotem veteris normae liberos suos baptizare juberent, dum ipsi cupide confluebant ad concionatores, qui per agros sub dio meliorem viam monstrabant. Hos incusabat Calvinus clamando: Quid Domino cum daemoniis? Ac pariter 5, 2: οὐδὲν ὠφελήσει ὑμᾶς χριςός, ἐὰν περιτέμνησθε. Deinde callide, Attendite, inquit, cavete ne obnoxii fiatis integrae legi. Hic enim corpus intelligitur inutilium praeceptorum et cerimoniarum incredibiliter molestarum.

---

1) Ἐν γὰρ χριςῷ (vs. 6), ἐν νόμῳ (vs. 4), non personam indicat, sed societatem. Attendat modo quis ad κατηργήθητε ἀπὸ χριςοῦ (vs. 4). Vide illud καταργεῖσθαι cum praepositione ἀπό conjunctum Rom. 7, 2. Hic si Christi nomine persona intelligeretur, expectaremus, non: evacuati estis a Christo, sed: Christum negastis. Deinde ut generalis regula indicaretur, praeferendum foret praesens tempus. Haud raro in Epistulis χριςός idem est quod Ecclesia Christiana, τὸ σῶμα χριςοῦ. Confer vs. 9: quid enim φύραμα indicare potest praeter intimam conjunctionem et universam Ecclesiam? Accedunt vs. 12 ἀποκόψονται et οἱ ἀναςατοῦντες. Nunc etiam intelligimus lectionem Vaticani Codicis vs. 1, ςήκετε, sine ullo additamento. Etenim significat: perstate in ea fide quam nostis. Cf. Rom. 11, 20; 1 Cor. 10, 12; 15, 1, ubi Codd. D et G ςήκετε habent; Eph. 6, 14; 1 Petr. 5, 12. Quod ex Codicum lectionibus apparet, librarii versum primum omnibus modis tentarunt.

Translata e schola quaestio intra Ecclesiae muros de dignitate aliquantum remisit. Ne hoc quidem indicatur quid proprie intersit inter περιτομήν et χρισόν. Duae inter sese Ecclesiae digladiantur. Vetus illud ἐξ ἔργων νόμου factum est ἐν νόμῳ. Pastoris admonitiones audimus in illis: δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη vs. 6 et in suavi versu 7. Jam omnes contenti esse poteramus: cur tandem clam irrepserunt, vs. 10, qui fidum gregem turbarunt? Paulus Episcopus aut non potest aut fortasse non audet nominatim compellare malevolum hominem qui ἀρχέκακος et omnium malorum origo fuit (ὅστις ἂν ᾖ). Non agnoscit duarum factionum internecivum bellum, sed omnia secundum eum insunt in ea doctrina, quam ipse accepit aliosque docuit, a qua qui recedit, paret malis artibus scelesti viri cuiusdam, qui omnia interturbat. Est quidam ταράσσων 5, 10; sint necesse est ταράσσοντες (1, 7) et ἀνασκευοῦντες (5, 12). Magicas incantationes odoratur (5, 8). Omnia perquirit, neque usquam latitantem fraudem deprehendit: θαυμάζω (1, 6) τίς ὑμᾶς ἐβάσκανεν (3, 1); τίς ὑμᾶς ἐνέκοψεν (5, 8)? Tandem provocat ad misericordiam: nolite mihi molesti esse (6, 17): ego enim stigmata domini Jesu in corpore meo porto. Fortasse vapularat.

Quum ipse careret propria doctrina, firmis fundamentis innixa, quid mirum erat si Paulus Episcopus interdum haesitaret? Suum vitae institutum defendere debebat (5, 11), nam criminabantur malevoli quidam, quod interdum haud satis fortiter docuisset discrimen περιτομῆς et χρισοῦ, quin et commendavisset περιτομήν et gratiam dei sprevisset (2, 21). Itaque provocat ad persecutiones quibuscum conflictatur: adversarii certe norunt qualis sit.

Quod suis displicebat, id minime miramur. Ingenium alienum ab tortuosa dogmatices dialectica, offendiculo erat quod Laodicenum teporem spirare videbatur. Non erat is, qui Christianam doctrinam ministerio suo promoveret. Crucem adorat, sed non ducit operae pretium, paulo luculentius exponere, quid tandem crux illa significet, nihil enim huc pertinet 3, 13. Κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ· hoc audito lectores jam contentos esse oportet.

Verumtamen illud σκάνδαλον amabili homini et generosae indolis longe praecipua res erat. Diligebat crucem tanquam symbolum contumeliae, qua Jesus affectus fuerat (cf. Rom. 1, 16. 1 Corinth. 1, 23). Scriptor depingit se ipsum 5, 14. Quale hoc verbum est in extrema epistula tam gravi tamque controversa! Si νόμος impletur in hoc: diliges proximum tuum sicut te ipsum, nonne supervacanea fit tota de lege disputatio? Ἐλθούσης τῆς πίστεως, exclamarat 3, 25, jam non sumus legi obnoxii. Quid id nostra refert, si quidem lex nihil complectitur praeter universam ac perfectam caritatem?

Semper in Ecclesia Christiana homines fuerunt, qui sive flagrante certamine sive pace jam composita, post acerrimas aliorum dimicationes, verba protulerunt, quorum mira simplicitas summa suavitate condita alios adegit ut quaererent, essetne revera operae pretium tam pugnaces et iracundos esse. Non promovent tales homines doctrinam; sed conciliant animos et plurimum conferunt ad ecclesiasticae disciplinae emendationem. In disputationibus de dogmate aculeos involvunt quasi pacifera taenia ne quid laedant. Ubi exponunt res ante gestas, haud magis accurate veritati student quam hic scriptor Galat. 1, 1—2, 14; ubi dogmata interpretantur, affirmant dum negant et negant dum affirmant, sicuti fit Gal. 2, 14—6, 18. Sed tandem multos ad se alliciunt; sunt qui delectentur sententiis fortiter enunciatis, quales sunt Gal. 2, 5; 6 vel 5, 2; alii admirantur concordiam depictam 2, 9 vel splendide dictum 5, 14 et post saeculorum decursum, sepulta omni illorum certaminum memoria, vix licet suspicari haec omnia e diversissimis fontibus profluxisse.

CAPUT QUARTUM.

PRIMA EPISTULA AD CORINTHIOS.

Omnium primum in hoc opusculo animadvertimus, inesse argumenta, quae plus semel tractantur et quidem ita ut dubia diversa interdum ratione solvantur.

§ I.

Tractantur Iudaica fragmenta.

Antequam ea de re quaerere instituamus, juvat examinare num forte hic quoque factum sit, quod alibi factum esse ostendimus, et Paulus Episcopus Judaica fragmenta retractaverit ut Epistulae insereret. Ac statim eo pertinere conjicimus Capp. 1—3 et pneumaticis Judaicis adsignabimus Cap. 1, 12; 19—21; 25. 2, 6—8[a]; 9—15. 3, 4—9; 21; 22[a]; (4, 2).

Quod statim ab initio apparet, huius Epistulae scriptor, sed redactorem eum appellare malumus, Paulus Episcopus quem appellare consuevimus, vult excitare lectores ad concordiam eosque jubet τὸ αὐτὸ λέγειν (1, 10). Quod hic facere jubemur, tam grave tamque admirabile est, ut statim aures nostras advertat. Hinc epistulae interpretatio proficisci debet, nam sentimus hoc esse in Episcopi consilio primarium.

Jam perspicuum est ad illud consilium referri vss. 9—11, sed non poterit continuo idem affirmari de vs. 1, 12; nam quod quisque adsciscit praeceptoris sui nomen, potest id esse sane discordiae indicium, sed idem faciunt qui

ipsi sapere non audent et aliorum opinionibus serviunt.

Non illud hic usu venit, sed unice cogitandum est de iis, qui nondum didicerunt natare sine cortice. Luculenter hoc apparet, si quis modo observaverit *easdem res eodem* ordine tractari capite primo et capite tertio. Ecce schema:

1, 9—11 = 3, 1—3 (agitur de rixis).
1, 12 = 3, 4—9 (de locutione ἐγὼ Παύλου).
1, 13—18 = 3, 10—17 (scriptor se suumque ministe-[rium cum aliis comparat).
1, 19—28 = 3, 18—20 (agitur de sapientia divina et [humana).
1, 29—31 = 3, 21—23 (nos gloriari non debere).

Hinc probabiliter efficitur, vs. 1, 12 explicandum esse eodem modo quo 3, 4. Verum enimvero minime incertum est, quid 3, 4 significet. Culpatur qui sive Pauli sive Apollo se esse perhibet, non quoniam discordia inde arguitur; (minime enim sequitur vs. 5 Paulum et Apollon idem docere) sed quoniam apparet discipulos suo judicio nondum confidere et sponte oblivisci, mortales esse Paulum et Apollon: τίς οὖν ἐςὶν Ἀπολλώς; τίς δέ ἐςιν Παῦλος; Nimirum διάκονοι, nihil aliud. Quodsi autem διάκονοι sunt, potero tamen hunc libentius sequi quam illum et contendere esse me sive Pauli sive Petri, sed per caput Pauli vel Petri *jurare* non licebit. Praeterea si vs. 4 vituperaretur discordia, legeremus vs. 9: omnes fratres estis; sed quum castigatur judicii infirmitas, consentaneum est quod sequitur: divinitus instructi estis omnes (θεοῦ συνέριθοι [sic legimus], θεοῦ γεώργιον, θεοῦ οἰκοδομή). Hinc recte concluditur vs. 21: ὥςε μηδεὶς καυχάσθω ΕΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ. Vides autem quo tendamus, nam, si 1, 12 idem significat quod 3, 4, sequitur versum alienum esse ab eo contextu, in quo hodie legitur.

Animadvertimus vs. 1, 12 Christum, Paulum, Apollon, Cepham omnes eodem loco haberi. Magistri sunt, mortales, de quorum nomine ipsi discipuli nomen accipiunt. Quodsi Christus hic Dei filius foret, quis vituperaret τὸ Χριςοῦ εἶναι? Ipse dicit 3, 23 sine ulla reprehensionis specie: ὑμεῖς δὲ Χριςοῦ. Itaque 1, 12 Christus mortalis praeceptor est, sed

vs. 1, 13 Christus caput est ecclesiae cui praeest [1]). Quin et tantum intervallum interest inter Christum et Paulum, ut ex absurdo procedat argumentatio: Παῦλος ἐςαυρώθη περὶ ὑμῶν, ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε;

Non magis copulari potest vs. 1, 12 cum 1, 9—11; primum quia duodecimo versu non agitur de rixis (vs. 11); tum quia scriptor minime refert ea quae Chloe narravisse putanda est; denique quia commendabile illud τὸ αὐτὸ λέγειν impulisset scriptorem ut vs. 12 aliquid scriberet in hanc sententiam, neminem Pauli vel Apollo nomen adsciscere debere, sed unice Christum sectari [2]).

Examinatio fragmenti pneumatici judaici sponte nos ducit ad 1, 19, in qua pericope retractatur Vat. Jes. 29, 14.

Vetante Deo, tamen Ezechias contra Assyrios opem petivit ab Aegyptiis. O stultum consilium Deo diffidentis! O occaecationem sub versutiae specie male latitantem! Evertet Deus sapientiam callidorum illorum homuncionum (τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω).

Hunc Jesaiae locum scriptor seorsum spectat, mutato κρύψω in ἀθετήσω, quo singularis vis sententiae additur. Divina sapientia humanam sapientiam usquequaque pessumdabit. Condemnantur Judaeorum sapientes et scribae; condemnantur Graeci philosophi [3]). Quid σοφίαν τοῦ κόσμου profitentes cuncti fecerunt ut Deus religiosius coleretur? Tribus verbis et sine ullis ambagibus respondetur: οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος

---

1) Christus qui *dividi* potest ipsa est Ecclesia, quae nunc hoc augusto nomine appellatur; cf. Gal. 5, 1—15, de quo loco supra egimus. Sic Hebraei solent Jacobum ipsam Jacobi domum appellare, cf. i. a. Ies. 29, 23.

2) Tam corrupta verba sunt vss. 9—11, 13—18, ut jam nihil non liceat. Quid significat παρακαλῶ ... ἵνα ... ἦτε κατηρτισμένοι? Quam ridicula gravitas in illo ἐδηλώθη! Mire dictum vs. 14: οὐδένα ὑμῶν, quasi hoc ad ipsam rem quidquam referat. Coll. Matth. 28, 19 vix credideris vs. 17 Apostolum ita loqui potuisse. — Baptizare et in suo proprio nomine baptizare, secundum vs. 14, tunc temporis adeo habebantur eodem loco, ut, si quis argueretur quod in suo nomine baptizavisset, vix alia ratione purgare se posset nisi demonstrando, se vix quemquam umquam baptizavisse. Itaque ibi minime absurdum est in mortalis hominis nomine baptizari; sed vs. 13 pariter stultum est in Pauli nomine baptizari et Paulum pro nobis crucifixum esse existimare. De vss. 17 et 18 vide infra.

3) Nimirum legendum σὺ ζητητής, 1, 20.

τὸν θεόν (vs. 21). Humana sapientia ad nihilum redacta est et succedit in eius locum μωρία· nimirum Dei μωρὸν factum est σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων (vs. 25).

Quo modo de coelo descendit illa aeterna Dei sapientia? Non fuit certe cum imperito vulgo communicata, sed ἐν τοῖς τελείοις, ἐν μυστηρίῳ (2, 6; 7) fuit τὸ πνεῦμα quod eam mortalibus commonstravit. Πνεῦμα, cuius arcana natura difficulter explicatur, quo tempore Christiana Ecclesia primum condita est — quamquam ex Deo emanavit [1]) — hic certe nondum Deus ipse est, scrutatur enim profunda Dei (2, 10). Qui πνεῦμα acceperunt, norunt τὰ ὑπὸ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν, ἃ καὶ λαλοῦμεν, πνευματικοῖς (non πνευματικῶς) aliorum πνευματικὰ nostra συγκρίνοντες [2]). Non hoc intelligit ψυχικός, sed genuinus pneumaticus, qui omnia ad se vocat ad rationem reddendam, dum ipse numquam ab alio evocari potest.

Ecce documentum judaicum; quod in eo primarium est, minime novum est [3]), sed breviter et dilucide exponitur doctrina pneumaticorum: ne qui mortalis intercedat inter Deum et nos, non Cephas, non Paulus, non Christus. Sumus τέλειοι, ab ipso Deo instructi. Doctrina est de cognitionis methodo, neoplatonica ante neoplatonicos, secundum quam extollitur ἔκστασις: Deus in nobis unicum nobis patefacit ad Deum iter.

Perspicuum est hoc pneumaticum documentum capp. 1—3 esse conglutinatum cum aliis locis, quorum natura longe discrepat; ibi enim omnia sensibus subjiciuntur, quae in illo documenta absolute dicta sunt. Hinc commutatio singularis in pluralem numerum: τὸ μωρὸν vs. 25 fit τὰ μωρὰ vs. 27, quo nomine stulti intelliguntur, opponuntur enim πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα. His locis non est σοφία τοῦ κόσμου, quam

---

1) Vs. 11; 12 modo πνεῦμα τοῦ θεοῦ dicitur, modo πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ.

2) Nota illud καὶ λαλοῦμεν. Non ipsi novimus tantum pneumatica quae sint, sed πνεῦμα nos adigit ad loquendum.

3) Cf. Eurip. Bacch. 196, 200, 395 sq. Plat. Apolog. p. 22 sq., imprimis Ion. p. 535; Legg. p. 804; Menon. p. 99. Cum 1 Corinth. 3, 5 compone Ion. p. 534 et Theaet. p. 150.

Dei σοφία superavit; sed sunt in mundo potius sapientes et indocti. Hos Deus diligit quodammodo, nam delectatur iis, qui gloriari nequeunt. Conferat quis pneumaticos locos: 1, 19—21; 25. 2, 6 cum aliis quorum diversa ratio est: 1, 17; 23; 26—28 [1]); 30 [2]). 2, 1. [3]) 4, 5; [4]) 13. 3, 18—20 [5]).

Jam paratum est dicere et quid ipse velit Paulus Episcopus et cur pneumaticum documentum suis inseruerit.

Scribebat ad Ecclesiam, in qua fere homines pauperes et simplices (1, 26) iisque pro leni sapientia prodesse posse putabat, quod pneumaticus quidam scripserat ad commendandum τὸ μωρὸν καὶ τὸ ἀσθενές. Quod pneumaticus παραδοξολογῶν figurate et metaphorice stultum ac debile appellarat, quodque revera summam sapientiam et vim divinam complectebatur, id Paulus Episcopus proprio sensu usurpat.

Neque error eum impulit ut ita scriberet, sed Pneumaticorum arma in ipsos convertere voluit, ut eos perduceret ad ecclesiam, quam alto supercilio contemnebant. Quod θεοδιδάκτους se esse sentiunt, collaudat eos neque ipse ab tali opinione alienus est, qua omnis arrogantia et superbia penitus excluditur, sed dum unusquisque sibi soli consulit neque se ad alios applicat, multum metuit ne ipsi sibi ex animorum dissociatione interitum parent. Adversus illorum πνεῦμα bellum non geret, dummodo accipiant κύριον Ἰησοῦν ejusque communionem, ut tandem perveniant ad

---

1) Res conficitur locutione οὐ πολλοὶ σοφοί. Hic scriptor excusat quodammodo exiguum inter fideles σοφῶν numerum. Secundum pneumaticum scriptorem nemo plane mortalis σοφός.

2) Hoc quoque nota: σοφία hic solito more usurpatur et componitur cum justitia; virtus est quam Jesus docuit.

3) Pneumaticorum σοφία, sive τοῦ κόσμου sive τοῦ θεοῦ, nullam novit ὑπεροχήν, sed cap. 2, 1 σοφία idem est fere quod doctrina est et excusatur magna evangelii simplicitas.

4) Non πνεῦμα est quod examinat et docet ἐν τελείοις, sed venit Episcopus Paulus ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως eamque δύναμιν τοῦ θεοῦ opponit σοφίᾳ ἀνθρώπων.

5) Christiana manus scripsit: ἵνα γένηται σοφός. Pneumaticus res considerat a parte Dei nec curat quomodo singuli homines sapientes fiant. Mutata verba (πανουργία vs. 19) et τῶν σοφῶν vs. 20 cogitationes nostras longe a pneumaticis removent.

illum animorum consensum, illud τὸ αὐτὸ λέγειν, quod eorum est qui fideli concordia Jesum profitentur. Jam duae res ei propositae sunt, nam et suum gregem confirmare vult et Pneumaticis commendabilem facere Christianam persuasionem; quod ut assequatur, eam viam ingreditur, ut concedat Pneumaticis quod concedi potest, deinde demonstrat, si quod Pneumatici eximium habeant, id omne illos juxta spiritum debere Jesu. Quodsi forte vituperant Pneumatici, Christianos in magistrorum verba jurare neque umquam iis suos esse licere (1, 12), ipse certe Paulus Episcopus se numquam satellitibus saepsit et raro admodum baptismum peregit. Si Pneumatici detrudunt omne quod inter homines excelsum habetur, nunc cum iis consentit, ipse enim odit σοφίαν λόγου — arguit hominis ingenium parum concinna locutio — σοφίαν scilicet λόγου, qua crucis contumelia tollitur (1, 17; 18). Libenter recipit pneumaticum documentum vs. 19, sed immutatum et interpolatum (e. g. vss. 22—24), quo Pneumatici melius intelligant, Christum esse eam virtutem eamque sapientiam, unde Pneumatici sua omnia repetant [1]). Quid praedicant, inquit, quod per se spectatum, αὐτὸ καθ' αὑτό, stultum et debile est? Non sinit caritas despicere indoctos et debiles (vs. 26), quos Deus vocavit, qui contemptibilia elegit et ea quae non sunt (vs. 28). Quin et ipsum se cum pauperibus conjunctum esse sentit. Ipse non est eloquens, non doctus, non nimium sibi arrogans: καὶ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ πρὸς ὑμᾶς (2, 1—5), ac minime in persuasione sapientiae.

---

1) Optime cohaeret 1, 25 cum vs. 21, sed post vs. 24 conjunctio ὅτι idoneam explicationem non habet. — Odisse Pneumaticos Christi nomen, tum apparet ex 1, 12, tum ex cap. 12, 1—3. Christus iis anathema erat, quod secundum scriptorem inde oriebatur, quod πνεῦμα quo ferrentur, non esset πνεῦμα ἅγιον. Germani Pneumatici venient aliquando ad τὸ αὐτὸ λέγειν et Jesu doctrinam communiter amplectentur; sed Pneumatici qui nunc sunt, suspiciunt εἴδωλα τὰ ἄφωνα, quae nullam in corde vocem suscitant neque ad Christi doctrinam perducere possunt. Haec sententia esse videtur vs. 2, in quo lacuna arguitur obscuris verbis ὡς ἂν ἤγεσθε vs. 2 et parum apta conjunctione διό vs. 3.

Sicuti in Epistula ad Galatas, talibus interpositis, libenter redit ad generosam pneumaticorum superbiam, quam ipse numquam animo suo expertus erat. Itaque pergit: λαλοῦμεν σοφίαν, imo λαλοῦμεν θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ et quae sequuntur vss. 6—8ᵃ. Quem sequitur, is ab Septuagintaviris mutuatus erat ἀρχόντων nomen, quos Hebraicus textus non novit; ipse ἄρχοντας cogitat, qui κύριον Ἰησοῦν necarant τὸν κύριον τῆς δόξης (vs. 8ᵇ). Non fecissent, si eum vere cognovissent: quod adumbratum est ad illud: Ignosce, pater; nesciunt enim quid faciant: quae preces non sunt pneumatici cuiusdam, sed ex longe diverso fonte manaverunt. Deinde redit ad suum pneumaticum fragmentum, quo tamen tam libere utitur ut illi pericopae, qua πνεῦμα in coelum extollitur fiuntque supervacaneae reliquae omnes divinarum rerum revelationes (2, 9—15), tandem finem imponat versu 16, qui nobis quidem sensu fere vacuus est, sed huic minime inutilis erat, quoniam pneumaticorum ecstasin subjungebat κυρίῳ Ἰησοῦ.

Hoc maxime modo confutabat injustitiam eorum, qui inutile ministerium ei exprobabant. Novit quidem esse aliquid ipsa cruce sublimius (2, 2), sed optionem fecit (ἔκρινεν). Olim escam porrigere nondum licebat nec conversari cum discipulis ὡς πνευματικοῖς (3, 1; 2). Jure questus fuerat is qui pneumaticum documentum composuit, esse permultos qui hominibus addicti sint et Paulus Episcopus scholas illas omnes ortas esse existimat ex discordia fidelium et perversitate (3, 4—9). Sed nunc quoque transcribendo aculeos evellit et obtundit. Recipit: θεοῦ οἰκοδομή ἐστε (3, 9), sed statim addit se, Paulum Episcopum, jecisse aedificii fundamenta. Huic fundamento alii postea superstruent alia, sicuti alii nova jam superstruxerunt (3—10). Id quomodo factum sit, non curat dicere, sed animo jam auguratur tempus, quo adversarius rem in discrimen adducet; verum in his quoque elucet eius ab omni vehementia alienus animus; nam ne quid nimis inclementer dixisse videatur, addit in fine αὐτὸς σωθήσεται. Parcant modo Dei templo, quod ipse aedificavit: dictum hoc est in eos, qui simplicissimam

illam crucis commendationem vituperant; et nunc commode ei in mentem venit loci qui legitur Iob. 5, 13 (cf. Gal. 1, 8. 5, 10[b]). Templum est cuius res agitur, non persona pastoris. Quod pneumaticus scriptor ante dixerat, impense probat: ne quis in hominibus glorietur (nam olim vs. 21 statim sequebatur post vs. 9); nec dubitat affirmare esse omnes pastores ecclesiae ministros; denique oblitus versus 1, 12, ita perorat: ὑμεῖς χριςοῦ, χριςὸς δὲ θεοῦ. Vel potius, minime obliviscitur, sed versu 1, 12 leviter immutato, luculenter indicat quousque pneumaticos sequatur et quousque eos se sequi postulet. Ad illos imprimis dictum erat illud: ὑμεῖς δὲ χριςοῦ.

Sensim consuescamus oportet Pauli Episcopi quasi duplici indoli. Ostendit animum vere christianum aeque remotum a Stoica sufficientia atque a pneumatica superbia; revera profitetur novum officiorum principium, cuius symbolum crux est; quam imaginem Dei patientis mortales jam per multa saecula somniarant, eam exutam omnibus inutilibus involucris pantheisticis et orphicis, colorat perfectione quae summa est et virtute quae nihil sibi indulget. Neque haec omnia praestat, quoniam cogitando novam philosophiam edolavit, sed quoniam talis est qualis est, nempe nihil professus praeter deum cruci affixum, summo rerum arbitro obnoxium se esse sentiens, quamdiu se ipsum respicit invalidus, sed Dei fiducia egregie confirmatus.

Juxta illud plane eximium, quod nullo modo pluris aestimari potest quam oportet, imprimis quo tempore nova religio exorta est, minorem in eo offendere vellemus se defendendi cupidinem, nam multo magis quam oportuerat, suam personam ubique obtrudit. Laborat ea vanitate, quae minime rara est in iis hominibus qui nihil sibi arrogant. Invenit in libro quam describit: ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται (2, 15); addit autem: ὁ δὲ ἀνακρίνων με κύριός ἐςιν (4, 5). Legerat: λαλοῦμεν θεοῦ σοφίαν ἐν μυςηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην· ἡμῖν γὰρ ἀπεκάλυψεν ὁ θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος (2, 7 et 10); sed addit: ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας χριςοῦ καὶ οἰκονόμους

μυςηρίων θεοῦ, nec maiorem honorem venatur quam πιςοῦ οἰκονόμου (4, 1; 2). Pulchre haec dicta esse judicamus, sed cur Paulus Episcopus plura censuit esse addenda? Cur vss. 8—13 tam flebiliter de se ipso loquitur suamque conditionem tam atro colore notavit? Οἰκονόμος μυςηρίων θεοῦ sua sorte contentus esse poterit et reliqua omnia utpote longe infra se posita despicere. Tamen quo firmius animos hominum sibi subjungat, utile existimat misericordiam concitare [1]; adulatur lectoribus et hoc agit ut sibi placeant [2]; denique conatur persuadere illatas sibi injurias, quas copiosius pertractat quam vellemus, nullam animo suo peperisse iracundiam [3].

Nonum caput nos accuratius docet, cur Paulus Episcopus perpetuo delabatur ad apologiam, in qua non dissimulamus nos dignitatem haud ita raro aegre desiderare. Non credebant homines vel fortasse nolebant credere nihil esse cur apostolus mercedem non acciperet [4]; itaque non intelligebant propterea nondum continuo avaritiae crimen in talem virum competere idque sine fine docendi erant [5]. Quas imagines ad eam rem illustrandam adhibet, humi repunt [6]. Verumtamen etiamsi id liceat, non usurpat, sed vindicat jus mulierem [sororem] circumducendi, quod tamen haud

---

1) Mira res est, sed nusquam in Epistulis corruptelae plures pullulant, quam ubi Paulus Episcopus ipse loquitur. Fortasse genus dicendi hoc effecit, sed sine sensu certe editur 4, 6, nec magis in eo contextu explicari potest 4, 7; quid enim τίς (vel τί) διακρίνει hic significat? Quid duplex aoristus ἐπλουτήσατε — ἐβασιλεύσατε? Stultum est 4, 9: θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις; nam neminem facile poenitebit θέατρον esse angelis; sed legendum καὶ γέλως τοῖς ἀ. Vs. 11 κολαζόμεθα faciliorem explicationem haberet, quam habet κολαφιζόμεθα. Vs. 12; 13 participiorum mirus usus est.

2) Si 1, 26; 27 contuleris cum 4, 8 sqq., videbis eum interdum non fugere putidum ornatum et nimis adulatorie scribere.

3) Dixeris eum verba praeiisse papae Gregorio I, qui servum se servorum appellitabat.

4) Nec certe respiciebant Matth. 10, 10 = Luc. 10, 7, sed, quod conjicimus propter 9, 13, afferebant Deuter. 25, 4.

5) Jus enim suum non usurpat. Cap. 9, 15 lege: νὴ τὸ καύχημά μου ὃ οὐδεὶς κενώσει. Vss. 17; 18 intelligi nequeunt.

6) Nimirum viticola ab uvis et agricola a bubus lucrum sperat.

fuisset supervacaneum paulo uberius ostendere. Caput autem est quod ei licet sive ἄνομον vivere sive ἔννομον, prouti ministerio expedierit [1]). Nos autem id imprimis advertit quod provocat ad κύριον Ἰησοῦν, qui sibi apparuerit [2]); nec negligemus modum quo reliquorum apostolorum mentionem facit [3]) et miramur quodammodo quod gloriatur quod id non fecit, quod si fecisset, totum vitae consilium fortasse irritum factum fuisset ac certe in summum adactum fuisset periculum [4]) (vs 12).

Jam quodammodo pervidere coepimus quo ingenio is fuerit, cui hanc epistulam debemus et simul demonstravimus eum in magna opinionum diversitate, omnes tamen perducere voluisse ad κοινωνίαν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Atque sic demum nobis patefacta via est ut ostendamus id quod supra diximus, *easdem* quaestiones in una eademque Epistula varie tractari et diversis modi solvi. Prima erit quam tractabimus quaestio de Glossolalia.

§ 2.

Tractatur quaestio de Glossolalia et caput 13.

Gravissima quaestio, quae ad multas alias res pertinet, primum locum jure sibi flagitare videtur, quia secundum redactorem cohaeret, cum tota ratione Ecclesiae Christianae. Itaque glossolalia inter pneumaticos orta est, quod effi-

---

1) Etiam in Epistula ad Galatas se defendit quod ἐννόμως vivit. Lusus qui inest in verbis ἔννομος χριστοῦ, vs. 21, ab ejus ingenio minime abhorret.

2) Ἑώρακα (9, 1), scilicet non oculis sed mentis acie; nondum enim continuo apostolus erat, qui Jesum aliquando forte conspexerat. Vide quae infra dicentur ad 2 Corinth. 12, 1 seqq.

3) Diligenter distinguitur inter apostolos, Domini fratres et Cepham. Quod ad Cepham attinet, cf. 1 Corinth. 15, 5.

4) Ad hanc apologiam fortasse etiam referendi sunt vss. 6, 12; 10, 32 sq.; 11, 31 sq.

citur pneumatico documento 12, 4; 7—11 [1]). Ne quis rem sibi vindicet, exponitur, quae sint πνεύματος χαρίσματα et ἐνεργήματα. Eo referuntur γένη γλωσσῶν (cf. 12, 28), post quae verba certo certius delenda sunt ea, quae in Vaticano Codice non comparent: ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν.

Notabilis usus numeri pluralis (χαρίσματα ἰαμάτων, cet.), si quidem recte ita scribitur, ostendit cogitare scriptorem varias occasiones quibus χαρίσματα usu veniunt et γένη γλωσσῶν plurali numero luculenter indicant, nosse pneumaticos multas glossolaliae species, Denique videmus pneumaticos minime dubitare de magno glossolaliae pretio, quae vere est φανέρωσις τοῦ πνεύματος nec consideratur ad tempus esse data.

Itaque secundum 1 Cor. 12, 4; 7—11, est glossolalia:

a. Χάρισμα quod eodem loco habendum quo cetera [χάρισματα [2]).

b. Φανέρωσις τοῦ πνεύματος.

c. Non desinet.

d. Nondum flagitat ἑρμηνείαν.

Contra legimus *a* 12, 31 esse χαρίσματα μείζονα, quorum glossolalia non est et *b* vs. 14, 17 glossolaliam non aedificare, cum 14, 26 omnia ad aedificationem fieri debeant. Legimus *c* 13, 8 glossolaliam cessaturam esse et *d* 12, 30, ut

---

1) Pericope quae est inde ab 12, 4 usque ad undecimum versiculum, olim seorsum lecta fuit. Post vss. 1—3, quibus versibus tribus verbis indicatur quam arcta sit necessitudo inter eos qui πνεῦμα habeant, et eos qui Jesum agnoverint, minime exspectamus enumerationem illorum χαρισμάτων; nec magis cohaerent quae post versum 11 afferuntur de comparatione Christi cum corpore. Quod nullo negotio apparet, vss. 5 et 6 Christianus quidam interpolavit, neque ulla causa erat cur hic attingerentur διαιρέσεις διακονιῶν vel ἐνεργημάτων vs. 10, quod etiam magis alienum est. Nempe quod vs. 4; 7—11 perspicue admodum et de industria tribuitur soli Πνεύματι, id voluerunt distribuere quodammodo inter θεὸν et κύριον et πνεῦμα, scilicet ut color quidam Christianus oreretur. Collatus locus Gal. 5, 22 sqq. docebit, hunc locum quem nunc tractamus pneumaticam originem habere. Etiam Gal. 5, 22 πίςις est καρπὸς τοῦ πνεύματος, sed longe diversa πίςις est Illic habetur eodem loco quo lenitas morum ac facilitas, mansuetudo, aliae virtutes eiusmodi. Sed πίςις 1 Cor. 12, 9 eodem loco est, quo operationes miraculorum.

2) Et eodem modo 12, 28—30, ubi γένη γλωσσῶν ab Deo instituta sunt pariter atque reliqua munera ecclesiastica.

verba per glossolaliam enunciata intelligantur, interpretes adesse debere. Sed totam rem age paulo accuratius consideremus, conjunctis in unum quae de eodem argumento sunt.

I. 14, 1b—6; 10; 12—19; 32. II. 14, 7—9; 11. III. 14, 21—25; IV. 14, 26—31; 33a; 37; 40. I. Vss. 12, 4—11 omnia χαρίσματα eodem loco habentur, nam ἑκάστῳ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. Norma πρὸς τὸ συμφέρον deinde homines adegit, ut inter diversa πνευματικῶν genera distinguerent [1]). Erantne aeque conducibilia omnia? Mox negatum id fuit videbanturque esse πνευματικὰ τὰ μείζονα (12, 31), inter quae imprimis recensebant προφητείαν [2]). Etenim μείζων ὁ προφητεύων ἢ ὁ λαλῶν γλώσσαις (vs. 5b), quin et praestare arbitrabantur quinque verba προφητεύοντος quinque millibus verborum ἐν γλώσσῃ prolatorum (vs. 19). Tam excelsum locum propheta occupat vs. 32, ut πνεύματα obnoxia habeat [3]).

Itaque hic glossolalia non magno in honore est; constat ecstasi quadam, quam verba *non* comitantur. Attendat modo quis ad vs. 2: ὁ λαλῶν γλώσσῃ οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ, ἀλλὰ θεῷ· οὐδεὶς γὰρ ἀκούει.

Vs. 4: ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ (ac minime τὴν ἐκκλησίαν).

Vs. 5: εἰ μὴ διερμηνεύει. Laudatur ὁ λαλῶν γλώσσαις, si glossolaliam suam interpretatur; hic, uti credibile, non soluta oratione propinat, quae antea poetice protulerat, sed communicat cum iis qui adsunt, ea quibus in illa tacita ecstasi aedificarat se ipsum.

Vs. 6. Hic glossolalia neque apocalypsis est, nec gnosis, nec prophetia, nec doctrina. Jam si est nihil horum et tamen constat verbis, sunt certe ea verba aliis non intellecta, (ἀνθρώποις vs. 2).

Vs. 13. Post tacitam ecstasin et communionem cum

---

1) Πνευματικὰ sunt χαρίσματα τοῦ πνεύματος, coll. 12, 10 cum 14, 1b. In hoc versu προφητεία est πνευματικόν τι, in illo χάρισμα.

2) Conjunctio, ἵνα, vs. 14, 1b, ita cum ζηλοῦτε conjungi poterit, si subintelligas ζητεῖτε, quomodo scriptum est 14, 12, ubi pro περισσεύητε restituenda est antiqua lectio προφητεύητε itidemque pro πνευμάτων πνευματικῶν.

3) Dele ibi προφητῶν, 14, 32, quo sententia aperte turbatur.

Deo, potest quis Deum „precari" ut sibi concedatur verbis comprehendere quod primum ne pronunciaverat quidem. Non precari certe solemus ut poetica verba nobis metro soluto et prosaico habitu proferre liceat.

Vs. 16. Ἰδιώτης potuisset quidem assentiri fortasse iis quae nondum satis intellexerat, sed plane non poterat assentiri iis quae omnino non audierat, ἐπεὶ οὐκ οἶδεν τί λέγεις, scil. τῷ πνεύματι. Vs. 19. Inter mille magnifica verba exspectamus tamen quinque fore quae quis intelligat, sed ne quinque quidem fuerunt, si illa magnifica mille prorsus non fuerunt pronunciata [1]).

Itaque his locis glossolalia, quae est tacita ecstasis, probatur, modo adsit interpretatio, ἑρμηνεία.

II. Hic non carpitur glossolalia, quod nemo quidquam audit (vs. 2), sed quod non satis perspicue loquitur διὰ τῆς γλώσσης (vs. 9). Vs. 2 pneumaticus λαλεῖ θεῷ· vs. 9 pneumatici εἰς ἀέρα λαλοῦσιν. Vs. 10 legimus nihil esse sine voce: οὐδὲν ἄφωνον. Itaque, inquit, etiam οἱ γλώσσῃ λαλοῦντες vocem habent, scilicet ope ἑρμηνείας, unde apparet tunc utique glossolaliam sine illa interpretatione fuisse mutam. Contra legimus vs. 11: ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς. Vs. 2 pneumaticus λαλεῖ πνεύματι μυςήρια. Contra vs. 11 est ὁ λαλῶν ἐμοὶ (ἀκούοντι) βάρβαρος. Quae ἑρμηνεία in prima pericope necessaria fuit, supervacanea fit, quum glossolalia εὔσημον λόγον ediderit [2]). Hoc igitur quasi alterum glossolaliae stadium; non amplius est tacita ecstasis, sed erumpens in sonos parum distinctos.

Itaque glossolaliae nova forma nunc comprobatur; non

---

1) Post nostram interpretationem, dabitur fortasse nobis vs. 14 esse legendum: ὁ δὲ νοῦς μου οὐκ ἀργός pro ἄκαρπος. Mens mea, inquit, minime otiosa. Tacita illa ecstasis appellabatur λαλιὰ ἐν γλώσσαις propter sesquipedalia verba *interpretis*. Nomen fortasse inditum ab iis qui tacitam ecstasin unice probabant. Neque obliviscenda illa γένη γλωσσῶν, quae alibi hoc modo non appellantur.

2) Sunt etiam quae praeterea suadeant ut ab versu septimo initium faciamus novi fragmenti: quo enim spectat ὅμως vs. 7 vel οὕτως vs. 12, quae conjunctio multo rectius intelligetur statim post vs. 6: quid vobis prodero nisi loquar in doctrina (vs. 6); *sic* et vos aedificationem Ecclesiae quaerite (vs. 12). Compone praeterea διὰ τῆς γλώσσης (vs. 9) cum γλώσσῃ, quod saepius legitur vs. 1—6.

enim nunc e regione opposita est *προφητείᾳ*. Id tantum hortatur scriptor ut homines dum extra se ipsos efferuntur, paulo distinctius loquantur, ut intelligi possint.

III. Hic glossolalia sine ulla restrictione omnium admirationi proponitur [1]) vs. 21—25 [2]). Per se spectata, etiamsi nulla *ἑρμηνεία* accedat, *σημεῖον* est *τοῖς ἀπίστοις* et jam vetustis temporibus praedicta fuit: *in aliis linguis*, scilicet per Assyrios *βαρβαρίζοντας*, loquar populo huic ipsumque illud, quod audiet peregrinam linguam sibi parum intellectam, admonebit populum, quam multa sint quae ipsi desint (vs. 21). Cf. Ier. Vat. 28, 11 et Matth. 13, 13. Sed 1 Cor. 14, 11 vidimus ipsum illud *βαρβαρίζειν* fecisse ut glossolalia condemnaretur.

Glossolalia et prophetia vs. 22 eodem loco sunt. Nihil est cur alterum alteri quidquam invideat, nam glossolalia tantummodo *σημεῖον τοῖς ἀπίστοις*, nec prophetia contemnere debebit glossolaliam; ipsa fidelibus prodest sed plane inutilis est iis qui extra sunt. Itaque hic glossolalia constat exclamationibus, ut infideles animum advertant [3]).

Itaque sine ulla restrictione hic comprobatur nova glossolaliae forma, instituta ut evangelium propagaretur.

---

1) De versu 20, qui nullo vinculo cum reliquis cohaeret, post videbimus. Quam mire interpositum est solemne illud *ἀδελφοί*! Id quod est *νοῦς* (vss. 14, 15; 19) fecit ut epitomator versiculum reciperet. Hoc agitur ut *νοῦν* habeamus: sic cogitabat; itaque *ἀδελφοί* cet. Placebat etiam vox *τέλεοι*, quae proprio et technico sensu usurpata fuerat (cf. 2, 6). Jam poterat eam locutionem alio deflectere eumque titulum, quo pneumatici ecstatici sese ornabant, lubenter tribuebat iis, qui ecstaticos valere jubebant ac certe parum curabant.

2) Nullus est transitus a vs. 20 ad vs. 21, nec vs. 26 cum vs. 25 ullo modo cohaeret.

3) Sicuti vss. 21—25 hodie leguntur, scriptor contradicit sibi ipsi: infidelibus glossolalia signum erit Dei praesentiae simulque documentum, se inter mente captos versari. Prophetia nihil habet quod infideles doceat; contra sicubi hi domum intrarunt, ubi multi *προφητεύουσι*, sese ad fidem convertent. Verum vs. 23b (inde ab *εἰσέλθωσι*) et vs. 24a (*ἐὰν — προφητεύωσιν*) loco moti sunt. Post vs. 23a statim sequi debet vs. 24b: *ἐὰν οὖν ἔλθῃ ἡ ἐκκλησία ὅλη ἐπὶ τὸ αὐτὸ καὶ πάντες λαλῶσι γλώσσαις, εἰσέλθῃ δέ τις ἄπιστος ἢ ἰδιώτης, ἐλέγχεται κτέ*, usque ad vs. 25. Unde derivata interpolata verba, statim videbimus. Numerus ecstaticorum tumultuantium infidelem adigere poterat, ut in faciem caderet et exclamaret: *ὄντως ὁ θεὸς ἐν ὑμῖν*, nempe in vestris pectoribus. Sed vs. 31: ne omnes simul *προφητεύωσιν*.

IV. Tandem audimus virum bonum quidem, sed qui judicio haud nimis valet. Hoc agit imprimis ut omnia ordine fiant. Ignorat quae olim fuerit glossolaliae ratio. Ignorat eam glossolaliae cum prophetia comparationem. Satis est omnes aedificari, neque de ea aedificatione admodum magnifica scribit.

Psalmus, doctrina, apocalypsis, glossolalia: omnia ei sunt eodem loco et honore (vs. 26, quocum cf. 14, 6); fieri potest ut quis ἀνὰ μέρος in glossolaliam incidat adeoque obliviscitur eum qui γλώσσῃ locutus fuerit, necessario *ipsum* sua verba interpretari debere, ut vs. 27; 28 interpretem collocet juxta tres γλώσσῃ λαλοῦντας. Quin et plane ignorans tacitam glossolaliam, deficiente interprete τὸν γλώσσῃ λαλοῦντα tacere jubet.

Illud: οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ θεὸς ἀλλ' εἰρήνης (vs. 33) [1]), proponit nobis Paulum Episcopum ante oculos. Etiam vss. 37—40 (quocunque tandem modo legantur), placidum ac mite ingenium pellucet: Concedet unusquisque, quum fratres adhortatur ut omnia ordine fiant, eum commendare Domini mandatum. Quodsi quis hoc minus intelligit, suo judicio fruatur (vs. 38). Illud μὴ κωλύετε (vs. 39) imprimis homine dignum est: confer modo quod longe diverso modo scriptum est 1 Cor. 14, 18. Hoc episcopus prae ceteris agit, ut omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν (vs. 40) [2]). Hic igitur glossolalia turbat receptum ordinem; toleratur quum nesciatur quid instituto tam miro faciendum sit.

---

1) Post vs. 33 collocanda verba: ἐὰν δὲ πάντες προφητεύωσιν, εἰσέλθωσι δὲ ἰδιῶται, οὐκ ἐροῦσιν ὅτι μαίνεσθε, quae hodie perperam leguntur vss. 23; 24. Vide supra.

2) Infra redibimus ad vs. 33b—35, quibus verbis quaeritur quomodo mulier in ecclesia se praestare debeat. Vs. 14, 35 collatus cum 7, 12 sqq., recentis originis esse videtur; jam enim sumi potest, Christianam mulierem Christianum habere maritum. Idem concludimus, quoniam hic diversa officia dantur viris et mulieribus, quod aliter constitutum fuerat Gal. 3, 28; jam enim intellectum fuerat in rebus humanis perfectionem non posse praestari, ne nimium severa ruerent in peius. Denique attendendum est ad: ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις (vs. 33b): itaque in omnibus ecclesiis postulant eandem normam. Etiam vs. 36 hic intelligi nequit, nam quia de mulieribus in eo versu agitur, infra erat ea de re dicendi locus.

Itaque hic cavetur ne glossolalia in ecclesia officiat disciplinae et recto ordini.

Cum his quatuor observationibus de glossolalia Paulus Episcopus conjunxit quatuor alias pericopas:

α. Cap. 12, 1—3 (pneumaticos non esse Christianos).

β. Vss. 12—16 (vanum esse si quis Ecclesiam in partes distrahere velit).

γ. Vss. 17—27 (homines aliorum auxilio indigere).

δ. Vss. 28—30 (hierarchiam in ecclesia divinitus constitutam esse).

De § α jam diximus, vide supra pag. 55.

In § β ita legimus: Idem valet de membris corporis i. e. χριστοῦ, quod valet de membris cuiuscunque corporis, nempe corpore exire non possunt nec proprium motum habent. Etiamsi pes diceret: ὅτι εἶμι ἐκ τοῦ σώματος, οὐ παρὰ τοῦτο ἐστὶν ἐκ τοῦ σώματος, nam sic omnino legendum est, nec vulgata lectio intelligi poterit, nisi credas ἐκ τοῦ σώματος ita esse accipiendum, quasi τοῦ σώματος legeretur, quod sermonis ratio non patitur[1]). § tertia monemur ne alter alterum negligat et contemnat. Cardo vertitur in vs. 24 (secundum lectionem Vaticani Codicis) et imprimis in vs. 25 coll. cum vs. 21. Schismata quae fugitare debemus, non ea sunt quae ecclesia novit, sed quibus τὸ συμπάσχειν et τὸ συγχαίρειν in discrimen adducuntur. Noli dicere ad pro-

---

1) Dele versum 14, qui repugnat toti loci sententiae. Attendat quis ad illa: καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα EN ἐστι, πάντα τὰ μέλη EN ἐστι σῶμα, εἰς EN σῶμα ἐβαπτίσθημεν, EN πνεῦμα ἐποτίσθημεν. Cur eadem toties iterantur? Non praecipit scriptor ut in corpore tales *quales sumus* maneamus, sed ut *in* corpore maneamus. Non ut fugiamus eam arrogantiam, quae, dum manemus in membrorum societate, aliud jus sibi vindicat, sed ut fugiamus odium omnis societatis. Vs. 14 effictus est secundum vs. 19, qui illic recte locum suum obtinet. Si vs. 15 scriptus fuisset post vs. 14, diversum fuisset argumentum, sed post 13 rectissime sequitur. Verba ὅτι οὐκ εἰμὶ χείρ et ὅτι οὐκ εἰμὶ ὀφθαλμός, ficta ad analogiam vss. 17 et 21 (vide infra), redactoris sunt. Optio hic datur inter conjecturas et textum plane inexplicabilem. Si quis quacumque de causa negat se corporis esse, revera corporis non amplius est; quod si tamen manebit, illud οὐ παρὰ τοῦτο eiusmodi esse debet, ut constringere possit: etiamsi quis dicat: abeo, nondum abiisse putatur, si vinculis constrictus est.

ximos: χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω· hoc enim falsum est. Dignissima sententia eo est qui nihil humani ab se alienum putat; sed vs. 27 addit demum Christianum colorem [1]), quo veritas primaiiae sententiae minus evidenter in oculos incurrit. Vocabulum σῶμα, quod vss. 12—16 usurpatum est, ut indicetur societas, quae non potest non adesse ac proinde etiam oculis cernitur, hic communionem denotat, ad quam ineundam lectores excitandi sunt. Itaque vocabulum χριςοῦ redactoris est. In hac pericope non adeo σῶμα corpus est, quod corpus est ab aliis corporibus distinctum, sed corpus, cuius membra, quum unum efficiant, quod dividi nequit, mutua indigentia conjuncta sunt.

In § δ minime docemur eandem esse omnium fratrum dignitatem, veluti quod ἀτιμότερα (vs. 23) aliquid accipiant quo εὐσχήμονα carent. Contra sedulo inculcatur illud, ordinum discrimen in Ecclesia tutandum esse, quippe quos ipse Deus constituerit. Itaque erant glossolaliae interpretes publice constituti (vs. 30, sed aliter vs. 18), nec miramur necessarium id fuisse visum, ut tandem possent omnes τὸ αὐτὸ λέγειν. Sed quam parum honorificus hic glossolaliae locus est! Post πρῶτον, post δεύτερον, post τρίτον, post ἔπειτα, tandem demum omne genus γλωσσῶν recensetur. Prophetae secundum locum tenent, ultimum glossolalia cum legitimis interpretibus. Sic paulatim unus Spiritus, cuius χαρίσματα eodem loco fuerant, transformatus fuit in Ecclesiam, cuius ministeria secundum hierarchicum ordinem sese excipiunt [2]) (vs. 29 sqq.).

Multis nominibus utilis est consideratio octo pericoparum, quas capp. 12 et 14 distinximus.

I. Ubi dogmata tractantur, sententiarum varietas potuit certe oriri ex scriptoris inconsiderantia et oblivione indeque erunt qui negent fragmenta undecumque corrasa fuisse collata in unum. Verum ubi interrogamus quodnam glossolaliae officium fuerit in Ecclesia Christiana, quae jam certis

---

1) Post μέρους supple ἕκαςος.

2) Et nunc intelligimus cur vs. 5 διακονίαι nominentur.

legibus utebatur, hoc quidem effugium nequaquam patet. Fierine potest ut unus idemque scriptor glossolaliam primum impense probet, deinde restricte probet, mox haud satis sciat debeatne commendare necne? Contra triplex eiusdem rei consideratio miraculo non erit in compilatione variorum fragmentorum, quae redactor quacumque de causa perire noluit.

II. Jam multo melius apparet qualis vir Paulus Episcopus fuerit. Ante omnia Ecclesiam amat minimeque dubitat quin Ecclesiae totum corpus legum salutiferum sit; magis delectatur rebus quae ad ipsam agendi normam pertinent quam disquisitionibus theologicis et philosophicis; modo omnes idem sentiant, parum refert sapiantne ex suo fonte an ex alieno. Nec tamen quidquam ultra praestari poterit, quam ut omnes *suo more modoque* „idem dicant". Itaque ea in ecclesia quam flagitat unitas, esse debet sive ex animorum conciliatione sive ex conventione; nihil proficitur si altera sententia alteram diremerit. Non assequuntur pii homines id quod summum est, neglectis aliis quorum fortasse non est minor praestantia; sed quod *cuique* summum est, etiamsi multum discrepet, jus suum ac quasi possessionem obtinere debet. Servitur legi et contradicitur; vix enim opus est barbara vocabula adscribere et legalismum et antinomismum crepare. Studetur et rebus et iis quae mente tantummodo complectimur. Adsciscunt externa auxilia simulque omnia committunt Dei gratiae. Unusquisque est sui juris et sibi soli leges praescribit nec tamen minus fratrum communionem omnibus rebus anteponit. Sicuti solis lumen dum repercutitur varie coloratur et tamen unum est, sic id quod in religione est summum, dum in humano pectore locum capessit, varias induit formas et quasi figuras repraesentat. Omne quod experientia docet cum sanctimonia cohaerere, vere spirat religionem. Fanatici nihil horum intelligunt, itaque non sunt fanaticorum ecclesiae, sed sectae tantum.

Hoc omnium optime intellexit Ecclesia Catholica indeque crevit. Non obscure ea res apparet in historia Canonis Novi

Testamenti. In volumine quod Ecclesia consecravit, locus est et Jacobi sobrietati et Apocalyptici fervori et Pauli prudentiae, qualis cernitur in Actis, et Pauli vehementiae, qui Petro obloquitur; Dei filius depingatur ab Synopticis et Divinum Verbum in quarto Evangelio: unum volumen, quod tam diversa complectitur, ea ipsa de causa omnibus satisfacere potuit.

Est tamen grande volumen compositum ex conjunctione voluminum minorum et in horum quoque voluminum compositione eadem ratio non minus luculenter ostenditur. Quae est ratio inter primam Epistulam ad Corinthios et integrum volumen Novi Testamenti, eadem est ratio inter 1 Cor. 12, 4—11. 14, 21—25 et integram Epistulam. Quod fecit ut pericopae vel fragmenta coalescerent in integros libros, itidem causa fuit cur libri coalescerent in integrum volumen, quod canone comprobatum fuit.

Inter omnes quos quidem novimus, Paulus Episcopus primus fuit eo animi affectu, quem descripsimus: inde petenda explicatio capp. 12 et 14. Quid ipse de glossolalia judicarit, videmus 14, 39b: λαλεῖν μὴ κωλύετε ἐν γλώσσαις· πάντα δὲ εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. An τάξει parebit illud πνεῦμα (eodem modo quo ὁ χριστός, quod saepe communionis nomen est)? Eritne perpetuo illud πνεῦμα, quod πνεῖ, ὅπου θέλει, οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῖ ὑπάγει (Joh. 3, 8)? Id dubitabat.

Utcumque est, non neglexit pneumatica scripta, sed quaedam descripsit, id praecipue cogitans quod legitur 14, 39b. Considerat ea fragmenta et facile intellectu est, quo animo ea consideraverit. Quum testis oculatus esset sectae illius pneumaticae necdum Christianae (cui multis in rebus favebat) et quum nosset quod illi sectae imprimis peculiare erat, glossolaliam dicimus (hic autem cogitanda antiquissima rei forma, sine interpretatione ac tantum σημεῖον τοῖς ἀπίστοις), utile esse judicavit περὶ τῶν πνευματικῶν agere (12, 1).

Laudat πνεῦμα, sit modo Dei πνεῦμα et ducat ad confessionem (non ad aliquod ἄφωνον) et quidem ad eandem confessionem (1—3). Non excludit ille spiritus diversitates

gratiarum, ministrationum et operationum; tribuit enim cum Deo et Jesu (5; 6) conjunctus varia χαρίσματα, etiam prophetiam et glossolaliam (4—11). Haec unitas quae minime dirimit diversitatem, efficit ut Ecclesia revera corpus evadat, cui neminem se subtrahere *posse* ait, majorem honorem affectantem quam quo fungatur (12—16); sed redactor textu leviter immutato, idem scripsit ne *licere* quidem. Multis rebus opus est debentque fideles unumquemque suo pretio aestimare; est enim nemo inutilis (17—27). Sed diversitas honorum et ministeriorum non tantum consequitur ex ipsa rei natura, sed etiam divinitus constituta fuit. Itaque nolint omnes δυνάμεις vel glossolaliam appetere (28—30).

Semper quaerantur τὰ χαρίσματα et imprimis τὰ μείζονα, quod ecclesiae magis conducunt (vs. 31). Veluti prophetia glossolaliae praeferenda est, nam glossolalia per se ecclesiae nihil prodesse poterit. Habeant sibi serventque, quibus hoc χάρισμα concessum fuit; accedat modo explicatio eorum quae quis in illa ecstasi contemplatus fuerit. Sed pluris est propheta faciendus: hic enim aedificat fideles (14, 1—6). Quodsi quis tamen glossolaliae studere velit, distincte eloquatur (7—11), nam ecclesiae opus est verbis, quae intelligere potest. Neque hoc ab glossolalia alienum est. Orate taciti et in ecstasi, sed ita etiam orate ut alii vestra verba intelligant. Psallite taciti, sed etiam sic ut ii qui adstant, vestris verbis auditis, Amen dicant. Fratres, praestate vos sapientes (12—20). Glossolaliam per se non improbo; quin et magnificum est iis qui extra sunt, quod Jesaias jam vaticinatus est. Quodsi tamen qui initiati non sunt repente conspexerint fideles, dum glossolaliae operam dant, nonne mente captos esse dicent, quum prophetiae uberrimi fructus esse possunt ad salutem (21—25)? Itaque omnia suo tempore fiant, ut conducere possint ad aedificationem. Certe ne omnes simul loquantur, sed alius alium excipiat. Itidem nolite nimis diu una considere et satis est, mihi credite, si duo vel ad summum tres prophetae ad dicendum surrexerint. Est enim primus locus prophetis assignandus;

sunt enim πνεύματα eorum penes quos glossolalia est, prophetis subjecta et quum conveneritis, multum distatis ab orgiasticis gentilium mysteriis, a quibus quis non sapientior discedit quam antea fuerat. Hoc modo omnia ordine fient et pacem inter vos servabitis. Praeterea mulieres in ecclesia taceant, sicuti alibi jam constitutum fuit; nolite enim oblivisci esse etiam alias Ecclesias praeter vestram. Verbo ut dicam, favete prophetiae nec prohibete glossolaliam, dummodo omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Haec Dei voluntas est, sicuti omnes, tum prophetae, tum pneumatici, debent concedere (26—39).

Hisce omnibus satis violenti modo Cap. 13 insertum fuit.

Vs. 12, 31[b] (secundum Vaticanum Codicem) γλώσσαις λαλεῖν nove usurpatur, quomodo eam locutionem nondum habuimus; qui enim jungi potuit cum genetivis ἀνθρώπων et ἀγγέλων? Sed vs. 2 percensentur χαρίσματα nec nominatur glossolalia, unde luculenter efficitur, *si etiamtum glossolalia inter χαρίσματα relata fuerit*, paulo supra eius factam fuisse mentionem, quae olim inter χαρίσματα non ultimum locum obtinebat. *Si verum est quod posuimus*, flagitat vs. 2 ut glossolaliae mentio facta sit vs. 1; contra versum primum si per se spectas, fieri nullo modo potest, ut glossolalia in eo locum habuerit, — conjunge has duas observationes et mathematica evidentia consequemur, eo tempore quo cap. 13 conscriptum est, non amplius verum fuisse quod posuimus neque glossolaliam etiam tum inter charismata fuisse relatam. Verum tam hoc est mirum ut quaerere subeat sitne fortasse corrupta lectio τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἀγγέλων: quae enim intelliguntur Angelorum linguae? Ac praeterea probatur vs. 13, 8 glossolaliam nondum in oblivionem abiisse.

Supersunt etiam aliae difficultates, imprimis inde a vs. 9. Γνῶσις καταργηθήσεται et vs. 12 *perfectam* γνῶσιν aliquando habebimus. — Cur tanta cum emphasi affirmatur nos *ex parte* cognoscere et *ex parte* prophetare, quasi caritas omnibus numeris absoluta esset? — Si scientia ex parte, si prophetia ex parte destruetur, habebimus *perfectam* scien-

tiam, *perfectam* prophetiam. Consentit scriptor justam eam esse conclusionem quod ad scientiam attinet; sed cur idem minus plene valere censebitur de prophetia et de glossolalia? Si id omne aliquando cessabit, quod ex parte est, ipsa etiam caritas simul cessabit. Et scriptor ipse, quamdiu nondum ipse metam attigit, quomodo nosse potest quid aliquando cessaturum sit vel quid mansurum (nam vs. 12ª et vs. 12c frustra explicare tentabis)? Vs. 13 discrimen quod statuitur inter ea quae praeteribunt et ea quae manebunt, nullam idoneam causam habet. Eodem jure scribere quis possit: εἴτε πίστις, εἴτε ἐλπίς, εἴτε ἀγάπη, καταργηθήσεται· ἐκ μέρους γὰρ πιστεύομεν καὶ ἐκ μέρους ἐλπίζομεν καὶ ἐκ μέρους ἀγαπῶμεν. Et secundum quam normam ἀγάπη erit μείζων, si fides et spes aeque duraturae sunt?

Omnes hae vix superabiles difficultates ortae videntur ex retractatione capitis 13, unde factum est ut hodie vix dignoscamus quid scriptor olim demonstrare voluerit. Apparebit hoc, si singulas capitis partes separaverimus.

Vss. 1—3 ostenditur caritatis pretium esse inaestimabile.

Vss. 4—7 ea caritas describitur, sed quomodo? Octies affirmatur non facere caritatem id, quod nemo sanus umquam a caritate exspectaverit; deinde quinque sunt in quibus vis caritatis cernitur, sed horum primum et secundum omnino non intelligimus, tertium et quartum aenigmatis instar sunt; quinto loco autem caritas simpliciter patiens esse dicitur.

Vss. 1—3, ut libere dicamus, nimius vani promissoris hiatus est. Quid enim sequitur vss. 4—7? Divites omnes suas facultates inter pauperes distribuendas dederint, tradiderint alii corpus suum comburendum (sed est parum certa lectio), prophetae divina mysteria locuti fuerint: id tamen iis deesse potest, quod solum apud Deum pretio censetur.

Quid tandem illud est? Caritas. Quid rerum agit? Scilicet μακροθυμεῖ, χρηστεύεται, οὐ ζηλοῖ, οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται, οὐκ ἀσχημονεῖ, οὐ ζητεῖ τὸ μὴ ἑαυτῆς, οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα

ὑπομένει. Idque affirmatur, postquam vs. 2, uti diximus, omnium bonorum distributio et summa in vitae periculo adeundo constantia et Deo probatissima fides adesse posse visae sunt, etiamsi caritas prorsus deficiat. Nonne dixeris scriptorem caritati substituere voluisse eam animi mansuetudinem et χρηστότητα, quae commendatur Gal. 5, 22?

Haec autem caritas dicitur οὐδέποτε πίπτειν. Hoccine affirmatur de sola caritate? An de omnibus rebus, quas caritas veluti consecravit? Sed scientia, fides, spes non minus fiunt sempiternae et duraturae quam ipsa caritas et quae sola laudata fuerat, vss. 1—3, cum diserta praetermissione fidei, quae, quamdiu caritatis expers est, cadaveris instar est habenda, tamen vs. 13 jam satis contenta esse debet, quod reliquis illis pronunciatur esse μείζων.

Sensitne scriptor se materiem sumsisse non viribus aptam? Hymnum canere voluisse videtur, sed anhelans destituitur. Quod unicum lumen accensum fuerat, obscuratur aliis luminibus, temere collectis ex notorum χαρισμάτων numero! Verbo totam rem ut comprehendamus, non adeo adjectum videtur cap. 13, ut caritas celebraretur, quam ut prophetia et glossolalia deprimerentur tanquam χαρίσματα, quae Ecclesia tuto negligere posset.

Scilicet fit sermo de futura Ecclesiae conditione. Οὐδέποτε πίπτει, ut nobis quidem videtur, significat: numquam concidet. Etenim, si fides et spes ex ipsa rei natura circumscribuntur hac praesenti ac terrestri vita, minime sequitur scriptorem tradere voluisse, caritatem esse aeternam, nec sane facere hoc potuit, si quidem ea caritas a mansuetudine et patientia nihil discrepat [1]).

Quid olim scriptum fuerit, conjicere quodammodo possumus ope versuum 1—3, deinde Paulus Episcopus, aliis quibusdam substitutis, caput 13 adaptavit ad suam Ethicam, quae proprio sensu Christiana erat. Nimis audax ei

---

1) Futurum τέλειον ipsi scriptori jam advenit, lectoribus nondum adest. Unde praesentis et futuri temporis permutatio: vs. 11 κατήργηκα et vs. 13 νυνὶ διαμένει, sed vs. 10 καταργηθήσεται.

esse videbatur solam caritatem celebrare ab eaque omnia repetere, nam minime reiicit alia, veluti fidem quae per caritatem operatur Gal. 5, 6 vel ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος, 1 Thess. 1, 3. A versu 8 potest rediisse videri ad documentum suum, ut exponeret caritatem non esse interituram; sed postquam γνώσεως est facta mentio, redit ad se et quaedam admiscet de eo quod τέλειον est (vs. 10) et de adulta aetate (vs. 11), sed quibus nunc locus non erat. Deinde vs. 12 frustra conatur γνῶσιν explicare cuiusmodi sit atque affirmat denique paene contrarium eius rei, quam initio posuerat: nempe non caritas sola manet, sed nota illa trias. Tota haec cap. 13 retractatio utilissima est, ut Pauli Episcopi ingenium cognoscamus.

Unde fit ut hoc caput tam anceps sit et omnia tam incerte volitent? Causa est quod in disquisitione de Ethica contaminatae sunt philosophia et historica rerum consideratio, quarum altera sede pellit alteram. Vss. 1 sqq. caritas summum est, quia, sicuti philosophi docent, solum *verum* principium est. Quod inde non derivatur, necessario οὐδέν est. Deinde a vs. 10 docemur, quomodo in humana vita omnia deinceps pleniora et quasi perfectiora fiant. A parvis initiis crescit caritas, quae non unicum bonum est, sed cuius ope id perficitur, quod antea, quamdiu alia rerum ratio erat, itidem bonum erat. Atque sic in disputatione de moralibus principiis judicium non pendet ex veritate, sed ex utilitate et id potissimum quaeritur, quid maxime prosit iis, qui illis principiis tanquam ducibus adultam aetatem ingressuri sunt.

Quodsi in caritate omnia insunt, apparet sine caritate etiam puerum οὐδὲν esse. Quodsi contra caritas est qua adulti viri virtus censetur, is qui ea caret, non est οὐδὲν, sed νήπιος. Virtutem si quaeris, totum coelum interest inter οὐδὲν et νήπιον.

Nunc quoque fit quod jam toties observavimus. Quae pericopae in Epistulis Christianam originem non habent, ex intima philosophia depromtae et accurate enunciatae sunt. Aut est aut non est: aut νόμος aut πίστις. Angusta sunt

Ecclesiae moenia, sed πνεῦμα sectandum. Neque operibus sanctimonia paratur, neque scientia, sed sola caritate.

Non sunt talia ad palatum Pauli Episcopi. Est quod eum alliciat propter insitam praestantiam, sed displicet si quis forte solus sapere videatur. Itaque tenet propositum et contrarias sententias secundum ordinem recipit: alterum νηπίῳ convenit, *deinde* alterum τελείῳ.

Non νόμος sed πίστις: egregie hoc explicatum est Gal. 4, 1, nempe: *primum* νόμος, *tum* πίστις (λέγω δὲ, ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου). Sine interpretatione non absurda est glossolalia, sed σημεῖον τοῖς ἀπίστοις· recte hoc traditur 1 Cor. 12, 10 et 14, 22; sed quid hoc significat, carissimi fratres? Nimirum ταῖς φρεσὶ τέλειοι γίνεσθε, neque multum requiretis glossolaliam, quae olim decebat, quamdiu fides nondum succreverat: γλῶσσαι παύσονται. Nihil est χάρισμα, nihil est πίστις, nihil γνῶσις sine caritate: nempe ὅτε ἤμην νήπιος, non erant illa parvi facienda; ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, in caritate omnia insunt.

Haec philosophia historica, sive si id forte mavis, paedagogica semper propria fuit Ecclesiae Catholicae: hac semper innixa est. Philosophus sequatur severam logicam, sed pastor rationem habet infirmitatis humanae. Rescribe 1 Cor. 13 sic ut omnia cum vss. 1—3 conspirent: quam multa fient οὐδέν, quibus nec potest nec debet carere. Contra scribe scientiam aliquando perfectam futuram, tria esse mansura, quorum duo plane indefinita sunt, sed caritatem tamen principem locum occupare, etiamsi causam nullam addideris cur ita sentias, tamen descendet de caelo tantum caritatis, quantum hoc φίλαυτον genus capere potest. Duxerit Moses populum suum per deserta ad amoena, sed pastor Christianorum gregi praeibit secundum pulcherrimum exemplum quod legimus Ps. 23, 2: בְּנָאוֹת דֶּשֶׁא. Etenim πάντα πρὸς οἰκοδομήν.

§ 3.

Tractatur quaestio de Mulieribus..

Quaeritur primum sintne vir et mulier eodem loco habendi, deinde debeatne mulier obvoluto capite in Ecclesiam procedere, eaeque quaestiones diversis modis solvuntur. Ad priorem quaestionem respondetur *a.* 1 Cor. 11, 11; 12; *b.* 1 Cor. 11, 3; 8; 9.

a. Vir et mulier in Christo pares sunt: *οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς οὔτε ἀνὴρ χωρὶς γυναικός· ὥσπερ γὰρ ὁ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, οὕτως καὶ ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικός·* (11, 12) *ἡ γυνὴ δὲ δόξα* (quid hoc est?) *ἀνδρός ἐςιν κτἑ* (7). Non egent haec verba explicatione. In eandem sententiam legimus 14, 36: (Quid o viri, mulieres prohibetis quominus prophetia utantur?) Num forte verbum Dei a vobis processit? Etiam Gal. 4, 4 attendebatur ad illud *γενόμενον ἐκ γυναικός* et luculenter scribitur virum et mulierum eadem conditione esse Gal. 3, 28: *οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ . . . ἐν χριςῷ Ἰησοῦ.*

b. Mulier vero inferior est: *κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ* et quae ratio est inter mulierem et virum, eadem est inter virum et Deum (vs. 3), *οὐ γάρ ἐςιν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός· καὶ γὰρ οὐκ ἐκτίσθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα.* Itidemque 14, 35: *αἰσχρὸν . . . γυναικὶ λαλεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ.* Cf. Ephes. 5, 22 sqq.; Coloss. 3, 18; 1 Petr. 3, 1; 6. 1 Tim. 2, 11.

Respondetur ad alteram quaestionem *c.* 1 Cor. 11, 10 (?); 13—15; *d.* 11, 5; 6.

c. Supervacaneum est obvolvere caput: *πρέπον ἐςὶ γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ θεῷ προσεύχεσθαι* [1]) (13) *ὅτι ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ.*

d. Necessarium est obvolvere caput: *πᾶσα δὲ γυνὴ . . . ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς κτἑ*

---

1) Vs. 10 corruptus est. Fortasse verba *ἐπὶ-ἀγγέλους* olim alio pertinebant et vs. 13 terminatur vs. 10a, ut legendum sit: *διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἀκατακάλυπτον τῷ θεῷ προσεύχεσθαι.* Hoc modo verbis *ἀνὴρ οὐκ ὀφείλει,* quae vs. 7 leguntur, responderet de muliere *ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν*, vs. 10.

(et ad eandem analogiam vs. 4 rescribendum erit τὴν κεφαλὴν ἑαυτοῦ [1]).

Paulus Episcopus de more utramque sententiam recepit. Hae erant παραδόσεις quas invenerat ipse in scriptis auctoritatis quidem plenis, sed inter se repugnantibus [2]). Tales quaestiones ei non cordi sunt. Ita est vita hominum ut philosophus non audiatur, ubi orta est quaestio, quem locum in civitate vel in ecclesia mulier tenere debeat; nihil eius interest velitne mulier, caput obvolvere necne. Id modo teneatur, ne quis in talibus solus sibi sapere videatur: εἰ δέ τις δοκεῖ φιλόνικος εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ θεοῦ (vs. 16), in quibus Ecclesiis, uti conjicimus, de eadem re varie praecipiebatur. Adeo Paulus Episcopus modum non excedebat, quum commendabat discipulis τὸ αὐτὸ λέγειν. Iam norat illam in dubiis libertatem: ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε (vs. 13). Suam ipsius fortasse liberalitatem cogitabat, scribens vs. 1: μιμηταί μου γίνεσθε.

§ 4.

Tractatur quaestio de Nuptiis.

Matrimonium fidelium

a. improbatur 1 Cor. 7, 1; 7ª; 8; 11ª; 15; 32—34; 37 (cf. 6, 15—20).

---

1) Apparet 11, 1—16 constare sententiis, quae neutiquam cohaerent. Quod vs. 3 docemur ad mathematicorum rationem: mulier: vir = vir: Christus = Christus: Deus, id postea non usurpatur. Vss. 4—6 non cohaerent cum vs. 7, nam agunt illi versus de omnibus omnino viris ac mulieribus; hic autem septimus de nupta tantum; non enim innupta continuo habet virum, cuius δόξα est. Καταισχύνει (4) cedit verbo οὐκ ὀφείλει (7). Agitur vss. 4—6 de viro et muliere Deum adorantibus; vs. 7 generalis causa est cur caput obvolvatur nec ne. Si vir caput non teget, *quia est Dei imago*, sequitur id numquam necessarium esse. Vss. 8 et 9 argumentum tractatur a vs. 7 diversum: ἐξ ἀνδρὸς, διὰ τὸν ἄνδρα et δόξα τοῦ ἀνδρὸς mire discrepant. Nec vss. 8; 9 quidquam conferunt ad explicandum vs. 7. Vs. 10 uti diximus intelligi nequit. Vs. 11; 12 argumentatio alio deflectitur et vss. 13; 14 jam non sexus fit descrimen, sed φύσεως.

2) Cf. vs. 2. Et videmus eundem mutata sententia de eadem re diversa scribere 5, 9—13 (ubi μὴ συναναμίγνυσθαι a vs. 11 init, removendum est post τῷ τοιούτῳ vs. 11 in fin.). In eodem capite vs. 4 lege ἐν τῇ δυνάμει.

b. comprobatur 1 Cor. 7, 3—5[a]; 10; 11[b].

c. conceditur 1 Cor. 7, 2[a] (nam spurium esse credimus 2[b]); 5[b] (inde ab ἵνα μή); 7[b] (inde ab ἀλλά); 10; 11[b] (inde ab καὶ ἄνδρα) — 14; 16; 17; 24; 26—28[a] (usque ad ἥμαρτεν) [1]); 36; 38 sqq.

a. Καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι sine ambagibus legitur vs. 1. Θέλω (ne pugnarent 7[a] et 7[b] nostrates verterunt: ik *wilde*; sed talia interpretationis artificia jam nimis diu nos ludibrio habuerunt) ΠΑΝΤΑΣ ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν· (7) λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, καλὸν αὐτοῖς, ἂν μείνωσιν ὡς κἀγώ (8). Quin et divortium comprobatur, si quidem mulier postulaverit (11[a]). Si maritus infidelis uxori repudium miserit, non debebit illa contra tendere, nam quo tempore sponsalia facta sunt, non servitutis jugum tibi impositum fuit (οὐ δεδούλωται), nec talium virorum ancilla facta es (ἐν τοῖς τοιούτοις, vs. 15). Nuptiae θλῖψιν afferunt (28[c]), θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. Etenim qui matrimonio conjuncti sunt, μεριμνῶσι τὰ τοῦ κόσμου, sed coelibes μεριμνῶσι τὰ τοῦ κυρίου (32—34). Hanc curam si habet παρθένος, curat ἵνα ᾖ ἁγία καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι. Itaque matrimonium impurum est et qui παρθένον suam servaverit, καλῶς ποιήσει (37). Itidem fragmento 6, 15—20 nuptiarum impuritas notatur [2]).

b. Contra comprobavit matrimonium qui ita loquitur de maritalibus officiis: τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλὴν ἀποδι-

---

1) Vss. 18—23 diversum argumentum tractatur, nempe possitne Christianus servos habere, sed secundum notam methodum: vs. 21 μή σοι μελέτω; vs. 23: μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων.

2) Quidquid hic dicitur de fornicatione, itidem de matrimonio valet. Si quis cum Christo ἓν σῶμα efficere nequit, quando cum homine consuevit εἰς σάρκα μίαν fieri, apparet non fornicationem tantum condemnari, sed etiam legitimum matrimonium. — Ratio quae intercedit inter nostrum corpus et Christum indicatur 6, 19 sqq. Quaerere quis possit an non omnis immoderata voluptas sit ἁμάρτημα εἰς τὸ ἴδιον σῶμα. Deinde obscure indicatur magis quam clare ostenditur, non eodem jure corpus nostrum ferri ad rem veneream, quo venter ad famem sedandam. Βρώματα enim et κοιλία sibi respondent pertinentque ad hanc oeconomiam, quae praeteribit (13b). Corpus autem aeternae oeconomiae est, cuius et Christus ipse est nostraque corpora membra Christi sunt (vss. 15; 20).

δότω, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί. Idem praeterea conjuges ita monet: μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους· (3—5a) τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω... γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι (10. 11b). Qui scriptor contendit solam παρθένον sanctimoniam praestare posse καὶ τῷ σώματι, is certe non probasset illa, si qua Christiana mulier proferret: ἡ γυνὴ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλὰ ὁ ἀνήρ. Siccine erit alieno arbitrio obnoxium quod κυρίου Ἰησοῦ est (cf. imprimis 6, 15; 20)?

c. Peculiaris est ratio vs. 2 et similium. Per se nuptiae non sunt magni faciendae, nam malum est, necessarium quidem fortasse, sed tamen malum. Vs. 5b Cloacina Venus nuptiis praeest fiuntque fornicationis remedium, quod diuturna experientia docuit, quam sit irritum. Deinde divortia prohibentur, non propter conjugii sanctitatem, sed ut infidelem fidelis conjux ad Christum perducere aliquando possit. Servet unusquisque praesentem statum. Δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν· quasi umquam liceat facere experimentum, secundum vs. 10.

Ea ratio, qua tres illae opiniones cap. 7 conglutinatae sunt, diversa est ab ea quam hucusque offendimus. Nempe deinceps sententiarum severitas aliarum sententiarum lenitate frangitur et quasi tepida aqua diluitur. Vide modo:

καλὸν	— διὰ δέ	(vs. 1; 2)
μὴ ἀποστερεῖτε	— εἰ μή	(vs. 5) [1])
θέλω	— ἀλλὰ	(vs. 7)
λέγω	— εἰ δέ	(vs. 8)
θέλω	— ὃ θέλει ποιείτω	(vs. 32; 36; 38).

Omnia eo recidunt: fac quod libuerit, fac quod non facere non poteris. Nihil hic fanatice dixit illaque omnia secundum Paulum Episcopum ad fidem stabiliendam nil quidquam conferunt. Id quaerendum quid tibi quandocumque felicitatem praestare possit [2]), utrum nuptiae an solitaria vita. Audimus Episcopi lenem ironiam: δοκῶ γὰρ κἀγὼ πνεῦμα

---

1) Lege: ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἴτε.

2) Μακαριωτέρα δέ ἐστιν (ἡ χήρα) ἐὰν οὕτως μείνῃ κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην

θεοῦ ἔχειν, in extremo capite et componimus illa, quibus viri ingenium egregie proditur: περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν κυρίου οὐκ ἔχω, γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ κυρίου πιστὸς εἶναι (vs. 25). Sed admirabile quomodo ille vir, qui tanto opere sibi diffidit in suis proferendis, libenter fragmenta recipit, quae magnum animum spirant et ingenii innatam superbiam. Hinc ea perpetua permutatio verborum θέλω et νομίζω aliarumque locutionum, quae eodem redeunt.

Noli ducere uxorem; noli mittere repudium: perpetuo additur verbum θέλω, sed non sunt ii versus Pauli Episcopi: cf. vss. 7; 8; 32; 10.

Licet matrimonium contrahere; licet uxorem jubere suas res sibi habere: perpetuus in hisce usus est verbi νομίζω: cf. vss. 6; 12; 26; 40.

Juvat suspicari doctrinam quae traditur illis versibus, qui fere a verbo θέλω incipiunt, esse Ecclesia Christiana vetustiorem. Deinde supervenit Paulus Episcopus, qui receptam doctrinam nondum potuit de statu dejicere, sed nimiam et unice regnantem auctoritatem infregit, juxta illa severa apponens alia multo mitiora, quorum ipse sponsor est: hinc illud νομίζω. Nec tamen statuendum est, Paulum Episcopum contaminationem, de industria hoc agentem, tentavisse. Quidquid dicit facitve, derivatur ex Christiana conscientia, cuius vix ipse conscius fuit. Plus nostra refert considerare qualis ipse sit, quam quae sibi vera esse persuaserit. Adest Christiana religio, quia Christiani fuerunt; non contra.

§ 5.

Tractatur quaestio Περὶ τῶν εἰδωλοθύτων.

Haec quaestio tractatur 1 Cor. 8 et 10. Octavum caput docet quod sequitur:

Etiam in idolio carne vesci poteris. Quum noris idolum

(vs. 39 coll. vs. 8). Itidem fortasse: θλῖψιν δὲ τῇ σαρκὶ ἕξουσιν οἱ τοιοῦτοι, vs. 28b, quantum quidem intelligimus. Pertinentne eodem vss. 28b—31, sicuti vs. 35?

nihil esse, idoli domus tibi mera domus est et quae caro idolo oblata fuit, caro est. Verum sunt fideles, qui etiamnunc idola adorant (cf. 5, 11) atque proinde abominandis epulis intersunt. Noli eorum parum robustam fidem ulterius pervertere, quum illis epulis assideas. Satius est carne abstinere, quam juxta Deum alios Deos, juxta κύριον Ἰησοῦν unum „pluresve" κυρίους adorare velle videri, quum multi ea superstitione teneantur.

Unum Deum unumque κύριον nosse (vs. 7), haec est illa γνῶσις, de qua agitur vs. 1 et 2. Qui ea scientia caret (vs. 10 et 11), non ἄπιστος nominatur, sed ἀσθενής: infirmus. Vs. 10 accurate ostenditur quid rei caput sit: οἰκοδομηθήσεται (ὁ ἀσθενὴς) εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν. Neque igitur legimus vs. 13 aliorum infirmitati aliquid dandum esse, nec legitur, si forte frater vesci carne non audeat, cavendum tibi esse, ne eius animum offendas. Imo docemur nos firmiter proposito adhaerere debere: noli, inquit, id agere quo error propagetur. Quum de Protestantium numero sim, liberum mihi est Beatam Virginem pingere ad exemplum Raphaelis; verum si quis anceps haerens inter utramque Ecclesiam inde efficit mihi Beatam Virginem Dei matrem videri, Virgines non pingam in aeternum.

Hoc docet cap. 8, sicuti etiam cap. 10, 23—29ᵃ: accumbe audacter ad mensas infidelium; noli quidquam timere, donec quis offendatur, nam fratrum conscientiis parcendum est.

Multum diversa ratio est cap. 10, 1—22 et imprimis vs. 21. Hic enim idola non sunt οὐδέν, sicuti 1 Cor. 8, 4, sed δαιμόνια.

His versibus exponitur fideli non licere nefandis epulis interesse et quidem duabus de causis, primum ne a vera fide desciscat, metuens Israelitarum exemplum; secundum, quia duplex κοινωνία est, altera Jesu, altera daemonum. Horum quis particeps fit τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίων [1])

---

1) Vs. 19 huc non pertinet et lege: τί οὖν φημί; ὅτι ἃ θύουσιν κτέ. Hic versus si genuinus videbitur, simpliciter iteratum esse intelliges 8, 4, unde supervacanea fit illa expositio de duplici communicatione.

οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμόνων γίνεσθαι (vs. 20b).

Diverso modo eadem res tractatur 10, 29b (ἵνα τί)—31. Quodsi tibi γνῶσιν secuto permittit conscientia, polluta illa carne vesci, noli aliorum infirmitatem respicere: stultum est κρίνεσθαι ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως. Cur calumniantur homines meamque arguunt a vero Deo defectionem, quod grato animo ab Deo concessam libertatem usurpo?

Quid Paulus Episcopus de quaestione multum tractata ipse censuerit, videmus 10, 31 sqq. Tradit tres παραδόσεις, sed ipsam quaestionem non pertractabit. Hoc tantum summo opere hortatur ut vescamur, bibamus, omnia denique faciamus εἰς δόξαν θεοῦ. Qui Christianam vitam perpetuo commendat, hoc unice agit; deinde ubi ad ipsam rem ventum est, quod aliquo modo ac ne vix quidem aliquo modo concedi poterit, id omne statuit concedendum: ἀπρόσκοποι καὶ Ἰουδαίοις γίνεσθε καὶ Ἕλλησιν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ. Neque hoc facit ut molestias vitet, sibi ipsi consulens et satis contentus modo sibi bene sit; imo non quaerebat τὸ ἑαυτοῦ σύμφορον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσιν (vs. 23). Jam ante praecipit animo quod statim exsequetur: καὶ ἐὰν εἰδῶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν (jam enim novimus quae ea γνῶσις esset et quomodo referretur ad illam quaestionem quam agitabat), ἀγάπην δὲ (quae nunc quidem est cupido offensiones vitandi) μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι (13, 2).

Semperne ei contigit esse tam beatum ut ἀπρόσκοπος esset? Id quidem negandum videtur, quum toties necessitate coactus fuerit, defendere suum vitae institutum adversus malevolorum hominum criminationes. Utcumque est, nunc certe molestiarum illarum obliviscitur: felicem se deputat, dum scribit exsultans: πάντα πᾶσιν ἀρέσκω, quibus verbis ingenium prodidit longe diversum ab eo qui scripsit Gal. 1, 10.

Quomodo Paulus Episcopus ordinare soleret fragmenta quae reciperet, imprimis luculenter apparet cap. 10, 13. Uti aequum est, desinebat fragmentum his verbis: ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ. Hoc ei in memoriam revocabat crebros πειρασμοὺς τοῦ πονηροῦ, quibus etiam fideles

expositi sunt; deinde hanc causam nactus, ludibundus de tentatione locum, quem alicubi offenderat, descripsit. Est enim vs. 13 loco minime suo positus, nam πειρασμὸς hic eorum est qui multa perpetiuntur, sed praecedens versus facit, ut tentationis mentio fieri debuerit. Nunc autem πειρασμόν esse id quod diximus, apparet ex verbo ὑπενεγκεῖν. Mala enim patimur, sed tentationi resistitur. Idem patet ex usu verbi ποιήσει: Deus enim auctor πειρασμοῦ, sed non tentabit certe num forte ad falsos deos desciscere velimus. Attendendum denique ad ὑπὲρ ὃ δύνασθε, nec sane intelligemus tentationem Christianis vix exsuperabilem, ut sese ad idola convertant.

§ 6.

Tractatur quaestio de S. Coena.

Duae pericopae huc in censum veniunt:

a. 1 Cor. 10, 16—21, cf. 1—12.

b. 1 Cor. 11, 17—34.

a. Duplex κοινωνία est; altera est κοινωνία τοῦ αἵματος χριστοῦ, altera κοινωνία τοῦ σώματος χριστοῦ.

Illa κοινωνία τοῦ αἵματος vocatur vs. 21: τραπέζης κυρίου μετέχειν. Quia τράπεζα idem est quod θυσιαστήριον, vide modo quae statim sequitur τράπεζα τῶν δαιμονίων, τράπεζα hic non est mensa, in qua panis appositus est, sed ara in qua sanguis conspicitur.

Ad κοινωνίαν τοῦ σώματος contra, non ara intelligitur, sed mensa, cui adsidentes, dum panem frangimus et manducamus, EN σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν (vs. 17). Ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν· hoc caput rei est.

Post κοινωνίαν genetivus necessario objectivus est. Itaque σῶμα hic non est Christi corpus, ne duo genetivi idem indicent, cum corpore sanguis jam comprehendatur. Itaque σῶμα χριστοῦ Ecclesia est de Christi nomine appellata.

Altera κοινωνία refertur ad Christi sanguinem; altera comprehendit eam universitatem, quam Ecclesiam vocamus. Altera symbolice indicatur, dum bibitur ex uno pluribusve

poculis (hoc enim nihil ad rem); altera, dum communiter *unum* panem manducamus (ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν).

Nunc componamus 10, 1—12, qui versus monstrant quod sequitur:

1°. Omnes Israelitae plane eundem potum biberunt quem nos; nos enim τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, illi autem ex rupe quae erat Christus (ἡ πέτρα δὲ ἦν ὁ χριστός).

2°. Omnes Israelitae plane eandem escam manducaverunt, quam nos; nos enim panem, sed quid illi? Responsum accipimus nullum.

Vss. 6 et 11 docemur quomodo Israel τυπικῶς demonstret, quid de nobis fiat possitve fieri. Sed quia Israelitis πόμα πνευματικὸν Christus est, h. e. quia illis plane idem est quod nobis est, sicuti illi defecerunt, nos quoque poterimus deficere, ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ.

Jam sequi oportebat: Si quidem Israelitis βρῶμα πνευματικὸν est?..... h. e. plane idem quod itidem nobis est, eodem modo poterit, cet. cet.

Haec dubia omnino non solvuntur. Novimus quid sit Israelitarum et Christianorum τὸ αὐτὸ πόμα; quid *utrisque* sit τὸ αὐτὸ βρῶμα, nescitur.

Similis lacuna est vs. 21. Christianorum ποτηρίῳ oppositum est τὸ ποτήριον δαιμονίων· sed sicuti frustra quaerimus, quodnam Israelitarum βρῶμα nostro simile sit, sic frustra iterum circumspicimus, quodnam Gentilium βρῶμα oppositum sit βρώματι Christianorum. Alterum in S. Coena symbolum *hisce* locis parce admodum ac parum integre illustratur. Locus est nebulis obsitus. Quid apud Israelitas pani respondebat? Est altum silentium et plane, uti aiunt, ἀπροσδιόνυσος est vs. 10, 3. Quid pertinet panis ad κοινωνίαν τοῦ αἵματος; Nemo facile dixerit et ne conjecturam quidem licet periclitari, nam panis non Christum repraesentat, sed nostram in Ecclesia unitatem. Quid est panis collatus cum aliqua gentilium caerimonia? Micamus in tenebris, nam vs. 21 panis fractus ne memoratur quidem.

Praeter 1 Cor. 10 non est alius in Novo Testamento locus, qui nos docere possit quid tandem sit βρῶμα πνευ-

ματικόν. Matthaeus et Marcus rem in medio relinquunt habentque tantum: hoc est corpus meum. Quod apud Lucam additur 22, 19: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν δεδομένον si nimium presseris, consequens erit quod absurdum est: sicuti panis *datur*, sic etiam corpus meum *datur!* Cogitabimus fortasse 1 Cor. 10, 16 de pane *fracto*, sed perit similitudo, nam Jesu corpus non fuit fractum, sicuti debuisset fieri. Nonnulli codices 1 Cor. 11, 24 post τὸ ὑπὲρ ὑμῶν adscriptum habent quod absurdum est: θρυπτόμενον. Nemo novit quid tertium sit in comparatione corporis cum pane. Nec magis quidquam ad explicationem conferet „panis fractio". Confer Luc. 24, 39; Act. 2, 42; 2, 46; 20, 7; 27, 35 et videbis nusquam iungi τὸ πίνειν ἐκ τοῦ ποτηρίου cum panis fractione neque ullam satis idoneam causam esse cur de S. Coena cogitemus, cum praesertim Act. 2, 46 non illud certe Lucas tradere voluerit, commemoratam fuisse Jesu *mortem* „circa domos" idque factum fuisse cum „exsultatione cordis".

Jam fac *ante* S. Coenam institutam homines vulgo celebravisse „panis fractionem", si Jesus ea nocte qua captus est novam notae rei addidisset significationem, verosimiliter *post* institutam S. Coenam nova significatio illius „fractionis panis" quodammodo pelluceret.

Sed solum restat ut videamus numquid conferat 1 Cor. 11, 23 sqq.; verum statim in oculos incurrunt eae res quae sequuntur:

1°. Locutioni ὁσάκις ἂν πίνητε vs. 25, non respondet ὁσάκις ἂν ἐσθίητε vs. 24.

2°. Vs. 26 panis et vinum eodem loco habentur, sed versum interpolatum esse dixeris ut suppleretur quod supra omissum erat.

3°. Vs. 24, ubi Jesus panis fractionem praecepisse dicitur, nihil est quo Jesu mortem recordari jubeamur, id quod vs. 26 in S. Coena praecipuum est.

4°. Nemo poterit negari (cf. vs. 25 cum vs. 24) de poculo agi maiore cum cura quam de pane.

5°. Satis intelligimus quid sit reum esse sanguinis alicuius, 11, 27; sed quid tandem est reum esse corporis

alicujus? Nihil, uti opinamur, sed contorte ita scribitur quod membrorum parilitas flagitabat, ut de corpore (= pane) idem praedicaretur quod de sanguine (= poculo).

6°. ΕΚ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω dictum videtur ad eam normam, secundum quam dicitur ἐκ τοῦ ποτηρίου· vide tamen Joh. 6, 51.

Idem apparet apud Lucam cuius narratio proxime accedit ad eam pericopen quam examinavimus. Primum Jesus sumit poculum (Luc. 22, 17) idque jubet circumferri. Deinde panem sumit (vs. 19), sed mox poculum iterum sumit (vs. 20). Poculum est, ad quod animum attendere jubemur.

Etiam apud Matthaeum et Marcum descrimen incurrit in oculos. Non legimus Matth. 26, 26 quid fieri debeat de Jesu corpore, sed vs. 27 de sanguine id quod desideramus, minime omittitur. Etiam vs. 29 de pane silentium est, sed audimus Jesum aliquando poculum hausturum esse in regno Patris.

Est ea admirabilis convenientia et in examinando cap. 10 ducimur eodem, quo ducebamur in examinando cap. 11, 23 sqq. Ubi describitur id quod S. Coenae exemplo fuit, 10, 1—12, plane idem nobis obscurum est, quod obscurum esse videmus in ipsius Coenae descriptione. Quid sit βρῶμα πνευματικὸν 10, 3 haud magis intelligimus, quam quid panis significat 11, 24.

Secundum 11, 25 poculum circumlatum fuit μετὰ τὸ δεῖπνον; itaque in hac quidem pericope fractus panis fuit *inter coenam*. Revera proxime praecedunt versus (11, 20—22), quibus κυριακὸν δεῖπνον describitur. Estne fortasse hoc δεῖπνον iteratio illius coenae, quum panis fractus fuit? Estne κυριακὸν δεῖπνον ipsa S. Coena? Minime certe, vide modo vs. 21. Quis facile crediderit poculum sanguinis Novi Testamenti ad ebrietatem usque circumlatum fuisse? Tam immane sacrilegium non fuisset castigatum mitibus verbis: ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ καταφρονεῖτε et mox: τί εἴπω ὑμῖν; ἐπαινῶ ὑμῖν ἐν τούτῳ; οὐκ ἐπαινῶ. Quis enim ad figuram confugiet, quam λιτότητα appellant?

Versuum 20—22 haec est sententia: postquam convenistis ad communem coenam (si quidem legendum est

κοινόν), vel die Domini (si servanda est lectio κυριακόν), nihil fit satis decore, sed rapit unusquisque cibos quos ipse contulit, antequam omnes ordine accubuerint ac proinde (legendum enim (καὶ) ἐν τῷ φαγεῖν) in ea fratrum communi coena esurit alter et alter genio nimium indulget. Si cibo vos ingurgitare juvat, domi manete neque abutendum est conventibus, qui quomodocumque tandem Deo consecrati sunt. Non ille locus est, ubi luxuria vestra confundatis animos pauperum fratrum, qui nihil ipsi conferre potuerunt, sed jure suo vestram largitionem exspectaverunt. Nec sane negligendum est illud καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας vs. 22, nam etiam indigentes sacro poculo abuti potuissent, quod si minus fecissent, abstinentia numquam fuisset causa ruboris [1]).

Versus 20—22 continuantur versu 29; quodsi enim illo versu 29 continuarentur vss. 23—28, qui proxime praecedunt, fuisset scriptum: ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, quod adverbium nunc, uti vides, deest, cf. vs. 22. Sed ἐσθίειν καὶ πίνειν vs. 22 *helluari* significat, quo sensu τὰ πατρῷα κατεσθίειν καὶ καταπίνειν Graece dicitur, itaque minime mirandum quod legitur vs. 29: μὴ διακρίνων τὸ σῶμα neque additur τοῦ χριστοῦ, nam helluo *suum ipsius* corpus non διακρίνει nec quaerit quid possit et officium suum negligit. Itidem vs. 31: εἰ δὲ ἑαυτούς (non Christum vel Christi corpus) διεκρίνομεν· non enim satis discernimus quid animum corpusque nostrum deceat. Nunc etiam intelligimus vs. 30 illud διὰ τοῦτο, quod reliquis interpretibus tam mirum visum est. Non enim sunt diuturni morbi eorum qui peccarunt in Jesu corpus, sed in sua ipsorum corpora quorum vitium est ex intemperantia ortum [2]).

Vs. 33 sq. finis est fragmenti 20—22, 29—31 et apparet quid scriptor velit: ἀλλήλους ἐκδέχεσθε. Itidem est attendendum ad sequentia verba: τὰ δὲ λοιπὰ ὡς ἂν ἔλθω διατά-

---

1) Nihil proderit pro μὴ ἔχοντας corrigere μετέχοντας, non enim sunt pauci quidam qui intemperantia confundunt τοὺς μετέχοντας vel παρόντας, sed scriptoris reprehensio divites omnes tangit.

2) Κοιμῶνται, vs. 30, nostra artificia eludit; fortasse corruptum est.

ξομαι (34b). Itaque etiam διαταγὴ fuit, quae praecedebat, quod tamen nomen haudquaquam convenit pericopae vss. 23—28, quod novum argumentum est cur ab reliquis secernendum sit.

Haec omnia confirmantur accurata examinatione vss. 23—28. Conjunctio γάρ vs. 23 ita demum hanc pericopen conjungere poterit cum vs. 20—22, si sequetur S. Coenae descriptio, qua ostenditur fratrum mutuum amorem ea solemnitate foveri et confirmari. Sed nil tale legitur et sensim demum apparet Iesum ad mensam accumbere neque additur qui praeterea convivae fuerint, nec magis Paschale festum domesticis gaudiis quasi consecratum usquam respicitur. Quam apte veteris festi sanctimonia componi potuisset cum temulentis conviviis, quae Israelitae Deum metuentes insita quadam religione odisse debebant.

Sed satis apparet quo tendamus. Nihil ultra consequi potuimus quam quod vidimus 1 Cor. 10, 16 sqq. Hoc firmiter teneamus: fuerunt ab initio duae κοινωνίαι, duae διαθῆκαι, duae diversae solemnitates, quarum altera symbolico poculi usu Jesu sacrificium repraesentabat, altera autem cuius panis fractus symbolum erat, repraesentabat Christianorum concordiam et fraternum amorem.

Haec omnia jam scripseramus, quum reperta fuit ἡ τῶν Ἀποςόλων Διδαχή, qua superiora eximie confirmantur. Ecce loci:

IX. 1: περὶ δὲ τῆς εὐχαριςίας, οὕτως εὐχαριςήσετε πρῶτον περὶ τοῦ ποτηρίου· Εὐχαριςοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβὶδ τοῦ παιδός σου, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

3: περὶ δὲ τοῦ κλάσματος· Εὐχαριςοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ζωῆς καὶ γνώσεως ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ὥσπερ ἦν τοῦτο τὸ κλάσμα διεσκορπισμένον ἐπάνω τῶν ὀρέων καὶ συναχθὲν ἐγένετο ἕν, οὕτω συναχθήτω[1]) σου ἡ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς εἰς τὴν σὴν βασιλείαν κτέ.

1) Verbi συνάγειν creber usus est in Novo Testamento: Matth. 12, 30; 13, 47; 25, 24; Luc. 3, 17; Joh. 6, 12; 11. 52; imprimis Apoc. 19, 17.

In neutra formula quidquam invenimus de peccatorum remissione; in altera ad Jesu mortem nullo modo respicitur: nec possunt vetustissimae formulae intelligi, si vera sunt quae de S. Coena vulgo traduntur, sed facillima intellectu sunt ad eam lucem, quam Epistula ad Corinthios nobis accendit.

Neque hoc mirum est. Apud Judaeos certe, qui ab haustu sanguinis tanto opere abhorrebant, ποτηρίου usus oriri vix potuit Apud Graecos autem, imprimis postquam Orphicis caerimoniis vetus mythologia novam quasi formam induit — quo vix quidquam in hoc genere memorabilius censemus esse — minime inaudita erat Dei patientis κοινωνία τοῦ αἵματος satisque credebant populum innocentis sanguinis effusione purificari posse [1]). Itaque consequitur S. Coenam non esse derivandam ex Paschali festo Israelitarum, nec panis frangitur, ut hoc utamur, quia paterfamilias apud Israelitas itidem panem frangit. Etiam ad Paschalem agnum ut vetus institutum explicetur non respicitur [2]).

S. Coena, quum vinum bibimus τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβίδ, instituta fuit antequam creditum est Christi sanguine peccata nostra redimi posse; solemne est, comparandum cum Orphicis Graecorum caerimoniis, sed quo tempore Christiani illud solemne amplexi sunt, transformatum est ut spiraret aliquid altius, purius et excellentius. In omophagiae locum successit Christi caro, qua symbolice vescimur (Joh. 6, 51) et furor orgiasticus cessavit, ut poculo locus esset, quae commonstrat κοινωνίαν τοῦ αἵματος χριστοῦ [3]).

---

1) Cf. V. c. Athen. p. 602 (διαβόητα δ'ἐστί). Diog. Laert. Epimen. 3 (γνωσθεὶς δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι). Cum Matth. 26, 26 quodammodo conferri potest Plat. Rep. p. 363 (Μουσαῖος δὲ τούτων).

2) 1 Cor. 5. 7 non referendum ad S. Coenam.

3) Diserte affirmamus nos in iis, quae ad Evangelicam historiam pertinent, non ea scribere, quae usquequaque et ab omni parte nobis stabilita videntur sed ea tantum, quae derivantur ex accuratissima interpretatione earum Epistularum, quas nobis sumsimus tractandas. Quid censendum sit de Evangeliis et de Apostolorum Actis, non obiter et quasi in transcursu disseri debet. Sicuti in naturae studio videmus, singularum disciplinarum diversas esse ὑποθέσεις, quas *nondum* inter sese imprudenti consilio contendere nos oportet, sic bona methodus id fla-

Cum hoc solemni nihil ab initio commune habebat festum, quo Ecclesiae unitas celebrabatur (1 Cor. 10, 16). Narrabant Jesum cum discipulis accumbentem, sumto pane dixisse: haec est Ecclesia mea, meum σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (secundum Vaticanum Codicem, neque additur participium Ev. Joh. 6); est enim haec ecclesia supra vos et repraesentat vos; eodem sensu quo eam praepositionem usurpatam invenies Hebr. 5, 1.

Catholici viri mature duo solemnia conjunxere, idque jure. Etiam apud Christianos dum poculum circumferebatur, suspicamur non continuo periisse memoriam veterum illorum orgiorum sacrorum. Satis est credibile non omnes falsas criminationes fuisse, quas Gentiles proferrent, quum S. Coenam acerrimo odio prosequerentur. Erant, uti vidimus, qui ab coena Domini ebrii redirent; nempe dudum remansere vestigia antiquae intemperantiae, quum omnes se quasi enthusiasmo putarent incitari.

Primum igitur apud priscos illos Catholicos conjunctus panis cum poculo fuit: deinde obtinuere quod ab initio voluerunt primusque locus pani datus fuit. Quum Ecclesia Catholica res humanas sapientissime discerneret, et intellexit quid miserorum mortalium insita mentis indigentia flagitaret et sensit quomodo satisfaciendum esset iis quae humana natura flagrantissime desideraret.

Transsubstantiatio convelli non potuit. Ecclesia Romana tota ex ea pendet. Luthero concordia tanti non fuit, ut proderet illud τοῦτ' ἐςί. Calvinus adversus Zwinglium spiritualem manducationem mordicus retinuit. Inter Protestantes, plerique qui hodie pie et impulsu inexplebili ad S. Coenam adsident, aut credunt aut suspicantur certe, ineffabile quoddam mysterium celebrari. Verum si quaeris, in vetustissima Christiana Ecclesia nihil est transsubstantiatione antiquius, etiamsi dogma non ante initium saeculi

---

gitare videtur, ut ante omnia Pauli Epistulas quae prae ceteris genuinae habentur, per se solas spectemus. Nostrum est videre quousque hanc methodum secutis progredi liceat, sed quod ultra est, nondum possumus curare.

tertii decimi legitime sit constitutum nec calix populo negatus fuerit ante initium saeculi quinti decimi. Quis autem facile crediderit, opinionem, quae tam late patuit tamque diu retenta fuit, potuisse oriri ex Graeco quodam verbo perperam intellecto? Num credimus mortales numquam divinam substantiam in succum et sanguinem vertisse, si paulo fuissent Graecae grammaticae peritiores? Ubi effectum cernimus tam immensum, causa non exigua poterit videri.

Horum tamen omnium origo ab vini usu repetenda, cuius vis tam est admirabilis in sanguinem totamque nostram humanam naturam. Non erat illud vinum, sed vere divinus sanguis, φάρμακον ἀθανασίας. Panem si quis dentibus manducat, haud facile sentiet se Deum manducare. Pii autem homines libenter credunt vinum mutare substantiam et quod corpus sentit, ducit ad id quod sibi persuaserunt; hic habemus verum mythum, quo divinum mysterium traditur. Sed diverso modo panis transsubstantiatio dogma evasit, quod postea duxit quidem ad fidem, sed non ex fide ortum est.

Hoc dogma gloria est Ecclesiae Catholicae. Quum doceret, quomodo mortalis homo divinam substantiam in sanguinem convertere posset, satisfecit desideriis, quae in hac utique parte mundi jam sentiebantur quinque saeculis ante partum Virginis; sed quum vino panem substitueret, sese penitus separavit ab orgiis Graecorum et Romanorum. Neque hoc fortuitum erat, nam Ecclesia, quam ab initio panis repraesentabat, sensim mutata fuerat in Corpus Christi mysticum, supra fideles eminens eosque comprehendens (ὑπὲρ ὑμῶν), sola salutifera eodem modo quo ipsum mysticum Caput salutem pollicebatur. Conturbantur mentes eorum qui divinum sanguinem sibi haurire videntur; nunc succedebat verior multo et fecundior conscientia, uno eodemque sacramento homines conjungi cum Capite invisibili et visibili Ecclesia [1]).

---

1) In pericope quam tractavimus nunc etiam intelligimus cur tam obscuri versus sint 10, 3 et 11, 24; sed etiam quomodo olim 11, 23 sequi potuerit post 11, 20—22. Quamdiu traditio de pane (23 et 24) nondum conjuncta erat cum poculi

§ 7.

De Eschatologia.

Quid scriptor primae Epistulae ad Corinthios de Eschatologia sentiat, legitur cap. 15, quo contineri videmus fragmenta quae sequuntur:

1°. Vss. 1—4; 9—11: Scriptor defendit se ipsum.

2°. Vss. 5—8; 14; 15ª; 17 sq.: Demonstratur Jesum surrexisse.

3°. Vss. 12; 13; 15ᵇ; 16; 19; 20 sq.; 29—32ª: Etiam mortui surgent. Jesu quoque exemplum hoc demonstrat.

4°. Vss. 23—28; 39—41; 50—52; 55 sq.: Considerationes Eschatologicae.

5°. Vss. 36—38; 42—49; 53 sq.: Quaeritur de harum rerum praesenti statu. Non sunt hi versus proprio sensu de eschatologia.

6°. Vss. 32ᵇ—34; 57 sq.: Adhortationes morales.

7°. Vss. 22 et 35: Compilatoris additamenta.

Quam recte caput hoc modo diviserimus, ostendetur in sequentibus.

1°. Inde a vs. 5 scriptor novum orditur argumentum. Quatuor primi versus sunt de ratione docendi, qua scriptor perfunctus est (γνωρίζω . . . τίνι λόγῳ) ibique docemur Christum mortuum et sepultum esse et surrexisse κατὰ τὰς γραφάς, in quibus verbis cardo rei est. Sed vss. 5—9 eo non possunt referri et a vs. 9 demum continuatur argumentum, quod vss. 1—4 inchoatum fuerat; verum ubi testes advocantur Jesum post mortem revixisse, non locus

---

mentione, poterat quis reapse oppugnare αἱρέσεις (vs. 19) monstrando panem quippe unitatis symbolum.

Quod Paulus Episcopus inseruit 11, 23—28, satis indicat tunc temporis Corinthi panem et poculum nondum conjuncta fuisse. Cur enim tanta cum gravitate descripsisset formulas quas omnes norant et omnibus diebus Dominicis audire poterant? Intelligere nobis videmur, cur Paulus tam libenter haec omnia perscripserit. Abhorrebat mansuetum ingenium ab omni sanguinis haustu, cui libentissime S. Coenam substituebat.

est versibus 9 et 10, quum praeterea vs. 11 appareat revera hoc agi ut κήρυγμα describatur. Fuit scriptor ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων, uti ait ipse vs. 9; hinc intelligimus verba: παρέδωκα ... ὃ καὶ παρέλαβον, nempe docuit quod antea acceperat ab aliis, sed minime haec idonea causa fuit, cur Christus ei omnium ultimo appareret: imo Magdalis oriunda fuit quae prima Christum vidit postquam surrexit.

2⁰. Testimonium dicere jubentur qui Jesum post mortem vivum conspexerunt, vss. 5—8: quod plane inutiliter fit, nisi scriptor hoc ipsum agat ut demonstret Jesum revera surrexisse. Ad idem demonstrandi genus pertinet, quod provocat ad nostrae fidei vanitatem, si quidem Jesus non fuit suscitatus, ad fidem minime sollicitandam eorum qui docuerunt Jesum surrexisse (14, 15ᵃ, 17) et ad miseram sortem τῶν κοιμηθέντων ἐν χριστῷ, si certissima fides vana fuisse reperietur.

3⁰. Hic autem jam sumitur quod supra § 2 demonstratum fuit. Quum Jesus vere surrexerit, jam quaeritur quid inde efficiatur (12; 13; 15ᵇ inde ab ὅν); 16; 19 (de quo versu quum nimium obscurus sit, quaeri potest sitne fortasse referendus ad § 2); 20; vs. 21 non minus certa est resurrectio alterius ἀνθρώπου quam mors prioris. Etiam vss. 29—32ᵃ demonstrant scriptorem hoc probare velle, mortuos resurgere sicuti Jesus resurrexit. Vs. 22 autem a compilatore adscriptus fuit, ut vs. 21 cum vs. 23 quodammodo conjungeretur; sed ne ipsum quidam se intellexit, nam ἀνάστασις quae tamen ab ipsa Jesu resurrectione repetitur (cf. 6, 14, ubi ἐξήγειρε legendum), nunc per futurum ζωοποιηθήσονται in futurum tempus differtur; quin et consequens foret vs. 23 etiam Christum post demum suscitatum iri.

4⁰. argumentum tractatur ab Jesu resurrectione alienum; quin et pugnat illud ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος (26) cum δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις (vs. 21) et cf. infra vs. 54. Scriptori horum duorum versuum mors jam nunc interiit. Vs. 23—28 est imprimis notabile esse etiam mansuram hierarchiam ἐν τῇ παρουσίᾳ, quo circa etiam vs. 39—41 eodem referre licebit, nam ibi quoque sermo fit de anim-

antium disparilitate. Itidem vss. 50—52 vulgari sensu de eschatologico argumento sunt. Vs. 52 luce clarius fit, jam vs. 23 non agi de resurrectione; si unusquisque surget ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι, non sane omnes ἐν ἀτόμῳ .... ἐγερθήσονται secundum vs. 52. Eodem praeterea optime retuleris vss. 55 sqq. (certo enim certius est eos pristinum locum non servasse) propter illum ἔσχατον ἐχθρὸν vs. 26 collatum cum verbis ποῦ σου, θάνατε, ὁ νῖκος; vs. 55. Versamur hic in eodem cogitandi genere, sed illud νῖκος vs. 55 planissime non referendum ad εἰς νῖκος vs. 54.

Excellens fragmentum est quintum. Neutrum genus, quod ubique usurpatur, sumtum fuit ex intimis philosophiae recessibus. Scriptori propositum est demonstrare ὅτι τὸ φθαρτὸν κληρονομεῖ τὴν ἀφθαρσίαν. Quod periturum est, intus celat quasi semen aeternum et unumquodque germen perveniet ad propriam sibi perfectionem (εἰς) τὸ ἴδιον σῶμα. Compilatori illud ἴδιον „peculiare" erat itaque vs. 39 perrexit describere cuiuscunque σαρκὸς proprietates. Adeo non intelligit quid rerum agatur, ut vs. 50 ne animadvertat quidem se delabi ad considerationes diversas, secundum quas id quod interit (σὰρξ καὶ αἷμα) longe alio loco est, quam illic fuerat, quum legebamus, stricto sensu, nihil plane interire, quod omne ὃ σπείρεις corporis alicuius κόκκος est, quod ex germine aliquando prodibit, postquam nactum fuerit πνεῦμα ζωοποιοῦν (37; 45). Sed vs. 50 contrario modo legitur: οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ estque attendendum ad languidum illud: οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται vs. 52, quod scilicet nonnullis tantum continget (vide ἡμεῖς), quum tamen illud ἀλλαγησόμεθα aperte repugnet generalibus verbis ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ, vs. 36. Cui omnia quae sub luna fiunt sequi videbantur aeternam legem: πρῶτον τὸ ψυχικὸν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν (46), is scriptor diversus erat ab eo qui hujus mundi historiam in periodas dividebat, quas tuba auspicaretur, adeo ut vs. 52 de novissima tuba sermo sit. Inter fragmenta quintum et quartum eadem est ratio quam 1 Cor. 1—3 deprehendimus inter Israelitae illius secundum mundum stultitiam et illos sapientes non multos Pauli

Episcopi, vel inter excellentiam caritatis, 1 Cor. 13, 1 sqq. et ancipites sententias in extremo capite. Vss. 37 et 46 metaphysicae leges sunt, quibus rerum natura regitur. Nihil est quod *non* sit; omne enim *nondum* est; nihil esse negatur, nihil truncatur, sed in omnibus nondum perventum est ad perfectionem. Contra in quarto fragmento omnia revera fiunt et omne quod revera fit paret fortunae. Praeteritum propheticum, quo id denotatur quod praesens erit in aeternum (veluti κατεπόθη 54 cf. 6, 14), cedit mero futuro tempori et abscissis alis aquila in terram decidit. Quintum fragmentum non fluxit ex certa aliqua de divinis rebus persuasione; nihil impedit quominus scriptorem Israelitam fuisse credamus. Sed in quarto fragmento Paulus Episcopus omnia decurtavit ad normam Christianae religionis et magnifica humiliora facta sunt sed populi imperiti intelligentiae aliquanto aptiora. Creditum fuit ὅτι τὸ φθαρτὸν κληρονομεῖ τὴν ἀφθαρσίαν quousque penetravit illa *tuba magnum clamans sonum.* Paulum Episcopum vix satis admirari possumus. Fecit cap. 15 quod ante fecerat cap. 13. Agnum qui in summo monte vulturem metuebat, deduxit in convallem, ubi immolaretur et pararetur. Quotusquisque est qui intelligat: ἄφρων σὺ ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ! Quotusquisque est qui diligat mortis terrorem tanquam necessariam conditionem coelestis vitae? Sed infinita multitudo est eorum qui delectantur illis: ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον, τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία (55 sq.). Hoc de morte dictum quam verum sit, ipsi sentiunt.

6°. Parum credibile est illud φάγωμεν καὶ πίωμεν olim cohaesisse cum tertio fragmento nec nobis persuademus illas ὁμιλίας κακὰς (33) eorum tantummodo fuisse qui ἀνάστασιν non esse crederent, nam apparet ex tertio fragmento Christianos fuisse qui negarent ἀνάστασιν in genere, sed Jesum ipsum surrexisse concederent. Fuerint illi Sadducaeorum illorum veterum instar, qui historica veritate contenti, negarent rem latius patere et dogmatice amplexandam esse (cf. 6, 14). Sextum igitur fragmentum scriptum est in Epicuri gregem, in eos qui ita notantur: ἀγνωσίαν θεοῦ ἔχουσιν.

Etiam vs. 57, quo excitamur ut gratum animum ostendamus, non eius esse potest qui scripsit vs. 54. Lusus qui est circa verbum νῖκος; ab eo plano alienus est.

Idem videmus 1 Cor. 15, quod per totam Epistulam offendimus. Sicuti 1 Cor. 7. post unumquodque θέλω, subsequitur νομίζω, eodem modo in hoc quoque Capite gravia et tenuia locum alternant.

Sunt veterum vaticinia de morte et sepultura Jesu. Animo viderunt prophetae quae postera aetas oculis vidit. Potestne quid esse certius? (1—4). Potest, Paulus Episcopus ait: nimirum ὤφθη πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ· et si quis etiam dubitat: horum οἱ πλείονες μένουσιν ἕως ἄρτι (6). Ipse etiam Paulus Episcopus poterit testimonium dicere: ipsi quoque Jesus apparuit, quamquam vix sero tandem: quod tamen minime illi imputandum est, nam occasionem captat obiter addendi: περισσότερον ἀποστόλων πάντων ἐκοπίασα (5—10). Non sentit quam nihil hoc nunc curemus.

Deinde redit ad vetus documentum, quod vs. 21 terminatur pulcra illa oppositione: per hominem mors et per hominem ἀνάστασις [νεκρῶν]. Sed Paulus Episcopus vertiginem sentit et quasi legisset, nos ab homine quodam interfici, addit vs. 22 Christum nos in vitam revocaturum esse. Sic ei paratur transitus ad fragmentum, quod ei in deliciis erat, quod unitatem non minoris faciebat quam hierarchiam (cf. 12, 27 sq.). Surget unusquisque ἐν τῷ τάγματι ἰδίῳ et sic concident regni hostes, unus post alterum et mors omnium postrema. Jam Deus erit omnia in omnibus; bono animo igitur quotidie moriamur (vs. 31). Tam eximiam occasionem nactus non praetermittet Paulus Episcopus, quae ipsi acciderunt. Pugnavit aliquando adversus bestias in arena: τί μοι ὄφελος, rogat, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; Ingenue prodit quid sentiat animus: φάγωμεν, inquit, καὶ πίωμεν, si mortui non resurgunt, nam etiam vita vere Christiana nihil eum delectat nisi adsit spes Paradisi Coelestis. Mox misso argumento quod tractare coeperat, defertur ad exhortationes, sed cito corripit se ipsum: ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται οἱ νεκροί; Tum sequitur eximium illud fragmentum:

quod nunc est, germen futuri est et perfectio (Aristotelicum τέλος) respondebit aliquando ei quod germen intus celabat. Sed alio hoc deflectit Paulus Episcopus: unumquodque genus suam habet σάρκα (39 sq). Nec tamen stricte pergit scribere, nam vs. 41 *generum* diversitati succedit ea δόξης diversitas, quam in singulis cernimus: (ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει). Ex germine planta: hoc docebamur vss. 35—38, et nunc hierarchia demonstratur, quum omnes plantae non aeque pulchrae sint: eaque sententia explicatur exemplo a sideribus petito, h. e. ab iis corporibus, quorum secundum vulgarem opinionem germen nullum est. Nihil tamen horum sentit ipse et redit ad ducem suum atque sic semper magnificentius scribit, donec tandem vs. 49 dithyrambum propemodum canere videatur: φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου.

Postquam tam alte evolavit, decidit in terram additque: τοῦτο δέ φημι κτέ., quae mere prosaica oratio est, si contuleris cum sublimibus illis quae praecesserunt. Dum perpetuo sursum deorsum fertur, quid mirum hoc capite scriptorem nobis non magis placere quam cap. 13. Alte canere incipit et subinde supra nubes effertur; quin et ipsa lingua interdum haud mortale sonat et profert quod nemo vincet, nemo obliviscetur; sed arida nimis intervalla sunt, in quibus mira sententiarum exilitas et omnia sunt ad quotidianum vitae usum composita; quin et ipse sermo frigidus semperque relabens eodem [1]).

---

1) Epistulae parum aut nihil conferunt ad historiam illorum temporum constituendam, nec scriptae videntur ad Ecclesias recens conditas. Notabile est 1 Cor. 15, 5 τῶν δώδεκα nomine non numerum, sed honoris titulum indicari, unde dixeris hujus pericopes satis recentem originem esse. Contra vs. 6 per se spectatus satis antiquus haberi debet: etenim ex hominibus 500, qui Jesum post mortem viderunt, pleraque pars superstes erat; unde conficias scribi haec oportuisse vix duodecim tredecimve annis post Jesu resurrectionem. Jamne obliti erant homines tam exiguo intervallo, qui proprie dicerentur οἱ δώδεκα? — Etiam 6, 1 monstrat, Ecclesiam Christianam non admodum recentem esse, quod fideles sancti appellantur et propria quadam jurisdictione utuntur, nec cito ab „judicio de duodecim tribubus", Matth. 19. 28, potuit fieri transitus ad „judicium de mundo" 1 Cor. 6, 2. (In pericope 6, 1—9 animadverte vs. 4 huc non pertinere, nam 1—3 et 5—9 monemur ne ἀδίκους et ἀπίστους eligamus, vs. 4 autem, ne ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Alieni sunt vss. 9b; 10 et 11. Vs. 11 corruptus est. Facilius hi versus collocari potuerunt post 5, 13).

§ 8.

De Capite 16.

Non poterit hoc caput illustrare illorum temporum historiam. Digitum intendimus in difficultates, quae sequuntur:

Versu primo ἁγίων nomine secundum vs. tertium intelliguntur Christiani Hierosolymitani. Hicine appellabantur absolute ἅγιοι (cf. etiam vs. 15)? Tam hoc est mirum ut vix vs. 3 cum vs. 1 conjungere audeas. Etiam vs. 15 magnam parit difficultatem; cur enim Stephanas Achaeus officium suum pollicitus est Ecclesiae Hierosolymitanae?

Vs. 5 manet Paulus Ephesi usque ad pentecosten (vs. 8); deinde vult per Macedoniam Corinthum ire (vs. 5) ibique χρόνον τινὰ commorari; sed etiam fieri potest, ut Corinthi hiemem non transigat sed initio mensis Septembris navi Hierosolyma proficiscatur. A pentecoste usque ad Septembrem mensem exiguum intervallum est: cur perdidisset tempus ultro citroque temere currendo? Addidisse haec videtur, qui opus colorare voluit, nec satis cogitavit temporum et locorum intervalla.

Vs. 10 post 1 Cor. 4, 17 exspectaverit quispiam non ἐάν, sed ὅταν δὲ ἔλθῃ. Quomodo eo consilio quod memoratur 4, 17, Timotheus mitti potuit ab eo qui ne hoc quidem novit possitne ipse ἀφόβως versari et tuto relinquere eos, quorum causa iter suscepisset; quum praesertim ne illud quidem supervacaneum sit monere: μή τις αὐτὸν ἐξουθενήσῃ?

In universum 1 Cor. 16, 1—12 vix agnoscimus eum qui scripserat 1 Corinth. 4, 17 sqq. Quod incertum est 4, 19 parum apte respondet versui 16, 5. Vs. 16, 11 ἐκδέχομαι inutile est post 4, 17. Si quis mittitur tam accurate descripto consilio, exspectamus sane eum rediturum esse. Animadversione dignum est, quoties in Epistulis Timotheus hoc modo in scenam prodeat: 1 Cor. 4, 17; 16, 10; Philipp. 2, 19; 1 Thess. 3, 2. 6; Hebr. 13, 23. Itidem 1 Cor. 16, 12 persuadet nobis ut credamus historicae veritatis speciem arte quaesitam fuisse. Cur Apollo facta fuit mentio, si scriptor nihil aliud de eo dicendum habet?

Mirum est quod asseveratur vs. 21. Subscriptionis ejusmodi fides est ut supervacaneum sit aliquid addere. Aut nota est aut non est. Si nota est, vs. 21 omitti potuit; si non nota est, addito versu nihil proficitur.

Est in hoc capite aliquid coactum et artificiosum, unde magis etiam intricata fit quaestio de harum Epistularum origine. In Gal. 1 et 2 habebamus historica documenta, quorum varia origo, obscura et fortasse inutilia facta perplexa contaminatione; sed minime dubitavimus quin genuina testimonia essent, quae laterent. Verum in hoc capite nihil inest quod non fictum esse possit.

Hucusque nullam causam habuimus cur negaremus Epistulas quae Pauli nomine feruntur, scriptas fuisse ad certas Ecclesias et quidem ab Paulo Episcopo, etiamsi fortasse alia documenta inter scribendum adhibuerit. Hoc si pro certo sumere licebit, 1 Cor. 16 non poterit fictum videri, nisi credas postremum caput mala fraude additum fuisse iis, quae Paulus Episcopus concinnavit. Fieri potest ut scriptor scribendi finem fecerit 1 Cor. 15, 58; fieri potest ut itidem genuini versus sint 16, 19—24 vel 16, 21—24; fieri etiam potest ut genuina epistulae clausula perierit: deinde difficile est conjicere veram causam, cur quis reliqua addiderit, nam variae incidere potuerunt. Quodsi quis existimaret Christianos, quum illas Epistulas summa reverentia prosequerentur, curare debuisse ne spuria agglutinarentur, huic monstraremus Epistulam, de qua jam nobis quaerendum erit, secundam dicimus ad Corinthios Epistulam, cuius tam lamentabilis est conditio, ut veterum librariorum pietatem admodum exiguam fuisse luculenter appareat.

CAPUT QUINTUM.

SECUNDA EPISTULA AD CORINTHIOS.

§ 1.

De fragmentis quae intelligi nequeunt.

Multis locis secunda epistula ad Corinthios tam male habita est, ut omnes interpretationis artes eludat. Insunt locutiones sensu vacuae, nemini intellectae; multae pericopae nos torquent sine fructu; quin est unum caput, quo quid lateat, nemo hucusque expiscari potuit.

Locutiones nimium obscuras in margine adscripsimus [1]).

---

1) Ecce quae intelligi nequeunt; ἐν αὐτῷ (1, 19 sq.); vs. 20b; vs. 24 collatus cum versu superiore; καὶ post εἰ (2, 2); ὁ τοιοῦτος pro τις positum vs. 7; ὑμᾶς post οἱ πλείονες vs. 8; κυρῶσαι ἀγάπην, deinde εἰς αὐτὸν relatum ad τοιοῦτος (vs. 8); εἰς πάντα vs. 9; πλεονεκτηθῶμεν de malis usurpatum quibus Satanas nos afficere poterit (vs. 11); θριαμβεύοντι vs. 14; καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός (vs. 16b); duplex ὡς (vs. 17b); ἢ μὴ (3, 1) [num forte cum bonis libris εἰ μὴ?]; καρδίαις (vs. 3); 4, 13 in hoc contextu explicari non potest. Deinde (ὁ θεὸς) καὶ παραςήσει σὺν ὑμῖν (vs. 14); ἀνακαινοῦται (quod perpetuo fit et opponitur verbo διαφθείρεται, quod momento fit) vs. 16; καθ᾽ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν (vs. 17) sed om. Sinait.; sive φόβον corruptum est, sive εἰδότες (5, 11); inde totus versus intelligi nequit (vide verbum πεφανερῶσθαι, quod tum ad Deum, tum ad homines refertur); vs. 12 (deest verbum tum post διδόντες tum post ἔχητε, sed ἵνα ἔχητε om. K); vs. 13 (an fragmentum loci de glossolalia?); ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα (vs. 16: jam enim hoc ei usuvenit ab eo tempore quo animum ad Jesum convertit); etiam objectum χριςόν non suspicione caret; sic etiam objectum addi potuerat 1 Cor. 13, 9); verba ac voces sunt 6, 1 et 3; nec 4b—8 in hoc contextu intelligi possunt; παιδευόμενοι vel πειραζόμενοι (vs. 9); κατέχοντες (vs. 10); vss. 11—13 plane absurdi sunt, quod qui negat, is Graece ignorat; οὐδένα [οὐδέν?] (7, 2); ἀλλ᾽ ἐν παντὶ θλιβόμενοι non habet quo referatur (vs. 5); τῷ πράγματι (vs. 11): πρὸς ὑμᾶς (vs. 12); vs. 15; ἢ πνεῦμα ἕτερον λαμβάνετε ὃ οὐκ ἐλάβετε (11, 4); πυροῦμαι [πτύρομαι?] vs. 29: post διὰ θυρίδος sequitur διὰ [κατὰ?] τοῦ τείχους (vs. 33); 13, 3; 4; 5; 6; 8 (in hoc contextu).

Quod ad pericopas illas attinet, una est in quam digitum intendimus, ut conjecturam periclitemur, quam cum lectoribus juvat communicare, quia quodammodo commonstrare nobis poterit, unde tandem factum sit, ut receptus textus tam male mulcaretur.

Pericope est 2, 5—11. Verbum verbo reddere conabimur, quo ingentes difficultates melius appareant:

Si quis contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ne (eum) onerem, omnes vos. Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio haec, (quae fit a pluribus?), ita ut e contrario potius vos (ei) condonetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum (vestram) caritatem; ideo enim et scripsi, ut cognoscam vestram probationem (et quasi impressum signum), scilicet an in omnibus (quoquoversus?) obedientes sitis. Cui enim aliquid condonatis, et ego. Nam et ego, si quid condonavi, condonavi vestra causa in persona Christi, ne circumveniamur a satana; non enim ignoramus cogitationes eius".

Quid attinet demonstrare neminem umquam tam hiulca et hiantia scribere potuisse? Quam stulta arrogantia vs. 5! Minoris facit scriptor, si quis alios contristavit, quam si quis forte se ipsum dolore affecit; nec tamen poterimus conjungere ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ cum ἀπὸ μέρους, nam insignis est contradictio ex parte contristare omnes. Vs. 6 τοιοῦτος indefiniti pronominis loco est. Vs. 7 quomodo pleraque pars objurgare poterit, condonantibus illis ad quos Epistula missa est? Minime apparet quae ratio inter utrosque intercedat. Vs. 8 quid tandem est κυρῶσαι ἀγάπην et caritatem confirmare vel ratam facere, coll. Gal. 3, 15. Mittimus enim mire usurpatum εἰς αὐτόν. Vs. 9 penes quem est jus δοκιμῆς? Cui obedientia praestari debet? Quid est εἰς πάντα? Secundum vs. 10 potuisset fieri ut scriptor numquam quidquam condonavisset (εἴ τι κεχάρισμαι). Deinde etiam ipse scriptor condonat, si cui condonavit ecclesia; sed quomodo conjunctio γάρ haec conjungere poterit cum illis: καὶ ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι, . . . δι' ὑμᾶς. Minime concinnum est bis idem dicere. Vs. 11

singulare admodum verbum est πλεονεκτηθῶμεν. Quis umquam tali consilio condonavit? Unde tandem nota τὰ νοήματα τοῦ Σατανᾶ, sive rem in universum respicias, sive forte singulare aliquod factum?

Nec tamen hi versus illustrari possunt ope versuum 1—4, nam cohaerentia defit. Vide modo:

Vss. 1—4 intelligitur λύπη, qua scriptor afficiet alios, vss. 5—11 λύπη, qua afficitur ipse; vss. 1—4 ecclesia poenam commeruit; vss. 5—11 unus est cui poena destinatur estque ecclesia tam omnis probri expers, ut ipsa objurgandi officio fungi debeat; vss. 1—4 novit scriptor dignam esse ecclesiam quae vituperetur; scribit autem vss. 5—11: ἵνα γνῶ . . . εἰ (vel ἢ) ὑπήκοοί ἐςε. Hoc si etiam ignorabat, unde norat opus fore fustibus? Vss. 1—4 demonstrat, quam sibi Ecclesia cara sit, vss. 5—11 res in medio relinquitur, sitne ad condonandum sponte paratus. Itaque consequitur pericopen quam dicimus per se solam esse spectandam.

Fierine potest ut lateat fragmentum aliquod e canone quodam de disciplina? Novimus enim tales ecclesiasticos canones, quibus censura variis modis pro rerum varietate intentabatur. Ejusmodi constitutiones, quod in Canonibus Apostolicis est videre, incipiebant fere a verbis: Εἴ τις Aequi bonique consulatur restitutio quae sequitur:

(Vs. 5): Εἴ τις λελύπηκεν οὐκ ἐμὲ, τὸν ἐπίσκοπον, ἀλλὰ πάντας ὑμᾶς [τὴν ἐκκλησίαν], ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη (de qua jam fuerat dictum in superiore canone), ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων. (Vs. 6—7): Εἴ τις λελύπηκεν ἐμὲ, τὸν ἐπίσκοπον, ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἐπιτιμία ἡ ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, ὥςε τοὐναντίον μᾶλλον ὑμᾶς χαρίσασθαι καὶ παρακαλέσαι αὐτόν, μήπως τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ [scilicet nota poenitentiae maiore qua continebatur ἐπιτιμία tum Ecclesiae tum Episcopi) καταποθῇ ὁ τοιοῦτος.

Tale quid si sumere licebit, jam vss. 8—10 non plane erunt sine sensu et in meris tenebris aliquid lucis accipiet verbum κυρῶσαι, nam in constitutione quadam de disciplina fieri potest ut unus confirmare et ratum facere debuerit, quod alter constituit. Quid si ἀγάπη technico sensu indul-

gentia dicta fuit, quam Graeci hodie, nisi fallimur, συγχώρησιν appellant?

Nunc etiam vs. 9 pellucet aliquid quod nostrae conjecturae certe non repugnat. Nempe verbi δοκιμὴ activus sensus videtur: ideo vobis scripsi ut resciscerem quam *normam* vos in judiciis identidem adhibere soleatis [1]). Tum suspicamur vs. 10 scriptorem adhortari voluisse ad mansuetudinem: ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, κἀγώ.

Quid autem si hujus pericopes origo ex alia schola derivari debet? Quid si facilitate quadam Pauli sectatores animos ad se trahebant? Quid si Satanae nomine (cf. Apoc. 2, 9; 3, 9) intelliguntur ii qui Paulum sequebantur? Hoc modo totius loci sententia foret: εἴ τις λελύπηκεν, noli nimis severus esse, ne quid Paulus intercipiat; novimus enim quid ille rerum agat; nostra enim ad se cupit derivare. (Scilicet ἐν προσώπῳ χριστοῦ nunc quoque ut saepe alias de Ecclesia dictum erit) [2]).

Quos tractavimus versus 5—11, non magis cohaerent cum 12 sq.

Sed non solum locutiones quaedam singulares vel pericopae aliquot breviores, verum etiam totum caput in hac epistula sensu vacuum est: hoc caput est decimum. Jure a nobis postulari potest, ut hoc paulo copiosius ostendamus.

Vs. 1. „Obsecro vos", quidnam? Quid est obsecrare per mansuetudinem Christi? Quid: „obsecro vos ego qui apud vos humilis sum, vestra autem causa confido?"

Vs. 2. Satis est in alium sermonem convertere; „Rogo autem ne praesens audeam per eam confidentiam qua existimo audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus". Si quis haec intelliget, non invidebimus, sed ingenue mirabimur.

Vs. tertio quantum intelligi potest, frigidus lusus est, nam σάρξ primum caro, deinde (vs. 4) debilitas est.

---

1) Quid δοκιμὴ sit, cf. 2 Cor. 8, 2; 9, 13; 13, 3; Phil. 2, 22. Δοκιμὴ in N. T. septies occurrit, nempe alibi ter, sed quater in hac Epistula.

2) Cfd. fortasse 1 Tim. 5, 6; 16; Tit. 1, 6.

Vs. 4 scriptor munitiones destruit, qua imagine nihil proficimus.

Vss. 5 et 6 participia καθαιροῦντες, αἰχμαλωτίζοντες, ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες quo referas, nescias. Στρατευόμεθα (vs. 3) nimis remotum est quam ut huc trahi possit. Quid sit consilia destruere tam apertum est quam quid sit in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. Hoc quoque mirum, scriptorem non paratum *fore* nescio quid agere, sed paratum *esse*, quum tamen ὅταν sequatur.

Vs. 7 τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε, in hoc contextu nequit intelligi. Quid tandem est εἴ τις δοκεῖ κτέ? Verbum si verbo reddemus, habebimus: Si quis videtur confidere sibi Christi se esse. Fac continuo sequi: sicuti confidit ipse, nos quoque confidimus: et aliquid fortasse nobis dispicere videbimur. Sed interponitur quod densis tenebris obsitum est: hoc cogitet iterum ἐφ' ἑαυτοῦ.

Vss. 8 et 9 verba et voces sunt ac praeterea nihil. Quod non plane sensu vacat: ἐξουσίαν ἔδωκεν ὁ κύριος οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμῶν, non apte respondet vss. 4[b] et 5. Non erubescam ne existimer tamquam terrere vos per epistulas (vs. 9 extr.): male sani somnium est.

Quomodo vss. 9 et 10 junguntur ope conjunctionis ὅτι? Vs. 10 hoc tamen videmus inter se opponi λόγον et ἐπιστολάς· sed eadem vocabula vs. 11 eodem pertinent et scriptoris dum praesens adest, non λόγος est, sed ἔργον. Denique quid vs. 10 ἀσθενὴς significat?

Vs. 11 τοιοῦτος absolute usurpatur (cf. 2, 5—7) et sequitur post εἴ τις (cf. 10, 7). Admirabile est eundem scriptorem vs. 1 negasse se praesentem et absentem semper esse eundem, et vs. 11 plane contrariam opinionem tutatum fuisse.

Vs. 12 expediri nequit, quum praesertim hic nullus locus sit verbo τολμῶμεν.

Vs. 13 Oedipum exspectat et propter sive καυχᾶσθαι sive cum DFG εἰς τὰ ἄμετρα et propter illum κανόνα, quem non intelligimus quis fuerit, nam certe non declaratur infinitivo ἐφικέσθαι cet. Nec magis sequentem versiculum intelligimus.

Vs. 15 et 16. Non ei invidemus qui tam beatus est ut intelligat.

Vs. 17. Quam ineptum est καυχᾶσθαι ἐν κυρίῳ, etiamsi id hodie vix sentiamus.

Vs. 18. Quid tandem est quod Dominus aliquem commendat? [1]).

§ 2.

Quid scriptor sentiat de Ecclesia sua.

Praeter insanas textus corruptelas, quas notavimus non ut criticam facultatem aleremus, sed ut textus conditio melius intelligeretur, nunc attendendum est, quam parum aequabiliter animatus sit erga Ecclesiam, cui Epistula scripta est. Judicia mire repugnantia componemus in unum.

Jamdudum Ecclesia multa mala perpessa est eique opus est consolatione, quam dare paratus est (1, 1—7). Ipse Ecclesiae gloria est et Ecclesia gloria est ipsius in die Domini (14).

Sed eadem sic se gessit, ut ipse venire nolit; quodsi enim venerit, admodum grave est quod poenas exigere debebit (2, 1 sqq.).

Tam eximia praestantia eminet, ut egregiis moribus Christum aliis commendet et quasi documentum sit, quod Legi Lapidearum Tabularum opponi possit (3, 1 sqq.) [2]);

---

1) Si cui forte nimium sibi placens scriptor displicuit, is adscribere versum potuit. — Ceterum ne quis dubitet cap. 10 intelligi non posse, satis est adire novam versionem veluti Eduardi Reussii, quae Parisiis prodiit 1878. Criticus egregius coactus fuit ut singulis versibus vim faceret, ne horum omnium nihil intellexisse videretur.

2) Vs. 2 dele: ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν· primum enim mox sequitur alterum ἐγγεγραμμένη, tum epistula a scriptore διεκονήθη nec certe in proprio corde scripta fuit; deinde legitur ab omnibus qui tamen scriptoris cor non cognoverunt; poteritque denique interpolationis causa intelligi, quod vss. 2 et 3 perperam accepti fuerunt, quorum haec est sententia: Usus scriptoris ministerio Christus Epistulam scripsit in cordibus omnium hominum; haec epistula Ecclesia est (cf. 1 Thess. 1, 8 sq.), non scriptoris ἐπιςολὴ συςατική, sed qua Christus omnibus commendatur. Si vere fuisset ac proprio nomine ἐπιςολὴ συςατικὴ appellata, mirum foret admodum: ἐγγεγραμμένη οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις. Sed epistula commendaticia Christi per oppositionem rectissime sic dici potuit. Redactor hoc

ipsius gloria est; multa praeclara de ea ad eum relata fuerunt (7, 7); meliora indefesso studio sequitur et cum scriptore caritatis arctissimo vinculo conjuncta est. Felicem se praedicat, quod de ea optima quaeque sperare licet (7, 2—16).

Sed ejusdem Ecclesiae liberalitas tam parum explorata est, ut ad pecuniam colligendam, quam pauperum in gratiam exacturus est, omnia diu ante curiose praeparari debeant (9, 3 sqq.) ipsique Ecclesiae scriptoris tam parum est explorata honestas, ut magnam pecuniae summam nisi custode addito committere non audeat (8, 19—21).

Ecclesia et scriptor in Christo conjunctissimi sunt; sed mox idem ille scriptor adversus omne genus criminationum omnibus modis apud fideles se purgare debet. Nihil non videtur ausurus esse (cf. v. c. 6, 3 sqq.; 7, 2). Sine fine se commendare debet lectoribus adeo ut roget tandem velintne parumper sustinere suam insipientiam (11, 1 sqq.); neque res ei succedit sine acerrimo certamine cum iis qui itidem Evangelium nunciant[1]); quin etiam de vita propria

---

non intellexit et deceptus fuit mentione *συςατικῶν ἐπιςολῶν* vs. 1. Videlicet hoc recte dici potuerat: Nostra commendaticia epistula estis Vos. Postea intellexit literas tamen commendaticias scribi non solere ab eo qui commendatur, itaque hanc difficultatem elevare conatus est, insertis vocabulis quae supra notavimus. Sed his resectis reliqua aperta sunt, modo ne conjungas cum vs. 1. Est ab Christo Epistula (*ἐπιςολὴ χριςοῦ*); haec epistula Ecclesia ipsa est (*ὑμεῖς*); qui manum commodavit, scriptor est (*διακονηθεῖσα ὑφ' ἡμῶν*); scripta autem est ad mortales omnes (*ἀναγινωσκομένη ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων*. Verum tam audax est, inquit, Ecclesiam Christi epistulae instar habere (cf. vs. 5 *λογίσασθαι*), ut ipse Christus dare debuerit *πεποίθησιν*, sine qua non ausi fuissemus tale quid proferre et vel sic tamen eam *πεποίθησιν* non habemus nisi *πρὸς τὸν θεόν*. Neque igitur nostrum est quod affirmamus. Deus est qui nos *διακόνους καινῆς διαθήκης* idoneos reddit, nos, inquit, *διακόνους διαθήκης πνεύματος*, quique proinde dignoscere possumus quid sit *ἐγγεγραμμένον πνεύματι θεοῦ ζῶντος*, quid non sit, quibusque jus est vivos testes substituere *τοῖς γράμμασι* veteris oeconomiae.

1) Vss. 5, 14—17 sic fortasse intelligendi sunt, ut quaeri in iis credatur, quo fundamento fidelium unitas nitatur; inde derivatur arctissimi foederis necessitas, ut arceantur ab omni infidelium contagio. Ratiocinatio sic videtur procedere: Unitas nostra nititur Christi caritate. Etenim judicavimus (sed fortasse *κρίνοντας* legendum est), unum, nempe Christum, mortuum esse pro omnibus (qua morte demortuus est mundo et peccato). Omnes fideles (nam hoc significare videtur articulus ante *πάντες*) igitur mundo demortui sunt. Vivimus omnes Christo. Postquam Christo demortui sumus, necessitudines nostras non amplius a generis

plura ei dicenda sunt quam fortasse libuerat. Qui Epistulae initio fideles divinis consolationibus impertiebatur, in extrema Epistula, Cap. 12, vacillantem auctoritatem fulcire debet non tantum de vita propria [1]) scribendo, sed etiam de Christi

---

propinquitate repetimus. Qui in Christo est, aliam quasi personam induit et inter fratres καινὴ κτίσις habetur. — Quod ad undecimum caput attinet, vs. 1 ἀφροσύνης verosimiliter interpolatum est, neque ante vs. 16 idonea causa est cur auctor de sua insipientia loquatur. Nimis saepe legimus de scriptoris insipientia et ad satietatem usque recurrit eum loqui ὡς ἄφρονα. — Pro παραςῆσαι quod pendere non potest ex verbo ἡρμοσάμην, corrige παραςήσας. Vs. 3 delere malis καὶ τῆς ἁγνότητος. Non nisi ἁπλότητο apte jungitur cum ἐν τῇ πανουργίᾳ et ἐξηπάτησεν. Vs. 4 post πνεῦμα ἕτερον dele λαμβάνετε. In extremo versu καλῶς ἀνέχεσθε vix verum esse poterit. Vs. 5 nimium arroganter scriptus. V. 6 corruptus est, nam post ἰδιώτης sequi non potest φανερώσαντες. Nec magis probandum: ἐν παντί.... ἐν πᾶσιν (quod om. FG). Vs. 8 pro κατενάρκησα fortasse legendum κατεκράτησα. Vs. 10 corruptus est et οὐ φραγήσεται sensum non habet; aliud verbum ut exspectemus, facit id quod additum est εἰς ἐμέ. Vs. 12 vere αἰνιγματώδης est: utrum ἵνα pendet ex ἵνα an ex θελόντων? Dixeris ex verbo ποιήσω ut sententia sit: gratis docebo Evangelium, ut appareat falsos doctores nihil habere quod glorientur, se id facere quod nos quoque faciamus, nihil amplius. Sed quam mirum est gloriae deputare quod cum falsis doctoribus commune habeas, vel, quod verius, quod cum iis ne habeas quidem commune; ipse enim scriptor concedit fideles sibi aliquando subvenisse. Quanta vehementia est vss. 13—15. Erantne jam tunc ψευδαπόςολοι mala fide? An calumniae illae sunt et collegarum odia? Vs. 16 πάλιν intelligi non poterit nisi vs. 1, uti diximus, ἀφροσύνης deleatur. Post: „Utinam sustineretis me modicum", addi potuit: „iterum dico ne quis me putet insipientem"; sed quorsum pertinebit illud *iterum*, si praecesserit: utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae. Adeo eadem non iterantur ut adversis frontibus pugnent. Sic orietur gradatio quaedam: 1° modicum me sustinete (vs. 1); 2° nolite me insipientiae insimulare; 3° etiamsi desipiam, tamen δέξασθέ με ὡς ἄφρονα. Lectoribus, qui τὸ καυχᾶσθαι desipienti e tribuunt, opponit scriptor suam ὑπόςασιν τῆς καυχήσεως, nec credibile est in tali argumento, eum toties usurpavisse illud ὡς ἄφρων. Vs. 23 certe ineptum est quod editur. Ψευδαπόςολοι ibi nominantur διάκονοι χριςοῦ, sive ironice, sive ex mente lectorum; scriptori certe sunt διάκονοι τοῦ Σατανᾶ. Nec sane παραφρονοῦντος est in tali argumento, illis praeponere semet ipsum, quod magis quam illi Christi minister sit. Itaque licebit hic et illic delere ὡς ἄφρων et similia; unde legendum vs. 17: ὃ λαλῶ, κατὰ κύριον λαλῶ, ἐν ταύτῃ τῇ ὑποςάσει τῆς καυχήσεως. Esse quoddam καυχᾶσθαι ἐν κυρίῳ, quodcunque tandem id sit, videmus 10, 17. Qui scriptor hoc officium unicuique praescripsit, non statim exhibere poterit contrariae rei exemplum. Si forte haberemus 11, 18 sine 11, 17, post καυχήσομαι, ut oppositio nasceretur, vellemus scribere: ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα vel κατὰ κύριον, convenienter versui 12, 6 (οὐκ ἔσομαι ἄφρων).

1) Cap. 11, 26 pro ποταμῶν lege: βαλλαντιοτόμων.

revelationibus, quae ipsi contigerunt. Ipsum Deum cogitur testem advocare indeque perscribit quas veritatis notas Deus impresserit, ut ministerium confirmaretur. Non magis postulat ut lectores sine teste sibi fidem habeant, quam ut simpliciter judicium pronuncient de ministerio. Postulat id potius, ut sibi credatur testimoniorum causa, quorum ipse Deus curam gessit. Hoc omne necessarium esse videt, ut adversariis os obturet. Verbo: primum Consolator est, deinde Ecclesiae Judex, sed procedente opere et imprimis in extrema Epistula pugnat pro sua ipsius salute, ne ab adversariis prosternatur. Plus denique concitat misericordiae quam reverentiae [1]).

Pulchra Ecclesiae imago hic itidem evanuit et successit descriptio, cuius atris coloribus ne adversarius quidem quidquam potuisset addere. Legat quis modo 12, 20 sq. post 7, 11. Ex pristina necessitudine nihil restat. Scriptor si venerit, animorum dissensus erit, 12, 20. Quod ad ipsum attinet, Ecclesiae non parcet (13, 2 coll. 1, 23).

Duo sunt quae certa sunt, ut nos quidem arbitramur. Primum huius Epistulae textus admodum male habitus est, deinde pugnant inter se quae scripsit quicunque scripsit, tum de semet ipso, tum de Ecclesiae conditione; hinc necessario oritur suspicio, nos non tenere unius scriptoris opusculum, sed aliquam compilationem eaque ipsa compilatio non integra ad nos pervenit, sed miris modis retractata fuit.

Ut partes definiantur, quae ad eam compilationem adhibitae fuerunt, nos convertimus ad capita 8 et 9.

---

1) Cap. 12, 6 extr. lege: *ὑπὲρ ὃ βλέπει ἢ ἀκούει ἐμοῦ*. V. 7 lege: *ἵνα μὴ κολάζῃ* et supplendum (*ἐν*) *τῇ σαρκί*. Vs. 9 *ἥδιςα οὖν μᾶλλον* et *ἐπ' ἐμέ* corrupta sunt. Quae intercedat ratio inter *καυχήσομαι* et conjunctionem *ἵνα*, haud facile dixeris. Omitte vs. 9b et tamen sat bene cohaerebunt vs. 9a (usque ad *τελεῖται*) et vs. 10 et post 9a, verbum *εὐδοκῶ* ipsum est quod exspectamus. Vs. 12: *ἐν πάσῃ ὑπομονῇ* corruptum videtur. Etiam vs. 13 pro *κατενάρκησα* malumus *κατεκράτησα* ortaque est falsa lectio ex vs. 14, qui tamen in hoc contextu sensu plane vacuus est. Nec magis huc quadrat 13, 1a. Quid est 13, 4: *ἐςαυρώθη ἐξ ἀσθενείας*? Vss. 6 et 7 tinniunt aures, sententia nulla est. Vs. 8 denique est sane pulcherrimus, sed praestanti gemmulae nunc locus non erat.

Lege deinceps 8, 1—16ª et cap. 9 et videbis non tantum magnam esse sententiarum convenientiam, sed ipsas sententias fere eodem ordine decurrere: Excitatur liberalitas exemplo Ecclesiae Macedonicae: 8, 1—8 et 9, 1—5.

Commendatur liberalitas Dei vel Jesu causa, cui nostras divitias debemus: 8, 9 et 9, 9—11.

Id tantum refert quo quis animo dederit: 8, 10—12 et 9, 6 sq.

Hoc spectatur ut bonorum et animorum sit aequabilitas: 8, 13—15 et 9, 32—15.

Est certe multo verisimilius, nos capitibus 8 et 9 tenere duas Epistulas ab eodem scriptas ad *duas* Ecclesias, quam eundem hominem ad eandem Ecclesiam eodem tempore brevi bis tantum non eadem scribere voluisse. Deinde si sumere licet, duas hic Epistulas receptas fuisse, commode meminimus identidem in hac Epistula scribendi consilium mutari diversamque Ecclesiae conditionem nobis depingi. Hinc sequitur conjectura, quam veri haud dissimilem pronunciamus esse, miro consilio in unum coaluisse excerpta ex Epistulis pastoralibus, quae diversis temporibus ad diversas Ecclesias scriptae fuissent.

Secundum hanc suspicionem multum differt compositio secundae Epistulae ad Corinthios ab earum Epistularum compositione, quam supra examinavimus. In hisce enim comperimus vetera ac magnam partem Israelitica documenta, quae Paulus Episcopus retractarat; in hac autem insunt epistulae virorum qualis Paulus Episcopus ipse fuit, imo ipsius epistula, quae postea retractata fuit ab alio. Unde apparet inter illas Epistulas satis magnum temporis spatium necessario interesse.

Jam satis novimus nostrum Paulum Episcopum, ut saepe eius manum nobis agnoscere liceat; quin et credimus, ipsius epistulam huic opusculo pro fundamento esse. Demtis capitibus 8 et 9 quae, sicuti diximus, per se consideranda sunt, et capite decimo, de quo plane nihil dici potest, libenter ei tribuemus:

2 Cor. 1, 1—10ª; 15—18. 1, 23 sq.; 2, 1.

2 Cor. 2, 4.	7, 2—4.
4, 7—12.	11, 1—13, 2; 10—13.
5, 12.	

Facile est indicare normam quam in hisce adhibuimus: conjunximus versus et pericopas, quibus sententia apte decurrit et idem homo loqui videtur de re eadem; nec dubium videtur quin locis quos indicavimus, novarum pericoparum fiat initium.

Veluti statim ad 1, 10b attendat quis, 1° ad inutiliter additum: *εἰς ὃν ἠλπίκαμεν καὶ ἔτι ῥύσεται*, nam nihil refert sitne supra *ῥύεται* an *ῥύσεται* scriptum; 2° ad: *συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει* et miramur quomodo fideles quidquam conferre possint ad salutem quam Deus promisit; 3° ad: *ὅτι ἐν ἁγιότητι* (vel *ἁπλότητι* cum DFG) —*κόσμῳ*, quibus verbis provocatur ad morum integritatem, quod minime exspectaveris, nam inter tot vitae pericula, constantia debuit potius praedicari. Illud *ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ* agendi quandam libertatem ante oculos ponit talemque conditionem, qualis non fuit apostoli, quem curae numquam sinebant quiescere, cuiusque *εἰλικρίνειαν* (nempe doctrinae, uti conjicimus) vulgus dijudicare non poterat. Quarto denique loco apparet hic nullam adesse causam, cur addantur vss. 13 et 14.

Vs. 15 illud *καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει* rectissime conjungi poterit cum vs. 10a, sed iterum offendimus vs. 19. Vide modo:

1° Duae dispares res ridiculo modo conjunguntur: Deus numquam mutat consilium, et rogantur lectores ne scriptorem mutabilem esse credant, quod olim susceptum itineris consilium non perfecerit.

2°. Vs. 23 revera monstratur, nullam adfuisse *ἐλαφρίαν* (vs. 17) indeque hic versus recte sequi potuit post vs. 18. Deinde sententia bene procedit vs. 2, 1 (nam 1, 24 per se spectari debet, quod apparet vel ex conjunctione *οὐχ ὅτι*, cuius hic ineptus usus est [1]).

---

1) Vs. 2 (vide supra) et vs. 3 aut intelligi nequeunt, aut certe eiusmodi sunt ut scribi non potuerint ad eos ad quos scripti sunt 1, 23; 2, 1. Si quos adire nolumus ne eos tristitia quadam afficiamus, id ipsum ad eosdem scribere non solemus. — Paulo faciliora haec omnia forent si extr. vs. 3 pro *χαρὰ* legeretur *λύπη*.

Cur 2, 5—11 ad reliqua minime pertineant, supra ostendimus.

Vss. 12; 13 verosimiliter conjungendi sunt cum 7, 5.

Vss. 14—16 sunt fragmentum operis in quo agebatur de ministerii vario effectu.

Vs. 17 tam est obscurus, ut in neutram partem trahi possit.

Cap. 3, 1—6, vide supra, describitur ecclesia, quae ipsa morum integritate Christum aliis commendat itaque diversa est ab ea, quam scriptor adire non audet.

Vss. 7—11 celebratur apostoli munus in universum, quod parum convenit cum disputatione adversus apostolos, quae invenitur cap. 11. Et hoc quidem caput, quod infra apparebit, Pauli Episcopi est, nec potuit nove dictum de duplici testamento tam obiter tractari, quo magis appareat vss. 7—11 aliunde fuisse illatos.

Vss. 12—18 de eadem re sunt, sed non perspicimus quomodo inter se et cum vss. 7—11 cohaereant. De quanam „spe" sermo est vs. 12? Diversa καλύμματα sunt vs. 13 et vs. 14; alterum enim super Moysis facie est; alterum super corde Israel. Deinde vs. 18 sermo est de velamine, quod demitur de facie fidelium. Nullo certe modo haec cohaerent cum iis quae Paulus Episcopus afferre voluit ad suam auctoritatem tutandam. — Vss. 12; 13 pertinere potuerunt ad cap. 4, 1—6, quibus versibus esoterismus impugnatur; vide vs. 2, ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης i. e. τὰ κρυπτὰ αἰσχρά referendum est ad eos qui sese a turpibus mysteriis recipiunt. Ipse scriptor de initiatorum numero fuerat et, sicuti solent qui novam persuasionem amplexi sunt, cum contemtu loquitur de iis rebus quas olim venerabatur. Τοῖς κρυπτοῖς opponit τὴν φανέρωσιν τῆς ἀληθείας· esotericis, qui nihil curant profani vulgi judicium opponit τοὺς συνιςάνοντας ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων. Vs. 4 ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος gnosticorum more demiurgus est, qui idem perhibetur esse qui deus Veteris Testamenti. Est religio καλύμματος, sed Christianorum Deus Deus lucis est (vs. 6). Haec omnia possemus sane Episcopo Paulo tri-

buere, si cohaererent quodammodo cum iis, quae ei plurimum cordi sunt et in hac Epistula longe praecipua sunt. Praeterea a 4, 7 novum quid incipit, quo multo melius continuatur, quod 2, 4 institutum fuerat.

Cap. 4, 7—12 audimus Paulum Episcopum [1]), quod infra etiam luculentius apparebit, quum de eius ingenio data opera quaeremus. Pericope post 4, 12 continuatnr demum 5, 12, nam nihil erat cur Paulus Episcopus scriberet quae interposita sunt. Vide praeterea vs. 13 τὸ αὐτό, quod nusquam refertur et futurum ἐγερεῖ vs. 14 cum sequentibus alio nos removet quam exspectabamus, cum illa audiebamus: ἵνα ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν τῇ σαρκὶ ἡμῶν· alterum enim cerni oculis potuit, alterum totum mysticum est. Alterum cum iis quae statim sequuntur, semper valet et de omnibus Christianis; sed hucusque Paulus Episcopus id tantum egit, ut suam personam suumque munus defenderet et explicaret, ut retineret illud καύχημα, de quo loquitur 5, 12. Sed haec ut satis luculenter stabiliantur, labor non fugiendus est et eae pericopae, de quibus hic sermo fit, legendae et relegendae sunt, ut tandem scriptoris indoles quasi in vitam revocetur.

Vs. 13 cum reliquis non cohaeret, vide supra. Nihil pertinet ad illam ἀφροσύνην capitis 11; vide supra conjecturam de 11, 17.

Vss. 14—17 vide supra; attende ad 16ᵇ, nam qui haec scripsit perhibet se Jesum cognovisse quum in terra degeret, necdum vidimus Paulum Episcopum hoc umquam affirmavisse. Vs. 21 traditur soteriologia, qualem nondum habuimus; sed quod obiter et in transcursu tractatur, sicuti 3, 7 sqq., aut fragmentum habendum est aut certe laudatum fuit ex opere, in quo Jesu mors copiosius exponebatur.

---

1) Vss. 10 et 11 ἡμῶν probanda codicum lectio est, et quidem propter vs. 12. *Nobis* νέκρωσις τοῦ Ἰησοῦ conditio est ut nanciscamur ζωὴν τοῦ Ἰησοῦ, *vobis* fructus solus, qui sine labore contingit. Post ὁ θάνατος vs. 12 supple τοῦ Ἰησοῦ, imprimis propter verbum ἐνεργεῖται. Nec sane opus est operare mortem, nisi forte θάνατον vel νέκρωσιν τοῦ Ἰησοῦ. Quodsi praeterea ἡ ζωὴ vs. 12 intelligitur ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ, ὁ θάνατος necessario pari ratione intelligendus erit.

Cap. 6, 3 olim non sequebatur post primum versum. „Exhortamur nemini dantes ullam offensionem" cet. verborum tinnitus est. Vss. 4—10 haud arctissime cohaerent cum vs. 3. Inde ab 4b (ἐν ὑπομονῇ) alia verba super alia cumulantur, quae aegre coalescunt cum vs. 4a. Enumerationem aliunde assutam credimus. Cap. 6, 4 (συνιςάνοντες ἑαυτούς) cf. cum 4, 2. Παιδευόμενοι vs. 9 et κατέχοντες vs. 10 sensu vacua sunt. Vs. 11—13 Graeca verba sunt, sed sensus nullus subest; 6, 14—7, 1 nihil faciunt ad id quod Paulus Episcopus sibi proposuerat.

Hunc autem denuo audimus 7, 2—4 [1]), sed 7, 5—16 non potest esse sermo de ecclesia, apud quam Paulus Episcopus auctoritatem suam confirmare debet. Nihil eum prohibere potuisset, quominus talem Ecclesiam inviseret [2]).

Tandem cap. 11, 1—13, 2; 10—13 documentum habemus, quod fere totum Paulo Episcopo tribui potest atque sic licebit nobis depingere imaginem viri indolis, qua utemur ut paulo confidentius pronuntiemus quid in superioribus debeamus ei adscribere, quid non debeamus. Quam rem quo melius instituamus, non deinceps illorum versuum argumenta indicare juvat, sed posthabito eorum ordine, colligemus in unum omnia ea, quibus effici posse videtur quo ille ingenio fuerit. Utemur autem partim scriptoris verbis, partim nostris.

Ac primum ab his capitibus profecti quaeremus quo animo ille fuerit, quum scribere ad Eclesiam aggressus sit, vel, quod eodem redit, investigabimus quaenam olim tempore ministerii sui apud illos expertus fuerit.

Jam noramus eum sese praestitisse modestum virum et pacis amantissimum, qui dogmaticas rixas non regeret, sed plane ignoraret. Nunc autem plura sese dant nobis conspicienda. Mansuetudo illa cum calliditate quadam conjuncta

---

1) Non multum differunt, uti arbitramur, χωρήσατε ἡμᾶς (7, 2) et ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρόν τι (sine ἀφροσύνης, vide supra) (11, 1).

2) Vs. 14 dele ὑμῖν cum Sinait. Nempe hoc vult scriptor, se omnia vere cum Tito communicavisse. Vs. 15 satis incerta est significatio.

est, quo melius id assequatur, quod sibi proposuerit, nec callidum consilium hominem Christianum dedecere existimat [1]). Hoc modo legatus Jesu viam praeparabit [2]). Egregie, modo ne quis susceptae personae obliviscatur! Hoc igitur animo agitans venit ad Ecclesiam, ubi jam alii apostoli sese ad laborem accinxerant, audaces viri qui fideles in ordinem cogunt iisque militariter imperant, meri tyranni. Episcopus noster induat licet eadem arma, impar est talibus adversariis. Ut certamen paret, sponte latitabit in umbra! Plane diversam induet personam. Initio minimus fratrum erat, cuius nemo rationem habebat: mox confidit fore ut homines persentiscant quantum distet ab illis *suumque* Jesum anteponant doctrinae apostolorum illorum imperiosorum. Nec tamen tenere potest tale propositum sine magno certamine quod intimo pectore gerit, animi affectibus acriter repugnantibus. Parvum et ignobilem virum, quum nihil possit nisi mite atque humile ingenium ostentando, juvat interdum ipsum quoque illorum instar cum arrogantia imperare, aliis admirationi esse, metui denique. Praeterea eum torquet corporis vitium, molestum tum sibi tum aliis; hoc vitium frangit quamcunque habere ceteroquin potuisset auctoritatem; haec vero nomine crux est, nam identidem sentit sibi alas praecidi, quum jam renascantur. Etiam atque etiam Dominum precatur, ut crux illa ab humeris tollatur. Quibus fluctibus agitatur animus sine fine jactatus inter obedientiam et rebellionem! Sed redit quies, quum propriae indoli convenienter non extrinsecus felicitatem quaerit nec populi plausum venatur, sed delectatur unione mystica cum Jesu. Hanc enim novit saepeque animus propemodum triumphans extra se ipsum effertur. Libentissime recordatur, quam excellentia fuerint, quae olim ante quatuordecim annos animo videre sibi visus sit. Quomodo id factum sit, plane ignorat. Fuitne animus tunc a corpore separatus? Fuitne sublatus in excelsa? O horam numquam

1) Cap. 12, 16.
2) Cap. 12, 10 et 11, 7.

obliviscendam! Tertium coelum, Paradisum ipsum contemplatus est audivitque ineffabilia verba. Etiamnunc delectatur recordatione, quae mobilem animum admirabiliter afficit et adigit ad lacrimas. Hoc tamen numquam experti erant Apostoli illi nimium superbi! Hoc tamen Deus iis invidit! O si Dei misericordia hoc aliquando adderet tam egregiis beneficiis et onus illud levaret, quo vires enervantur! Totus est in precatione ad Deum et tanquam sui obliviscitur. Luctatur Jesu exemplo in suo Torculari itque reditque, ter ingeminatis verbis: Si possibile est, a me transeat calix iste. Sed has preces Deus certo certius exaudiet; novit enim quantum ad bonae causae triumphum conferre possit, dummodo liceat expeditis armis impugnare falsos Prophetas, qui fideles ludificantur et bonis emungunt et inducunt in errorem.

Crescit divina illa animi elatio et jam corporis oculis videtur sibi cernere quae mente concepit. Tandem vir amabilis sed paulo quam velles mollior et infirmior id verbum reperit, quo tota Christiana religio continetur. Tam eximium verbum ut reperias, fortiter toleraveris oportet magnos et diuturnos labores, corporis vitio oppressus, cui vix fortes ferendo sunt: ros de coelo destillavit et carduo sublectus fuit. Sic superati Stoici fuerunt Evangelio, quod salutem attulit infirmis, moerentibus, invalidis, pauperibus. Fruuntur illi omnes verbis vere divinis, quae Paulus Jesu suo tribuit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.*

Sed hoc quoque pertinet ad hominis ingenium describendum: omnes illas considerationes et intimos animi affectus cum Ecclesia sua communicat. Quod verbum aliquando ex intimo pectore scaturire potuit, non potuit tamen per omnes quasi artus penetrare totumque hominem sursum erigere. Semper anceps haeret inter animi tranquillitatem, quam verbum illud magnificum ei confirmavit, et plane terrestrem cupiditatem auctoritatis cuiusdam, cui alii indubitanter pareant [1]). Unio mystica cum Jesu, quae olim

---

1) Cap. 11, 7 et 11, 18.

consolationi fuerat, quo tempore in coelum tollebatur, nunc gloriolae ducitur, ut habeat testimonium quo apud profanum vulgus utatur [1]). Quod tamen facit, id invitus facit [2]). Haesitabundus interdum cursum inhibet. Cur enim sponsam rapuerunt ipso temporis momento, quo dextram ejus Christo in gremio reponere voluit? [3]) Sed ipse amoris fervor faciet ut ipsi venia detur. Ferant omnes, si forte longius se abripi passus erit: etiam illos tulerunt, qui falsum Evangelium docuerunt [4]). Sed primum demonstrabit, quam nihil suam rem egerit: nulla enim in re fratribus oneri fuit [5]). Quam multarum rerum egenus fuit ipse, quo tempore alii sese ingurgitabant iis rebus, quas vulgi favore sibi ipsis pararant! Animus cereus ad omnia flecti, facile aliquid acrimoniae recipit et sacerdotali superbia oculi obscurantur. Si talis fuisset qualis fuit ex intima animi persuasione, si nihil admixtum fuisset Christianae illius calliditatis, non deploravisset amissam occasionem, non sensisset iracundiam, non luxisset spem frustatam. Nunc aculeus sine intermissione eum pungit et iracundia trahit nolentem. Verba incredibiliter dura et ab omni Christiana caritate aliena excidunt homini ceterum tam suavi et amabili: sunt operae fallaces, pseudapostoli, qui tyrannum agunt, fidelium patrimonia comedunt et ecclesiae vim afferunt [6]). Sic scribit simulque natum est scribendi genus, quod Archiepiscopus Ecclesiae Romanae per saeculorum decursum ad nostra tempora usque fideliter imitabitur, in quo scribendi genere ipsa exaggeratio vocabulorum potestates necessario et inevitabiliter infringet. Jam hic sacerdotalis animus confundit viri honorem cum ministerii auctoritate. Docti viri quaerunt num quid vere dictum sit; quis autem dixerit, plane negligunt. Aliter fit in ecclesia, ubi vulgus propriis nominibus

---

1) Cap. 12, 1 sqq.
2) Cap. 12, 11.
3) Cap. 11, 2.
4) 1 Cor. 11, 19.
5) Cap. 12, 17.
6) Cap. 11, 13 sqq. 20.

adhaerescit. Novit hoc noster Episcopus cavetque ne forte aliis postponatur. Fuitne aliqua in re deterior? Quanam tandem? Num genere? Num perseverantia? Num bonae causae indefesso amore? Num laborum late patenti ambitu? Fuitne fortasse ignobilis? At praefectus regis Aretae Damascum obsedit, ut ipsum caperet. Periisset nisi amici per fenestram in sporta de muro ipsum demisissent. — Nunc demum perspicimus cur necessarium fuerit parvulae rei mentionem facere. Effugium decebat obscurum pastorem, qui non nisi ridiculo modo ab hostibus sese tutari potuit. Abrumpit narrationis filum, ut scribat quod jamdudum lingua vix continebat. Nihil per totam viam expertus fuerat memorabilius [1]).

Hinc jam pergit audentius scribere et, quod nunc minus miramur, haud admodum decenter loquitur de iis, quae intimo pectore aliquando persensit. Deinde dum loquitur de praeclaris illis quae mentis oculis olim contemplatus est, cum pristino pudore redit pristina haesitantia. Monet ne quis credat perpetuum hunc esse summi Numinis favorem. Dubitat fere an ipse sit ille idem qui in coelum sublatus fuerit atque hinc de se ipso tertia persona utitur. Quod iure gloriatur, non audet ad se ipsum referre, sed ad illum hominem in Christo, quem novit [2]). Pergeret sed metuit fere ne se diversum arbitrentur esse ab illo obscuro pastore, quem nossent [3]). Nec tamen Dei insignis favor mentem ejus alienavit. Habet servatque suum σκόλοπα, quo saepe tanto opere indoluit, sed cuius intimam causam et necessitatem nunc lectorum causa perscribet, videlicet ut tralucidae vanitati morem gerat. Revelationibus illis eximiis tam extraordinarium expertus est favorem, ut Domino dolor iste necessarius visus sit, ne nimis se forte efferret [4]).

Sic redit ad id unde digressus fuerat, h. e. ad propriae

---

1) Cap. 11, 22—23.
2) Cap. 12, 1—5.
3) Cap. 12, 6.
4) Cap. 12, 7 sqq.

personae ignobilitatem. Nunc Ecclesia de pastore rectum judicium feret. Cum infirmor, inquit, tunc potens sum: ego a vobis debui commendari. Omnia habet apostoli signa nec quidquam est cur Ecclesiam pastoris sui poeniteat [1]).

Jam causa vicit idque ei tam persuasum est, ut propediem venturus sit. Non omnia eo statu inveniet quo sperarat, sed etiam Ecclesia mutatum hominem comperiet. Venturus est nec parcet malitiosis hominibus et salutare frenum detractantibus. Deus eum non deseret. Ante scribit, ne severitas inexspectata sit, sed nunc quoque jus suum non usurpabit nisi ad Ecclesiae commodum [2]).

Haec igitur omnia pertinent ad absolvendam imaginem Pauli Episcopi, nec repugnant reliquae pericopae quas in praecedentibus capitibus ei adsignavimus. Ubique pellucet ingenium hominis, cui saepe adversa fortuna fuit, qui de se ipso parum magnifice sentit, nec dedignatur apologiam scribere, qui summa humanitate praeditus est ac proinde differt invisere ecclesiam, ne forte nimias poenas sumere cogatur, qui offensiones sedulo vitat semperque ab moribus optimam petit sui commendationem: hominis denique parum superbi, sed qualem Christiana religio tunc desiderabat: nimirum qui plane abhorrebat ab Stoicorum philosophia cum illa audaci ethica et altiora petenti, illo doloris contemtu, illo asserto jure in vitam propriam, illo ab vitae veritate deflexu.

§ 3.

Quaeritur de fragmentorum primitiva forma.

Duo restant de quibus praeterea quaerendum nobis erit. Primum quomodo ex retractato opusculo Pauli Episcopi orta sit illa quam habemus secunda ad Corinthios Epistula. Deinde si quidem opusculum Pauli Episcopi inter docu-

---

1) Cap. 12, 11 sqq.

2) Cap. 12, 20—13, 2; 10 (quantum quidem hunc decimum versum intelligimus).

menta fuit ex quibus haec Epistula composita est, haec necessario referet imaginem Christianae Ecclesiae aliquanto recentiorem, quam ea est, quam hucusque offendimus in Epistulis, quarum Paulus Episcopus redactor fuit. Jam quaeritur num accurato examine id confirmetur, quod ratio postulat.

Ad primam quam posuimus quaestionem, observationes pertinent quae sequuntur.

Inter vetustissimos Christianorum libros, qui non nisi partim supersunt, complura erant opuscula, quae episcopi olim diversis de rebus ad suas quisque Ecclesias scripserant. Quid mirum in illis opusculis postea haud pauca reperta fuisse, quae tuto negligi poterant? Itaque quo tempore compilata fuerunt Judaica et Christiana fragmenta, unde Novum Testamentum magnam partem originem duxit, primum illa seposita fuerunt, ut ea potissimum fragmenta reciperentur, quae omnibus hominibus destinata videbantur et semper prodesse poterant. Supervenit tamen postea compilator, qui operae pretium duxit ea ex veteribus libris excerpere, quorum etiam postea aliquis usus esse poterat. Imprimis animus trahebatur ad epistulam ejus viri, qui ab nonnullis verus auctor habebatur Ecclesiae Christianae apud Gentiles. Talem eum epistulam retractavisse conjicimus, ex qua scilicet hodie supersunt:

2 Cor. 1, 1—10[a].

Compilator iteravit vs. 10[b] verbum quod ultimum fuerat vs. 10[a], ut adnectere posset 11—14; jam enim statim ea pertinebant ad laudem veteris Ecclesiae Christianae, quae, dum compilator memoria vetera repetebat, non nimis in umbra collocanda erat. Deus servarat Paulum Episcopum, *συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει κτέ.*, quin tota ecclesia Episcopi *καύχημα* erat. Nec difficile fuit compilatori, uti arbitramur, tales Ecclesiae laudes ex multis quibus utebatur subsidiis, excerpere.

2 Cor. 1, 15—18.

Habebat praeterea compilator fragmentum de immutabilitate, in quo itidem legebatur *ναὶ καὶ οὔ* (vss. 19—22).

2 Cor. 1, 23 ... 24 (inter hos versus lacuna est), 2, 1 (conclamati sunt vss. 2 et 3); 4.
Substantivum λύπη crebro recurrens causa fuit cur compilator reciperet canones 5—11, qui ab librario quodam postea admodum male habiti sunt. Recepit vss. 12; 13, quia sermo fiebat de Tito et de Macedonia; deinde vss. 15—17 fortasse quia illud de aperta janua (vs. 12) quam scriptor praeterierat quod Tito absente ἄνεσιν non haberet, nimis mirum atque incredibile videbatur idque partim evitabatur ea ministerii comparatione cum odore qui sponte spargitur. Iterum aliquid in Ecclesiae laudem receptum fuit: 3, 1—5, quibus ex compilatoris instituto propter illud ἐγγεγραμμένη κτἑ. (vss. 2 et 3) illudque ἐν πλαξὶν λιθίναις inserta fuerunt fragmenta, quibus disputatur quid intersit inter γράμμα et novam oeconomiam, vss. 6—18, ac praeterea illud κάλυμμα, quod ibi memoratum fuit, sponte duxit ad impugnandum esoterismum, 4, 1—6.

2 Cor. 4, 7—12.
Assumsit deinde compilator 4, 13—5, 11, credens scilicet in superioribus fuisse sermonem de vita futura idemque argumentum itidem tractari his quos diximus versibus 4, 13; 5, 11.

2 Cor. 5, 12 errore huc illatus fuit, sed collocandus est statim post 4, 11. Fragmentum 4, 13—5, 11 videtur continuari vss. 5, 14—21 (vs. 12 tam est corruptus ut de eo judicium pronunciare non possimus). Etiam de 6, 1—7, 1 propter obscuritatem vel propter desultorium disputandi genus nemo pro certo affirmaverit, cur illi versus interpolati sint. Veluti lacunas odoramur inter 5, 21 et 6, 1; inter 6, 1 et 2; inter 6, 10 et 11—13; inter 6, 11—13 et 14 et inter et 7, 1 et 2.

2 Cor. 7, 2—4.
Adscripsit compilator 7, 5—16, ne forte nimis inique de Ecclesia judicaremus. Recepta fuerunt capita 8 et 9, quia revera epistulae erant Pauli Episcopi, nec quidquam impedit quominus credamus etiam in superioribus latere quaedam quae idem scripserit, sed alia occasione. De cap. 10 propter insanas corruptelas anceps judicium.

2 Cor. 11, 1—13, 2; 10—13.
De 13, 3—9, nimis enim obscuri versus sunt, nihil habemus quod dicamus.

§ 4.

De compilatoris aetate.

Quod ad alteram quaestionem attinet, plura insunt in hac Epistula, quibus confirmatur quod supra contendimus, opusculi originem esse paulo recentiorem. Singula enumerabimus.

a. Veteres lites de circumcisione et de fide, de Lege et de Evangelio, de matrimonio, jam sepultae fuisse videntur; certe in hac Epistula non occurrunt.

b. Satis diuturna experientia de Jesu fidem confirmavit, 1, 20.

c. Nec brevi instare credunt Jesu παρουσίαν. Contra tam longe ea differtur, ut in ipso Spiritu pignus sit. Itaque tali pignore opus est, cf. 1, 22; 5, 5 et Ephes. 1, 14, quam epistulam nemo admodum antiquam esse credit.

d. Duplici modo explicatur 3, 7—11, cur Israel Evangelium rejecerit; jam enim omnes acquieverunt eo quod mutari non potest [1]).

e. Quod pneumaticum inest 3, 7—11, jam pristinam integritatem amisit et ad normam veteris oeconomiae de puritate aliquantum remisit. Est ea quidem vetus oeconomia διακονία τοῦ θανάτου vs. 7, τῆς κατακρίσεως vs. 9 et tamen fit ἐν δόξῃ ipsaque δόξα est. More maiorum commixta fuerunt ea quae olim longissimo intervallo diremta fuerant [2]).

---

1) Vide supra. Vs. 13 velamen memoratur super faciem Moysis; sed vs. 7 non quidem disertis verbis dicitur, sed tacite indicatur nullum tale velamen Moysem habuisse, nam Israelitae velatam faciem sine ullo impedimento potuissent contueri. Vs. 7 Israelitae fidem denegant propter occaecationem, quam Moysis splendor effecit; vs. 13 propter velamen quo prohibiti fuerunt quominus id viderent quo fides confirmari posset.

2) Dixeris pericopam 7—11 incipere a medio versu 6 inde a verbis οὐ γράμματος, nam periisse conjicimus nomen unde genetivus ille olim pependerit. Sic

f. Nova est explicatio cur Israel novam persuasionem amplexari nolit. Attendat quis ad ἄχρις τῆς σήμερον (vs. 14), ἕως σήμερον (vs. 15). Plurimum scriptor miratur Israelitas pertinaciter Christum aversari.

g. Vs. 17 jam commixtae in unum sunt persuasiones de Spiritu et de Christo: ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐςιν, cf. imprimis 1 Cor. 12, 3 et 2 Cor. 13, 13, ubi κύριος et πνεῦμα et Deus pater juxta sunt, nec tamen confunduntur in unum.

h. Inde ab 4, 13—5, 21 (modo excipias 5, 11) παρουσίας fit nulla mentio. Nil tale legitur quale est 1 Thess. 4, 13 sqq. Est eschatologia eorum qui praesenti rerum statu contenti, postquam altiora frustra tentaverunt, sola spe futurae vitae ducuntur. Est ea doctrina, quam Ecclesia amplexa est, postquam omnis Jesu reditus exspectatio jam intermortua erat. Attendat quis imprimis ad 5, 10, ubi legimus ad unum omnes aliquando suscitatum iri, ut in Jesu tribunali consistant.

i. Praeterea memorabilis est soteriologia 5, 18—21, quae recentem originem satis prodit, quod nimium diserta est. Nil tale scribitur ad Thessalonicenses vel illa aetate scribi potuit. Jam offendimus dogma de substitutione in nuce.

k. Ecclesia Christiana jam firmam capessiverat sedem, quo tempore tam acre bellum geri potuit adversus idola et Christianis praescriptum fuit, ut sese prorsus ab gentilibus separarent. Lege 6, 14—7, 1 et imprimis 6, 17: ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν καὶ ἀφορίσθητε, coll. cum 1 Cor. 10, 27 atque adeo vs. 21, sed imprimis cum 1 Cor. 5, 10 in fine. Haud exiguum intervallum interfuerit necesse est.

l. Jubet episcopus destruere altitudines 2 Cor. 10, 5; itaque crevit eius auctoritas postquam scripta sunt quae legimus 13, 10.

---

evanescent illi διάκονοι τοῦ πνεύματος, quae locutio ceteroquin in N. T. nusquam occurrit nec defendi potest, quod διακονία τοῦ πνεύματος recte dicitur. Sicuti διακονία τοῦ θανάτου (vs. 7) ducit ad mortem, sic διακονία τοῦ πνεύματος ducet ad spiritus communicationem. Hoc quidem intelligimus, sed quo sensu *homines* ducere dicentur sive ad mortem sive ad veram vitam?

m. Nulla insunt fragmenta judaica.

Hinc nobis persuasimus compilatam fuisse hanc secundam Epistulam ad Corinthios satis diu post eas epistulas quas supra tractavimus, nam conglutinata esse demonstravimus scripta ejusdem illius viri, quem quatuor illas superiores Epistulas retractavisse comperimus.

CAPUT SEXTUM.

EPISTULA AD ROMANOS.

In secunda Epistula ad Corinthios vetusta certamina non attinguntur; contra in Epistula ad Romanos intersumus altercationibus, quibus Christiana Ecclesia statim ab incunabulis agitata fuit. Obiter adscribimus pericopas, quarum prae ceteris ratio est habenda:

Cap. 1, 18—32. Revelatur Dei ira super omnes gentiles.
2, 1—29. Judaei et Gentiles in divino judicio sunt eodem loco.
3, 1—31. Quaeritur sitne aliquod Judaeorum privilegium.
4, 1—25. De fide Abrahae.
5, 1—21. Alter Adam.
7, 1—26. Quae sit Legis significatio.
9, 1—33. Electio et reprobatio.
10, 1—11, 36. Israelitae vocati, reprobati, restituti.
14, 1—15, 3. De manducatione carnis.
15, 8—12. De vocatione gentilium.

Contra qui scripsit secundam Epistulam ad Corinthios sine fine de se ipso loquitur, sed in Epistula ad Romanos plerumque scriptor latet in umbra.

Vidimus supra, ad diversas quaestiones in iisdem Epistulis responderi diversis modis idemque nunc luculenter confirmabitur, postquam hujus Epistulae elementa suis limitibus circumscripserimus.

§ 1.

Tractatur caput I, 18 sqq.

Statim ab initio omittenda esse censemus ea quae in primo capite scriptor in medium protulit de suo ministerio suisque quos sperat lectoribus (vss. 1—17). Faciemus initium a parte dogmatica.

Redactor aliunde recepit vss. 18—24; 26ª—27ª. Reliqua de suo addidit. Est autem in hisce primaria sententia, unde cetera omnia derivantur, corrumpere hominem divinam naturam ac proinde Deum corrumpere naturam humanam: ἤλλαξαν τὴν δόξαν (essentiam) τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου .... διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεός, unde μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν.

Deo cuidam, quem humana stultitia finxit repugnantem verae divinae essentiae, respondet Graecus amor. Alio modo: Venus παρὰ φύσιν respondet opinioni de Deo quae itidem παρὰ φύσιν est, estque ea opinio παρὰ φύσιν, quum ipse Deus oculis non possit conspici et tamen ab omnibus cognosci possit ex naturae operibus. Itaque corrupti Gentilium mores non fecerunt ut Deum ignorarent, sed contra fecit ipsa illa ignoratio minime excusabilis ut mores corrumperentur [1]).

Vs. 25. Scriptor alio delabitur; hic enim culpantur gentiles, quod ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα· qui scripsit vs. 18 sqq. non dedisset παρά, sed ἀντί· quae fuerat δόξα τοῦ θεοῦ, nunc facta est ἀλήθεια τοῦ θεοῦ, quo, (collato cum ἐν τῷ ψεύδει) indicatur potius de Deo *doctrina*. Arguitur interpolatio praeterea miro usu pronominis οἵτινες versus initio [2]) poteritque vs. 26ᵇ sine ulla lacunae suspi-

---

1) De signorum cultu similia apud Platon. Legg. 871, de Rep. p. 529 et Aristotel. Metaphys. 2. 2. Praeterea conferre quis poterit cum Rom. 1, 22. Platon. Legg. p. 930 sq.; cum 1, 28 ibid. p. 716; cum 1, 29 ibid. p. 875; cum 1, 26 ibid. p. 636 (καὶ εἴτε παίζοντα κτέ); p. 836 (εἰ γάρ τις ἀκολουθῶν κτέ); p. 839 (αὐτὸ γὰρ τοῦτο κτέ); p. 841 (μηδὲ ἄγοντα κτέ).

2) παρέδωκεν αὐτούς-οἵτινες (vs. 24; 25) itidemque παρέδωκεν αὐτοὺς-οἵτινες (vss. 28; 32). Tam elumbe scribendi genus nemo facile tribuet eidem cui debemus pulchros versus 18—24; 26a; 27a.

cione subjungi versui 24. Haec origo vs. 26ᵃ, quo nimis languide iteratur διὰ τοῦτο παρέδωκεν, quod recte positum fuerat vs. 24. Plane eodem modo 27ᵇ; 28 inserviunt, ut transitus fiat a vs. 27ᵃ ad vss. 29—32. Nec magis vss. 29—31 intellectum fuit quid dicere voluerit is cui antiquissimam partem debemus, sicuti efficitur e participio πεπληρωμένους. Hic tradidit Deus Gentiles jam repletos omni iniquitate; qui autem scripsit vs. 18 sqq., uti aequum est, scripsisset: παρέδωκεν αὐτοὺς — ἵνα πληρώσειε. Neque hic verborum suorum vim infregisset flagitiorum enumeratione, quae turpia quidem sunt, sed proprie non pertinent ad humanae naturae „corruptionem". Sed Paulus Episcopus non is est, qui „corruptionem" tanti facere debeat et contendat Gentilium accusationem contineri illo praegnanti verbo μεταλλάττειν. Ramenta mavult quam auri massam. Commemorat τὰ πάθη ἀτιμίας (quae poena est propter honorem Deo denegatum 26ᵃ) et, quod paene puerile est, idem appellat τὸ ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. Perversitas Gentilium fit quaedam ἀντιμισθία (27ᵇ), quam scilicet interpretatur stulto illo ἣν ἔδει. Eaque pericope, quae inchoata fuerat ab illis solemnibus ac fere propheticis verbis: ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν εὐσέβειαν, postquam initio demonstrata fuit revelatio Dei irae, tamquam in atrum piscem desinit, nam Paulus Episcopus de more pro praesenti tempore futurum tempus usurpans, tandem ineptam clausulam imponit vs. 32: οἱ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν.

Vss. 18—24; 26ᵃ; 27ᵃ nihil plane inest quod Christianam manum prodat. An Christianus sponte devolutus esset ad sententiam, Deum Gentiles cupiditatibus tradidisse εἰς ἀκαθαρσίαν (vs. 24)? An contendisset morum corruptione Dei iram unice ostendi vel sine restrictione solis Gentilibus nefandam Venerem affricuisset? Quod in his versibus caput est Semitam redolet, qui unum Deum adorat; sic demum efferimur supra merum lusum verborum. Cultus peregrinorum deorum, quem Prophetae toties vetuerant, saepe masculam Venerem comitem habebat: sic Ezech. cap. 16 sermo fit de natione Israelitarum cum „sorore Sodoma". Et Co-

ranus diserte affirmat: Deus unus est, sed homo est manetque vir et femina. Atque hoc maxime modo qui marem complectitur, poterit renuisse videri quod Dei essentiam distinguit ab hominibus [1]).

§ 2.

Tractatur caput II.

In hoc capite deinceps examinabimus:

a vss. 6—10.
b vss. 11—16[a].
c vss. 17—25.
d vss. 26—29.

Esse Judaica fragmenta sponte apparet:

1°. Quod nihil inest quod stricto sensu Christianum videatur esse vel alienum ab sapientia Israelitarum.

2°. Quod locutiones unice repetitae sunt ex Vetere Testamento. Fit sermo de Dei judicio, mansuetudine, misericordia, nec vero de Dei gratia, peccatorum remissione, justificatione ex fide.

3°. Quod mortales omnes simpliciter dividuntur in Judaeos et Graecos. Qui peccant, aut Legem norunt aut non norunt; numquam Evangelium est secundum quod mores constituuntur vel judicium normam accipit.

4°. Propter vs. 17: scriptor Judaeos diserte alloquitur et vss. 23 sq. Judaei sunt, propter quos Dei nomen blasphematur inter Gentes. Quid tandem lectores inter Christianos facere potuerunt illis versibus 17—29, quos nihil ad se pertinere videbant?

5°. Extremum caput secundum non est de vero Christiano,

---

1) Vs. 24. Genetivus *τοῦ ἀτιμάζεσθαι-ἐν αὐτοῖς* longius remotus est ab nomine *ἐπιθυμίαις*. Neque agitur de violando Dei templo, quod est corpus nostrum; nam qui scripsit vss. 18 sqq. fornicationis nullam facit mentionem. Redactor verba addere potuit, ut haberet pronomen (*ἐν αὐτοῖς*), quo referretur *οἵτινες* (vs. 25). Fieri etiam potest ut notata verba ex margine accesserint, ne *οἵτινες* non haberet unde penderet.

sed de vero Judaeo: de Christi fide silentium est, sed circumcisionis utilitas distincte statuitur (vs. 25).

6°. Nihil in hoc capite ad Christum refertur praeter vs. 16[b], quem postmodo insertum esse apparet, nam inutile additamentum est, quod ne verti quidem commode poterit; vix enim praepositionem διὰ conjungere poterimus cum verbo κρινεῖ, nec referendum κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου ad id quod in ea sententia praecipuum est. Certe non expletur de Christo Evangelium docendo: θεὸς κρινεῖ τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων. Alteruter nostrum olim demonstravit, in oratione, quam Jesus in monte habuit, nihil inesse quod non a Judaeo profectum esse queat; sed in ea itidem Deum legimus videre in occultis.

Versuum 6—29 commune vinculum est, quod impugnatur doctrina, quae primo capite inculcata fuit, sed quatuor pericopas distinximus, quibus primum caput argumentis ex interiore philosophia deinceps depromtis confutatur. Primum igitur demonstrandum nobis est, in omnibus fragmentis capitis alterius considerationes scriptoris eo tendere ut evertantur quae de Gentilibus dicta fuerant 1, 18-24[a]; 26[b]; 27[a].

a. (Vss. 6—10). Expressis verbis legimus vs. 6: (θεὸς) ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ (ac minime secundum perversam de Deo opinionem), nec docemur injustitiam comitem habere, si quis Dei essentiam commutaverit, sicuti 1, 18 sqq. Imo θλῖψις καὶ στενοχωρία, vel τιμὴ δὲ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ, sive τὸ κακόν, sive τὸ ἀγαθόν (vss. 9; 10). Apparet hic disputari adversus eos qui cunctos Gentiles inauditos condemnarent, quod Gentiles essent. Nota sententia est: proponitur merces pro cuiusque operibus, non (sicuti cap. 1) pro cuiusque de Deo sententia.

b. (Vss. 11—16[a]). Hic scriptor tendit eodem sed aliunde proficiscitur. Concedo, inquit: dabitur pro operibus merces, verum si quid praescriptum est lege, quam quis ignorat et si deinde poena exigitur propter neglectum officium, summum jus summa injuria evadat necesse est. Bene, inquit *b*: non peccat qui legem migrat quam ignorare potest; peccat is demum, qui legem contemnit, cui parendum

esse sentit. Vero nomine Ethica una et simplex est nec refert utrum Moysi pareas an legi naturali (vs. 14). Tam nihil interest, ut Naturae convenienter dum vivas, parere possis Mosaicae legi, quam ignoras. Itaque nihil est cur quemquam iniqui judicii poeniteat; non enim adhibebitur norma ignota. Antequam Deus judicium pronunciaverit, ipsa tua propria conscientia (vs. 15) jam aut te absolvit aut condemnavit. Itaque adeo non vitio datur cunctis Gentilibus, quod Deum invisibilem non agnoscunt, ut fieri posse credatur, ut obsequantur legi Mosaicae ejusque primo praecepto.

Ex § *a* consequitur: noli judicare de universis, sed de singulis. Bene, inquit is qui § *b* scripsit, re nondum explorata de Gentili non poteris affirmare eum impuris vitiis esse deditum.

Longius progreditur cui debemus § *c* (vss. 17—25). Hucusque Gentiles defendebantur; nunc Judaei oppugnantur, neque illi culpandi erunt, si his maledixerint (vs. 24).

In § *d* (vss. 26—29) partes mutantur sedetque Gentilis judex in Iudaeum τὸν διὰ περιτομῆς παραβάτην. Qui hoc scripsit Judaeus est eique persuasum est, virtutem Legis observatione contineri, sed nec circumcisio perfectionis est indicium, nec praeputium nos a virtute abducit. Judaici nominis praestantia ab corpore transfertur ad animi indolem. Nihil refert sisne Judaeus genere an Gentilis: id quaeritur qualis ἐν τῷ κρυπτῷ sis. Sis modo integer vitae, nec curabimus utrum idola forte adores nec ne (cf. 1, 23).

Nempe quousque progressa sit Judaeorum arrogantia, haud obscure indicant vss. 19 sqq. Erant igitur Judaei, qui sibi ipsis esse videbantur caecorum duces et lumen eorum qui in tenebris erant. Erant Israelitae qui idem juris sibi adrogabant in Gentiles, quod Verbo tribuitur in Iohannis Evangelio (cf. Joh. 10). Erant qui vi ultro illata, aedes sacras spoliare vellent et deiicere signa deorum. Tales zelotae acerbissime castigantur eximiis laudibus sapientis domi latitantis, τοῦ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαίου [1]).

---

1) Cap. 2, 2 rectissime conjungi poterit cum 1, 27a, usque ad ἀλλήλους.

Versuum 1; 3—5, quibus Paulus Episcopus pericopas quas diximus cum primo capite conjunxit, sententia haec est: At cave, o bone. Secundum te Gentiles sunt ἀναπολόγητοι (1, 20), sed non minus ἀναπολόγητος ipse es quam illi sunt. Judicium exercere ipsi tibi periculum affert facitque ut obliviscaris, misericordia Deum mortales ducere ad virtutem, sed tu tua inhumanitate odium tibi comparas (4; 5. Extremo vs. 4 σε delendum [1]).

§ 3.

Tractatur caput III.

Hoc capite, in quo continuatur argumentum quod supra expositum fuerat, sine dubio tractatur quaestio numquid Judaeus praestet Graeco. Quod *olim* responsum fuit, legitur vss. 9; 20; 21; 26[b]).

Τί οὖν; προεχόμεθα; οὐ πάντως· προῃτιασάμεθα (quod refertur ad alia quae periere) γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν [συγκεκλεισμένους, cf. Gal. 3, 22] εἶναι, διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον θεοῦ· διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας· νυνὶ δὲ δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως.

Hoc fragmentum, cuius Judaica origo patet ex usu primae personae προεχόμεθα, docet, secundum Legem et prophetas innotuisse justitiam, quae non censeatur nisi τῷ πιστὸν εἶναι ac proinde eadem sit Judaeo et Gentili. Haec est Dei justitia, quod unice quaerit fueritne quis πιστός, nam reperta tandem norma est, quae minime pendet ex gente, qua quisque oriundus est.

---

1) Vs. 7 corruptus est. Vs. 8 nominativi ὀργὴ καὶ θυμὸς ex errore ipsius scriptoris orti sunt atque retinendi. Vss. 9 et 10 in fine dele Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος, quae verba loci sententiae repugnant. Vs. 17—22 turbata syntaxis est, unde fortasse arguitur ex plenioribus haec excerpta esse. Vss. 28 sq. suspicione non vacant verba ἐν σαρκί, ἐν πνεύματι οὐ γράμματι. Quodsi praeterea liceret delere vs. 29 verba καὶ περιτομὴ καρδίας, pronomen relativum οὗ multo faciliorem explicationem haberet.

Verum haec probabilia verba capite tertio miris modis alio detorta snnt:

1°. Incipit vs. 1 demonstratio quid sit τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, sed ea demonstratio post vs. 2 repente interrumpitur.

2°. Vss. 3—8 quaeritur cur Deus justus et fidelis malorum cohortem incumbere jusserit.

3°. Vs. 10—19 erat demonstrandum (vide vs. 20) neminem sub Legis oeconomia justificatum iri et revera demonstratur, sub illa oeconomia neminem *esse* justum, quod non minus recte affirmari poterit de iis, qui novae oeconomiae obnoxii sunt. Etiamsi numquam fuisset peccatum, quomodo describitur vss. 10—19, nonne aeque probandum principium foret quod vs. 20 legimus? Secundum Redactorem vetus oeconomia frustra fuerat neque homines frugi fecerat. Itaque Deus decreverat experimentum facere χωρὶς νόμου (quod insertum fuit vs. 21) eaque nova oeconomia copiose describitur vss. 22—26ᵃ; 27—31.

4°. Vs. 23 confunditur πάντες ἥμαρτον cum πάντες ὑφ' ἁμαρτίαν συγκεκλεισμένοι εἰσίν (vs. 9), sicuti vs. 24 perperam eodem loco habentur *justificare* et *absolvere*.

5°. Vss. 25; 26ᵃ exemplo esse poterunt quomodo pristina verba retractata fuerint: post εἰς ἔνδειξιν sequitur πρὸς τὴν ἔνδειξιν et post πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης nunc adhaeret: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον. Extremo vs. 26 Ἰησοῦ sec. Vatic. Codicem ab Redactore additum fuit, cui πίστις = πιστὸν εἶναι non satis videbatur esse. Additum Jesu nomen fidei objectum dedit ex historia petitum, quam ecclesia assumsit. Itaque non intellexit oppositionem, qua Rom. 3, 9; 20 vel Gal. 3, 6 sqq., non duae doctrinae inter se opponuntur (Vetus et Novum Testamentum), sed duo animi affectus (nimirum eorum qui legi parent et eorum qui Deo confidunt). Nihil mirum posthac Redactorem ancipitem haerere nec pervidere, cuinam debeamus nostram justificationem vel nostram absolutionem. An πίστει χριστοῦ (vs. 22)? An τῇ ἀπολυτρώσει τῇ ἐν χριστῷ (vs. 24)? An ipsi Deo, qui justum se praestare voluit? An Dei misericordiae (vs. 25)? Quasi justificatione,

quae derivatur ἐκ τοῦ πιςὸν εἶναι, non excluderetur peccatorum remissio, nam si bene facta nos non possunt servare, peccata nos condemnare non poterunt, nec lex norma est, ad quam nostra omnia exaequantur. Redactor, quum non satis perspiceret, quae tandem esset illa δικαιοσύνη, qua nihil continetur praeter τὸ πιςὸν εἶναι, ambigit debeatne legem confirmare an destruere (vs. 31).

§ 4.

Tractatur caput IV.

Non est Abrahae filius, qui externis vitae officiis fungitur quae laudem comparant, nec magis circumcisione, sed si quis Abrahae instar fidelis fuerit: haec est primaria sententia etiam in hoc quarto capite.

Cur, ita enim scriptor quaerit statim ab hujus capitis initio, in vetere Testamento Abraham pater dicitur eorum omnium, quibus τὸ πιςὸν εἶναι tanquam vitae norma est, quique proinde nullam mercedem postulant? [1]) Respondetur: quoniam Abrahae aliquid „reputatum" est (ἐλογίσθη) itaque merces exigi ab eo non potuit. Non mercedem, sed χάριν; non praestitorum officiorum remunerationem famulus, sed filius paternum favorem expertus est, et quando? Num forte post circumcisionem? Minime gentium: ante circumcisionem. Haec non peperit, sed ratum fecit favorem, quem jamdudum Abraham expertus erat. Ille igitur revera Pater omnium πιςῶν, Gentilium aeque ac Judaeorum: Gentilium, quod Abraham nondum circumcisus divini favoris particeps factus est; Judaeorum autem, quod circumcisio illum favorem confirmavit. Nec tamen Pater est nisi eorum qui vestigia premunt eius qui primus ostendit quid esset τὸ πιςὸν εἶναι [2]).

---

1) Vs. 1 cum Vaticano Codice omittimus εὑρηκέναι. Quid igitur de Abraha dicemus, patre nostro secundum Scripturam? nam et hic et alibi κατὰ σάρκα hoc significat.

2) Sic enim distinguimus inter Judaeorum πίςιν et Christianorum.

Hoc est argumentum versuum vss. 1—12, sed quaedam Paulus Episcopus interpolavit, veluti vs. 5 τὸν ἀσεβῆ, quae stulta est exaggeratio, quemadmodum 3, 21 οὐκ ἐξ ἔργων νόμου factum est χωρὶς νόμου. Itaque docemur hominem flagitiis coopertum Dei gratia declarari Deo esse gratum. Sed etiamsi hodie quoque poeticam facultatem a Dei gratia repetere soleamus, nemo tamen propterea facile crediderit, malum poetam Dei gratia insignem laudem consequi posse. Nec nostra ea exaggeratio est: Judaeus Deum describit (3, 26) δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίςεως, Paulus Episcopus Deum (4, 5) δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ.

Est alia interpolatio vss. 6—9 [1]) itaque remanet antiqua pars: 4, 1—5; 10—12.

Sequitur alterum documentum quod incipit a vs. 13. Hoc est illud unde scriptor proficiscitur: quod Deus pollicitus est, id ratum esse non potest, nisi homo fidem habuerit. Quantumvis Abraham pius fuisset, quo tempore promissio facta est, non ea tamen rata esse potuisset, nisi fidem habuisset. Itaque demonstrandum est talem Abrahae fuisse fidem idque fit vss. 13 sqq., quorum primitivam formam hoc maxime modo licebit restituere:

Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ πεπλήρωται τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι κόσμου, ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίςεως, καθὼς γέγραπται, ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε· κατέναντι οὗ ἐπίςευσε παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, καὶ ἀσθενήσας μὲν τῇ πίςει κτέ. usque ad vs. 21 incl. [2]).

---

1) Minime huc pertinent versus Psalm 32, 1; 2, qui violenti modo in alium sensum detorti sunt. Quum de Davide sermo fit, per fas et nefas huc trahitur de praeputio quaestio; deinde reditur in viam ope verborum: λέγομεν γάρ, quasi hoc quidquam curamus, nam secundum vs. 3 id tantum quaeritur quid Sacra scriptura doceat.

2) Hunc locum retractatum esse efficimus 1° ex vss. 14; 15, ubi permira invenitur ratiocinatio: Lex est, qua divina ira excitatur: numerosa progenies ab Dei ira non est repetenda: atqui ergo lex non causa fuit cur Abraham tantam progeniem haberet. Maior nihil est nisi figura ex oratoria arte desumta nec solent Judaei illi, quos jamdudum quaerimus, tam negligenter scribere; 2° ex vss. 13 et 14, quibus versibus bis idem dicitur; 3° ex conjunctione saepius repetita (vss. 13; 14; 15); 4° ex vs. 15b (οὗ δὲ οὐκ ἔςι νόμος, οὐδὲ παράβασις): quod neque

Horum verborum sensum redactor non assecutus est itaque, quum unice ageretur de ratione qua Abraham promissionis factus fuerat particeps, addit commentarium de ratione, qua Judaei Abrahae hereditatem adeunt. Vs. 14 scribere debuerat: quodsi enim Abraham propter pietatem particeps est factus promissionis; sed transit ad Judaeos, dum ita pergit: *εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κτέ.* Oppositio quae fuerat inter *νόμον* et *πίστιν*, hinc enim Abrahae virtus repetitur, jam facta est hoc modo oppositio inter Judaeos et Christianos; nec tamen id ipsum per omnia firmiter retinetur, nam redactor mox vagatur extra oleas additque absurdum versum 16, ubi legimus Deum nescio quid pollicitum fuisse non Judaeis tantum, *sed etiam* fidelibus. Ipse scriptor contenderat: Non est Abraham Judaeorum pater nisi quatenus fideles sunt; interpolator autem: Abraham pater est non tantum Judaeorum, sed etiam fidelium. Scriptor: Quod opus est, id non dabit genus sed sola fides. Interpolator: Quod opus est, id non genus tantum dabit, sed etiam fides.

Sed pergit redactor scriptoris verba alio deflectere. Veluti hic diserte dixerat, dum Abraham reputaret secum quam esset Dei immensa potentia, vix tandem eum adigi potuisse, ut fidem haberet. Scriptor ostendit, post quanta certamina tandem pedetentim Patriarchae fides tam altas radices egerit: *ἀσθενήσας τῇ πίστει, ... οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ .... ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει* et vix tandem *ἐπληροφορήθη.* Secundum scriptorem id tantum sibi persuaserat Abraham, *ὅτι ὃ ἐπήγγελται δυνατός ἐστι θεὸς καὶ ποιῆσαι.* Redactor prolatis finibus simulque Grammatica violata, cum Genetivo *οὗ* (vs. 17)

---

huc quadrat secumque trahit vs. 15a, a quo divelli nequit; 5° ex vs. 16, qui nusquam refertur nec poterit ullo modo intelligi vs. 16a et vs. 16b verba *οὐκ ἐκ τοῦ νόμου μόνον* repugnant vs. 14, ubi hereditas *ἐκ νόμου* et hereditas *ἐκ πίστεως* e regione opponuntur, sed vs 16b altera juxta alteram locum tenet; 6° ex vss. 17b; 18, nam quae est ista scabrities: *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε... ὃς π. ἐ. ἐ. ἐ. ἐπίστευσεν* vel etiam *καθὼς γέγραπται κτέ. κατέναντι οὗ ἐπίστευσε..... εἰς τ. γ, κτέ. κατὰ τὸ εἰρημένον.* Sunt haec aegri somnia; 7° e vs. 19, quem tamen versum supra studuimus corrigere. Credibile est particulam *μὲν* forte ante participium transpositam correctam fuisse ut *μὴ* fieret.

jungit Genetivum θεοῦ κτέ., ut Deus qui aliquando νενεκρωμένῳ σώματι pristinas vires reddiderat, Deus evaderet ζωοποιῶν τοὺς νεκρούς. Hoc si jam persuasum fuisset Abrahae vs. 17, apparet locum non relinqui fidei sensim paulatimque corroboratae ac tandem triumphum agenti (vs. 19—21).

Verum illud ζωοποιεῖν redactori totius rei cardo est. Properat ad Jesu resurrectionem et ad comparationem: Abrahae instar credere debemus Deum esse, qui νέκρωσιν in vitam revocat eaque certissima fides nostra δικαίωσις fieri debet. Sed, uti vides, claudicat ea comparatio, nam Abraham credit Deum aliquid *facturum* esse: fides *anteit* et necessaria conditio est eorum quae *fient;* qui autem credunt Jesum surrexisse, credunt Deum aliquid *fecisse*, nec fides antecedit vel conditio esse potest eorum quae jam facta sunt. Si comparatio recte instituta foret, verbo ποιῆσαι vs. 21, opponi posse deberet vs. 24 futurum ἐγεροῦντα.

Nec magis cernitur tertium comparationis quod Deum omnipotentem esse credimus, cuius rei documenta damus, Abraham dum credidit filium nasciturum esse, Christiani autem, quum iis persuasum sit Deum filium suum in vitam revocavisse. Sed verum si quaerere volumus, hoc modo ipsa Jesu resurrectio supervacanea fiet, nam si nostra fides genere non differt ab Abrahae fide, poterit in eadem re versari et per se quidem vs. 24 aeque bene scribi potuisset: ἐπὶ τὸν ζωοποιήσαντα τὸ σῶμα τὸ νενεκρωμένον τοῦ Ἀβραὰμ quam ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν. Sed perspicuum est secundum Redactorem Abrahae fidem et nostram genere distare, quum obiectum diversum sit. Secundum eum Christiana fides historicum fundamentum habet ac jam videmus quomodo intra fines Ecclesiae exorta sit conjunctio sive, si id mavis, commixtio, pietatis et mere historicae persuasionis, quo factum est ut tandem in *Symbolum* reciperetur, et Jesum sub Pontio Pilato necatum fuisse et fidem in Deum omnipotentem necessariam esse.

Vss. 22—25 proditur interpolatoris manus, 1º vs. 22, qui recte poni potuit post vs. 1—12, sed huc non pertinet; justa demum conclusio fuisset: διὸ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ

ἐπληρώθη διὰ δικαιοσύνης πίστεως· 2⁰ nec sane, quod legimus vs. 23, Genes. 15 scriptum videbitur διὰ τὸν Ἀβραάμ· 3⁰ neque apparet vs. 24 quodnam subjectum sit verborum οἷς μέλλει λογίζεσθαι· 4⁰ vs. 25 quod Jesus traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram, nunc adnectitur sententiae, quae olim aliorsum spectabat, nec quaerere opus est post inutilia conamina clarissimorum interpretum [1]), cur alterum Jesu morti, Jesu autem resurrectioni alterum tribuatur, nam merus pleonasmus est. Quodsi autem sine sententiae damno substituere licebit verbo ἠγέρθη verbum παρεδόθη, etiam soni similitudo evanescet inter Abrahae δικαίωσιν et nostram.

§ 5.

Tractatur caput V.

Ipsum caput 2 Cor. 10 vix difficilius intellectu est, quam hoc est. Ac statim ab initio non intelligimus quid sit 1⁰ εἰρήνην ἔχειν πρὸς τὸν θεόν (vs. 1); 2⁰ quid est quod Jesus dicitur accessum dare (vs. 2) ad χάριν, de cuius fructibus unum secundum vs. 1 per eum ipsum habemus? 3⁰ quid est illud καὶ καυχώμεθα vs. 3? et 4⁰ quo tandem sensu δοκιμὴ spem dicitur operari?

Ἐλπὶς illa non reducit ad id unde reliqua proficiscebantur vs. 2 extr.; mirum est quod vss. 3 et 4 cum hoc versu 2 conjunguntur particulis οὐ μόνον δέ, quae faciunt ut gradationem exspectemus. Gloriamur in spe, nec tantum hoc, sed etiam gloriamur in iis, quae illam spem fovent; imo requirimus: gloriamur in spe atque *ideo* in iis quae spem fovent.

Estne vs. 5 θεοῦ in locutione ἀγάπη τοῦ θεοῦ Genetivus subjecti an objecti? Undenam δοθέντος in extremo versu? Num Spiritus Sanctus certo quodam temporis momento dabatur? Post versum 5 exspectaverit quispiam documentum Dei

---

1) Cf. Piersoni Nov. Stud. de Calvino p. 170.

caritatis, non magnanimitatis Jesu, cuius mortalis natura hic, uti aequum est, respicitur, ne nimis claudicet comparatio Jesu necis cum iis facinoribus, quae vel generosissimi mortales et magnae animae prodigi aliquando ediderunt.

Vs. 9 in duarum rerum oppositione minoris aestimatur justificari quam salvum fieri ab divina ira, cui primae partes dantur.

Vs. 10 docemur plus boni exspectandum esse ab Jesu vita quam ab Jesu morte.

Vs. 11 redit mirum illud καυχᾶσθαι ἐν θεῷ vel ἐν κυρίῳ, quod jam habuimus 2 Cor. 10. 17. Omnia negligentissime enunciata sunt. Post καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ (*a*) sequitur: οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν ταῖς θλίψεσι vss. 2 et 3 (*b*). Post σωθησόμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς (quod non discrepat ab *b*), itidem sequitur: οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ (quod ab *a* non discrepat). Itaque fit gradatio modo ab *b* ad *a*, deinde ab *a* ad *b*.

Vs. 12 filum orationis repente abrumpitur: conjunctioni ὥσπερ nihil repondet; obscurum est διὰ τοῦτο et corruptum est ἐφ' ᾧ.

Vss. 13 et 14 intelligi nequeunt, nisi forte extrema verba, de quibus ambigas cur tandem ope relativi pronominis reliquis adnectantur. Ante Moysem lex non fuit, itaque ne peccatum quidem, certe non imputabatur (si quidem haec significatio est verbi ἐλλογεῖται), sed mors tamen regnabat, quae peccati poena est. Vs. 14 regnat mors καὶ ἐπὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας ἐν τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. Quanam in re illud ὁμοίωμα censetur? Quid est illud καὶ? Qui sunt illi qui *praeterea* peccarunt?

Vs. 15 quid tandem χάρισμα negatur facere? Num forte hanc τοῖς πολλοῖς mortis esse causam? Apparet et hic et sequentibus versibus et τοὺς πολλοὺς et χάρισμα mutavisse significationem. Παραπτώματι, unde omnia mala repetuntur, opponitur χάρις, fons salutis; θανάτῳ respondet χάρισμα (vide 6, 23). Attende praeterea ad πολλῷ μᾶλλον sine futuro tempore usurpatum idque in sententia, quae ab εἰ

γάρ incipit. Πολλῷ μᾶλλον non usurpatur nisi de rebus ignotis, de quibus conjecturam periclitari debemus.

Vs. 16 artificiosa est antithesis: κρίμα ἐξ ἑνός cui opponitur χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, quasi hoc unice cavendum esset, ne nihil opponeretur verbis ἐξ ἑνός. Extremo versu δικαίωμα non intelligimus, quo ceterum in N. T. postulatio indicatur (etiam Hebr. 9, 10, ubi σαρκός = νόμου).

Vs. 17 legimus mortem ab uno homine repeti: num inde sequitur, etiam gratiam necessario ab uno homine derivari debere?

Vs. 18 nihil deest praeter subjectum et praedicatum.

Vs. 19 redeunt illi οἱ πολλοί, de quibus diximus.

Vs. 20 melius legeretur statim post vs. 13 et 14.

Quam inanis est verborum strepitus vs. 21 similiterque alibi in hoc capite tautologia molesta est. Veluti vs. 12 cum additamento idem dicitur quod vs. 15; hic autem convenit cum vs. 16, qui non discrepat a vs. 17 ac deinceps a vs. 18, a vs. 19, a vs. 21. Septies instituitur comparatio inter Adamum et Christum eaque comparatio pessumdatur iterato illo πολλῷ μᾶλλον, quod, uti vides, ab omni comparatione alienum est. Fatuum est ratiocinari: Titius et Maevius eodem tendunt: Titius Romam tendit, itaque πολλῷ μᾶλλον Maevius Romam tendet.

Hujus capitis difficultas repetenda ex retractatione. Hic quoque fundus est Judaïcum fragmentum, quo demonstrabatur, Ἀδὰμ εἶναι τύπον τοῦ μέλλοντος (vs. 14). Hinc illud duplex πολλῷ μᾶλλον, nam scriptor concluserat ex priore Adamo qualis fuerat, ad alterum Adamum qualis erat futurus. Inde repetenda futura illa: βασιλεύσουσιν (vs. 17); καταςαθήσονται (vs. 19); σωθησόμεθα (vs. 9 et 10); βασιλεύσει (vs. 21). Iudaeo homini beneficia illa τοῦ μέλλοντος Ἀδὰμ revera erant *futura*, sed scriptori Christiano necessario dicendum erat de iis quae jam evenerant. Itaque vs. 15 semel redactor post πολλῷ μᾶλλον temere rescripsit ἐπερίσσευσεν, quia omnia verba quippe futuro tempore enunciata incommoda erant.

Non assecutus est Paulus Episcopus, quid hoc esset

Adamum esse typum futuri Adami. Res ei nimis philosophica et abstrusa erat et ex Adamo et Anti-Adamo nihil fecit reliquum praeter Unum et deinde Alium. Illud διὰ τοῦ ἑνὸς primarium censebat esse indeque ad satietatem usque recoxit (omnino duodecies) [1]). Peccatum et Mors per unum: Salus et Vita per unum: insipida antithesi impense delectabatur. Veteris aedificii nihil superest praeter solitariam columnam vs. 14 extr.: ὅς ἐςι τύπος τοῦ μέλλοντος, quae verba cum hodierno contextu minime potuerunt coalescere et stulte abundant.

Ita fere Judaeus thesin suam exsecutus esse videtur. Per Adamum repraesentatur humanum genus quod peccat κατὰ δύναμιν, per Anti-Adamum repraesentatur humanum genus quod Deo confidit κατὰ δύναμιν. Quidquid facit Adamus vel Anti-Adamus, homo itidem faciet prouti hunc sequatur an illum: quod Adamo vel Anti-Adamo accidit, homini accidet. Adamus peccat, Adamus moritur; Anti-Adamus justus est, Anti-Adamus vivit. Itaque credibile est scriptorem dedisse: σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ (vs. 10); βασιλεύσουσιν ἐν ζωῇ (vs. 17), vel ἵνα ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον (vs. 21 itidemque vs. 12, cuius postrema pars interiit) [2]) Nec sane causa suberat, cur Judaeus commemoraret mortem *alterius* Adami.

Sed hoc ipsum molestum fuit Redactori Christiano. Anti-Adamus ei erat Christus et Christi mortem haud parvi aestimat. Itaque mortis illius mentio inserenda est legitque vs. 10ᵇ: πολλῷ μᾶλλον σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, sed ut salutifera Jesu mors commemoretur, de suo adscribit vs. 10ᵃ, quae verba non arctissime cum reliquis cohaerent: ignorat enim quid Christi mors et effusus sanguis conferant ad nostram salutem. Mors illa divinam prodit indolem et humanas vires plane superare videtur; illata fuit impiorum in gratiam: sed cur tandem? Nimirum justifi-

---

1) Vs. 17 ne satis quidem videtur ἐν ἑνὶ παραπτώματι, nisi addatur διὰ ἑνός.

2) Ibi fortasse prior Adamus memoratus fuit ad eumque respiciebatur extremis verbis: (ὑφ)' ᾧ πάντες ἥμαρτον: i. e. sub ejus oeconomia omnes peccarunt.

camur in sanguine ipsius (vs. 9), *reconciliamur* per Jesu mortem (vs. 10), necdum salvi sumus ab divina ira: hoc enim in futuro est cf. vs. 9b. Neque vss. 15—21 Redactor ullam causam videt, cur redeat ad nexum, quo Jesu effusus sanguis cum nostra salute conjunctus est. Quod abunde nobis apparuit, minime dogmaticus est. Quod Jesus pro mortalibus ne mori quidem recusavit, hoc eum delectat idque in clara luce ponit, quantum quidem aliquid in clara luce ponere potest, vss. 6—8. Hoc agit ut appareat περισσεύειν τὴν χάριν, nam χάριν et χάρισμα eodem loco habet, nec sentit quid intersit inter χάριν et χάρισμα et δωρεὰν ἐν χάριτι. Quin et cogitans severam Moysis legem, delabitur ad παράδοξον· Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις [1]).

In eadem sententia perstat 6, 1 rogatque: ἐπιμένωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ; Dialectica suadet ut affirmemus, sed exclamat Paulus Episcopus vs. 2: μὴ γένοιτο atque sic res ei confecta videtur; quae enim continuo sequuntur, alio pertinent.

§ 6.

Tractatur caput VI.

Admodum memorabile est Judaicum fragmentum, quod in hoc capite extenditur inde a vs. 3 (ὅσοι ἐβαπτίσθημεν) —11. Etenim diserte exponitur quis sit alter Adam, jam Christus appellatus, quem superiore capite jam suspicati sumus, sed nunc demum conspicitur philosophi felix audacia. Perpetuo versamur in idearum excelsa regione nec quidquam admonet humanae fragilitatis. Sicuti ideae apud

---

1) Etiam attendendum ad locutionem διὰ χριστοῦ Ἰησοῦ, quae ad nauseam usque identidem inseritur. Vs. 1: cur διὰ τ. Ἰ. post ἐκ πίστεως? Vs. 11 cur additum illud δι' οὗ κτέ.? (Nunc habemus: κατηλλάγημεν .... διὰ τοῦ θανάτου (Ἰησοῦ), ... δι' οὗ τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν. Non talis est infantia Judaei illius) Vs. 17: διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰ. Vide supra. Vs. 21 cur additur διὰ Ἰ. χ. post διὰ δικαιοσύνης?

Platonem, hic Christo tribuitur τὸ ὄντως εἶναι: non vulgari sensu Christus mortuus et sepultus esse dicitur; Jesu enim mors et sepultura praecipue referuntur ad ideas, quae non nisi mentis oculis comprehendi possunt: ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Regula illa generalis est, minime certe quod eam exemplis quibusdam ex historia petitis confirmare possumus, sed generalis est, quia exemtum est quidquid fortuitum est. Quo sensu scriptor haec verba accepta voluit, solus Christus mortuus est. Est Jesus ὁ ἀποθανὼν, nam mortuus is esse dicitur, qui expers factus est cupiditatis, quae peccati origo est: ὃ γὰρ ἀπέθανεν, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ.

Sed nos quoque, quotquot eius σύμφυτοι sumus, eodem illo interiore sensu idem experti sumus, quod alter Adam, quod Christus expertus est. Non diu post futurum id est; imo jam nunc συνετάφημεν αὐτῷ, ut cum eo vivere possimus. Sumus nos σύμφυτοι θανάτου αὐτοῦ καὶ τῆς ἀναστάσεως. Nimirum ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας. Hoc confessi sumus, quo tempore baptizati sumus: ἐβαπτίσθημεν εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, ut confiteremur eum esse mortuum nosque simul cum eo mortuos esse τῇ ἁμαρτίᾳ. *Nunc* mortui sumus, h. e. *nunc* demum vere vivimus: οὕτως καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ θεῷ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.

Hoc fragmentum Judaicum Paulus Episcopus more suo retractavit. Fecit initium εὐήθως πάνυ rogando vs. 2b: οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ; et ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι, nam ipsum fragmentum incipit a pronomine ὅσοι. Vs. 2 necessario agnoscimus Episcopi manum, nam ex coelo et idearum regione repente delapsi sumus in hunc mundum, qui oculis cernitur. Mortui estis peccato, vivitis Deo, inquit ille vs. 11, non reputans sane eam vitam terrestrem, sed vitam quam multo verius vivimus tamquam Christi σύμφυτοι ac plane idealiter, convenienter τέλει, quo secundum Aristotelem omnium rerum φύσις censetur. Ἁμαρτία ὑμῶν οὐ κυριεύσει, laetus exclamat vs. 14: hoc non capit Paulus Episcopus itaque rogat: πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν ἁμαρ-

τίᾳ; Addita praepositio hominis ingenium prodit, nam Judaeus certe scripsisset simpliciter ἁμαρτίᾳ, sicuti θεῷ, vs. 11, sed secundum Paulum Episcopum vivimus *in* peccato, h. e. in sceleribus.

In Judaico fragmento primarium fuerat, quotquot baptizati sumus ad Christi *confessionem*, baptizatos esse ad mortis eius *confessionem*, qua mortuus est peccato; deinde additur vs. 4: συνετάφημεν αὐτῷ .... ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν, ... οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. Hoc vixdum elocutus fuerat Judaeus et inserit redactor vs. 4 post αὐτῷ inaccuratum illud: διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον et post νεκρῶν tinnientia verba: διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. Falsum certe est contendere nos baptismo cum Christo una sepeliri, quonam baptizamur εἰς, h. e. ad mortis eius confessionem; nam nunc mittimus dicere fuisse scribendum τοῦ εἰς τὸν θάνατον [1]). Quam sensu vacuum sit διὰ τῆς δόξης, non opus est dicere.

Itidem odoramur manum eius vs. 5 in nomine τῷ ὁμοιώματι, qui dativus instrumenti est. Falsum est, illa similitudine, h. e. baptismo nos συμφύτους τοῦ θανάτου fieri. Jam

---

1) Vetus error est, secundum quem submersio sepulturae imago habetur. Satis est meminisse, ut submersio symbolice accipi possit, Christi mortem removendam esse a sepultura, nam submersio symbolum fortasse esse poterit sepulturae, sed Jesu mortis certe non potest videri. Secundum scriptorem autem mors et sepultura tam arcte cohaerent, ut modo hanc nominet, modo illam: vs. 4: συνετάφημεν, vs. 5 σύμφυτοι γεγόναμεν τοῦ θανάτου. Jam satis nosse nobis videmur Judaica fragmenta neque facile exspectamus in iis puerile symbolum, quod jam ante septem saecula fere universa Ecclesia Christiana abjecit. Cuiuscumque religionis historiam scribere volueris, hoc agitur ut falsa et ridicula redarguantur, quo vera et excelsa in clariore luce collocentur. Baptismo confiteri esse te σύμφυτον eius qui cupiditatis et peccati expers fuit, superbum est; sed puerile est contendere submersionis nescio quam magicam esse vim, adeo ut submersus demum illa similitudine (vs. 5) σύμφυτος fieri possis τοῦ ἀποθανόντος κατ' ἐξοχήν. Aliena sunt, sicuti diximus, puerilia ab fragmentis judaicis. — Concedimus quidem puerile hoc Christianum esse, sed minime inde sequitur, Christianam religionem ipsam puerilem esse; sed sicuti unusquisque peccat iisdem rebus quibus excellit et dum vitia fugimus in contraria currimus, sic in Christiana religione quae celsa vitat et ab omni strepitu aliena non nisi quieta amat, in honore sunt ea quae populo placere possunt. Ipse adeo populus pueri instar est et tubae ope docendus est resurrectionem et submersione, quid significet illud συνετάφημεν.

enim sumus idque confitemur quo tempore baptizamur. Etiam attendendum ad perfectum γεγόναμεν. Praeterea sententia laborat vs. 5ª, nam potest dubitari quo genetivus θανάτου referendus sit, sed dele τῷ ὁμοιώματι et difficultatis nihil supererit.

Etiam languidus versus 8 Pauli Episcopi est: non enim credimus nos esse *victuros*, sed novimus nos vivere (vs. 11).

Quod Paulus Episcopus inchoavit, vss. 3—11 leviter immutandis, quum de coelo omnia in terram detruderet fortunaeque subjiceret et σύμφυσιν ὁμοιώματι firmaret, id perfecit in altera parte hujus capitis versibus 12—23, quibus ea quae philosophice disputata fuerant vss. 3—11, adaptantur Ecclesiae usibus. Jam novimus quomodo in eo negotio se gerere soleat et post vss. 3—11 jam ipsi propemodum vss. 12—23 potuissemus supplere, si forte deessent.

Vs. 14ª ἁμαρτία ὑμῶν οὐ κυριεύσει fit quod fuerat μὴ βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία (ἐν ὑμῖν) vs. 12. Σῶμα νεκρὸν, quod necessario subintelligimus quum legimus συνετάφημεν, συνεσταυρώθη (vss. 4 et 6), fit σῶμα θνητὸν, quo etiam fideles utuntur. Ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας vs. 6 fit μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν τῇ ἁμαρτίᾳ, vs. 13. Σύμφυτοι γεγόναμεν τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἀναστάσεως χριστοῦ (vs. 5) obscuratur verbis: οὐκ οἴδατε ᾧ παριστάνετε ἑαυτοὺς δούλους δοῦλοί ἐστε ἤτοι ἁμαρτίας ἢ ὑπακοῆς (vs. 16), quasi quem quisque voluisset, dominum haberet atque inter bonum malumque id interesset quod inter mortuum et vivum. Christus quocum concrescimus (vs. 5) locum cedit τύπῳ διδαχῆς, cui paremus ut boni viri evadamus (vs. 17). Qui scriptor dum alte evolat, nusquam cursum intermittit, excipitur ab alio qui interpellat se ipsum: ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν (vs. 19). Cui ii tantum vere vivunt qui vivunt τῷ θεῷ (vs. 11), potuitne is scribere: ἐλεύθεροι τῇ δικαιοσύνῃ vs. 20? Cui vita et mors stricto sensu ab justitia et peccato nihil differunt, potuitne ille vitam χάρισμα θεοῦ appellare et mortem ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας [1]).

---

1) Vss. 14b et 15 huc recepti sunt librarii alicuius errore. Agitur ibi de alia

Sed etiamsi quis hanc explicationem probet necne, id certe minime negari potest, aliquantum interesse inter 3—11 et 12—23. Illud fragmentum philosophicum est; hoc paraeneticum, sive illud (metaphysice) jam factum esse contendit, ad quod altero fragmento excitamur.

§ 7.

Tractatur caput VII.

Hic invenimus duorum fragmentorum conjunctionem 1—13 et 14—26. Vss. 1—13 scriptor quidam Judaeus conatur sibi persuadere, licere desciscere a Mosaica lege; hinc primum revocat in memoriam, penes neminem post mortem auctoritatem remanere (vs. 1).

Nubit mulier et convenit marito in manum.

Mortuo marito, liberum ei est novas contrahere nuptias. Non dissimile de nobis valet: est enim

Matrona, Israelitae instar;

Prior maritus, Legis;

Alter, Eius qui resurrexit.

Primum matrimonium fructus tulit θανάτῳ (vs. 5), alterum θεῷ (h. e. ζωῇ) vs. 4. Manet igitur probandum, mortuum esse priorem maritum, sive remotis imaginis involucris, abrogatam esse Legem.

Verum haec demonstratio desideratur, nam postquam scriptor Legem taeterrimis coloribus depinxit, non tamen sustinet inde concludere, Legem defuisse divino consilio et semper defuturam esse.

Incipit criminari vs. 7, postquam scriptor dubitationem essetne forte νόμος ἁμαρτία, longe removit et abominatus est: μὴ γένοιτο! Quae est igitur, inquit, peccati origo? Nempe non nisi ab Lege peccatum repetendum est, nam ἔλαβεν ἀφορμὴν ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς (vs. 8); χωρὶς νόμου

---

re (quid ex Legis abolitione sequatur), quae tractatur demum cap. 7 neque attingitur cap. 6. — Itaque recte cohaerent vss. 13 et 16 (nam quod supra diximus, 14a pertinet ad 3—11).

ἁμαρτία νεκρά (9a); ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν (9c). Etenim absente Lege, nihil est quo contra nitamur nec resistitur, sed postquam primum Lex pedem intulit, excitatur cupido id faciendi quod abhinc peccatum esse novimus.

O nefastos Legis fructus! Fuit ἐντολὴ εἰς θάνατον (11)! Ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς (sed scriptor ad logices praecepta non ἁμαρτίαν sed ἐντολὴν appellare debuerat) ἐξηπάτησέ με καὶ .... ἀπέκτεινέ με. Per se lex bonum est; ipse fundus praeclarus est et ex ipsa virtute derivatus est, sed cur tandem malorum irritamentis humanum genus traduxit ad flagitia?

Hoc est igitur quod torquet scriptorem: praeclara verba legis sunt eademque lex letifera fuit! Fuitne igitur ipsa virtus causa mortis? Sed hoc fieri nequit: τὸ ἀγαθὸν ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος; μὴ γένοιτο! Si auderet, Legem accusaret et diceret: non me meliorem reddere potuisti, imo me ab recta via abduxisti: itaque te Deus abolevit.

Sed tale quid non audet dicere manetque secundum eum Moyses legislator, quem Israel audiet in perpetuum (Exod. 19, 9). Hinc negligitur quod in comparatione tertium fuerat. Sicuti nupta mulier mariti morte e manu exit, sic nos Legis imperium exuimus spirituali morte. Verum quorsum nunc pertinet comparatio? Quid attinuit afferre exemplum mariti, qui *dum moritur*, uxori reddit libertatem, si scriptor fugit dicere, etiam Legem, quum itidem interierit nos in libertatem restituere? Remanet verborum fortuita convenientia, primum: ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, deinde: καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ.

Hic solum animadversione dignum est, scriptorem nihil melius excogitare potuisse, ut Legis auctoritatem interimeret. Legem sterilem esse intellexit, nec tamen sollicitatur auctoritas: sequitur eum ultro citroque jactari. Lex divina est et bona et justa praecipit: tamen intermortua est, quin et mortales reddit sui similes: ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκί (hic quoque = νόμῳ), τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν ἐνεργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ.

Hic certe non Christianum hominem audimus, cui pristina omnia interiere, sed luctatur qui hic loquitur et patriis institutis repugnat: anxie quaerit quomodo tandem vetus jugum antiquare possit.

Fuerat tempus quo scriptor nondum Judaice vixerat: ἐγὼ δὲ ἔζην χωρὶς νόμου ποτέ (9b aliter atque Gal. 1, 13 sq.); deinde, quia adspirabat ad id quod in religione summum est, perductus fuerat ad Mosaicam Legem amplexatusque erat Pharisaeorum sectam. Quodnam inde perceperat lucrum? Semper nixus fuerat in vetitum cupieratque negata. Peccatum — sed Legem dicere voluit —, ἐξηπάτησέ με καὶ ἀπέκτεινέ με· quo acri verbo haud male denotatur desperatio et summa animi exacerbatio. Verum quomodo excuti poterit intolerabile frenum? Quomodo removeri poterit ea lex tam praeclara et tamen tam exitiosa? Quo tempore mentes ineluctabili modo jactantur, sponte sese offerunt fallaces conclusiunculae: ἢ ἀγνοεῖτε, ἀδελφοί, ὅτι ὁ νόμος κυριεύει ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ; Quasi non hoc esset demonstrandum, quomodo aboleri posset lex, quam ipse Deus instituisset [1]).

Alterum fragmentum pertinet a vs. 14 usque ad vs. 25, quibus verbis novae imagines continentur et novum demonstrandi genus. Vs. 14 conjunctio γάρ ad superiora nihil pertinet, nec sane καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς, *quoniam* novimus legem pneumaticam esse. Primum statim vs. 14b πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν nove dictum est; deinde ὁ νόμος vss. 14 et 16, ubi non Mosaica lex intellegitur, sed ὁ νόμος τοῦ νοός, eaque lex minime confert quod nos decipere et interimere poterit, neque ἕτερος νόμος, vs. 23, nos liberare poterit; haec enim altera lex

1) Itaque 7, 1—13 Christianae locutiones postea demum insertae sunt nec mirum eas a perspicuitate laborare, veluti ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ (vs. 4)! Ibidem debemus fieri τῷ ἐγερθέντι, ut fructus feramus θεῷ (hic, vide supra = ζῳῇ). Satis credibile est olim scriptum fuisse: ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ εἰς τὸ γενέσθαι ἑτέρῳ, quo respiciebatur praecedens ἀνδρὶ ἑτέρῳ, sed, prouti verba nunc leguntur, nubit mulier eidem, qui priorem maritum sustulit. Deinde duae novae imagines parum decore introducuntur vs. 6a, qui versus recte potuisset poni post vs. 22, quum praesertim propter vs. 14a fragmentum pneumaticum sit.

demum tyrannum agit idque scriptor dolet: βλέπω δὲ ἕτερον νόμον .... ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός καὶ αἰχμαλωτίζοντά με ἐν τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας. Τίς με ῥύσεται desperantis est ejaculatio, quae non magis decet scriptorem versuum 7, 1—13 quam Christianum hominem. Vs. 25[a] nemo sane antiquissimum esse credet. In tota hac pericope nihil invenitur supra vulgarem Stoicorum doctrinam.

Vss. 14—25 neque castigatus sermo est, nec grave quod tractatur. Confer modo:

Vs. 15: οὐχ ὃ θέλω τοῦτο πράσσω.
18[b]: τὸ γὰρ θέλειν παράκειται μοι.
19: οὐ γὰρ ὃ θέλω ποιῶ ἀγαθόν.
16: εἰ ὃ οὐ θέλω τοῦτο ποιῶ.
20: εἰ ὃ οὐ θέλω τοῦτο ποιῶ.

Itidem vs. 17:

οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλ' ἡ ἐνοικοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

vs. 20:

οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλ' ἡ ἐνοικοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

Vs. 21 ne verti quidem potest et verosimiliter corruptus est.

§ 8.

Tractatur caput VIII.

Etiam in hoc capite duo fragmenta invenimus, quorum alterum (exceptis de quibus post dicemus) pertinet ad vs. 27, alterum a vs. 28 usque ad vs. 39.

Non licebit interpretari vss. 1—27, quasi cohaereant, ne magnis difficultatibus implicemur: facile nobis erit hoc ostendere.

Vs. 1 particula ἄρα sensu vacua est. Ad verbum ἠλευθέρωσεν vs. 2 observandum est, non dicendum hic fuisse de peccati onere, sed de poena. Non amplius peccabimus: minime inde sequitur nos etiam effugituros esse poenam facinorum olim commissorum. Κατάκριμα vs. 1 repetitur a morte proprio sensu, πνεῦμα τῆς ζωῆς respondet morti figurato sensu: itaque vss. 1 et 2 non recte cohaerent.

Vs. 3 denuo redit conjunctio γάρ et sententia τὸ γὰρ

ἀδύνατον τοῦ νόμου caret verbo: quidquid suppleveris, nihil proficies, nam alterum subjectum (ὁ θεός) numquam adnecti poterit nisi cujusdam particulae ope. Nec videmus quid sit ἐν ὁμοιώματι σαρκός, neque quidquam lucrabimur, etiamsi vs. 4 incipiat ab nomine ὁ θεός, nam vss. 3 et 4 nihil continent praeter sensu vacua verba. Quid enim post verbum κατέκρινεν significare potest τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου nisi legis postulationem, capitis condemnationem. Eane cernitur ἐν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν? Praeterea quam se jactat docetismus in illo ἐν ὁμοιώματι σαρκός. Denique vs. 3 σὰρξ ter proprio sensu dicitur, sed continuo post versu 4 sensu figurato.

Non perspicimus quomodo vss. 5—9ᵃ per particulam γάρ cum praecedentibus jungi possint; ceterum vitro dilucidiores sunt, sed Christianam originem nusquam redolent.

Tuto omitti potuisset vs. 9ᵇ. Ter fit initium a conjunctione εἰ δέ vs. 9ᵇ—11, nec tamen ex eodem fonte proficiscuntur, cf. modo σῶμα νεκρόν vs. 10 et θνητὰ σώματα vs. 11. In his versibus Christianus deinceps est homo, in quo Christi Spiritus, ipse Christus et Dei Spiritus habitat, necdum demonstratum fuit, omnia haec redire eodem. Inter πνεῦμα χριστοῦ et τὸ πνεῦμα (θεοῦ) vs. 9 et 11, videmus vs. 10 τὸ πνεῦμα, etiamsi praeterea nihil addatur, *humanum* spiritum significare: non negligenda est, uti arbitramur, talis incuria, sicubi quaeritur legamusne scriptorem an compilatorem. Dormitet necesse est, qui conniveat ad elumbem sententiam vs 11: εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος τὸν Ἰησοῦν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας ἐκ νεκρῶν χριστὸν Ἰησοῦν ζωοποιήσει διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτὸ πνεῦμα ἐν ὑμῖν.

Continuantur vss. 5—9ᵃ versibus 12—16 (legamus modo: ἄρα οὖν, ἀδελφοί, ὀφείλετε ὄντες μὲν ἐν τῇ σαρκί)[1]. Sunt verba facilia intellectu, sed nihil in iis prodit Christianam originem.

Quantum quidem intelligi possunt, molesti versus sunt

---

1) Attende modo ad ζῆτε (vs. 13), μέλλετε, θανατοῦτε, ζήσεσθε (ibid.), ἐλάβετε (vs. 15); unde igitur repente prima persona ἐσμέν?

17 et 18. Supervacaneum est μὲν θεοῦ neque iteratum esse videtur κληρονόμοι, nisi ut posset sequi: συγκληρονόμοι δὲ χριστοῦ, nam obscura locutio est, quae non invenitur nisi Galat. 4, 7, ubi cum Codd. A et B legendum διὰ θεοῦ. Quid est συμπάσχομεν? Quid καὶ ante συνδοξασθῶμεν? Et quod haud mediocri attentione dignum est, vss. 15 et 19 *nondum* sumus filii Dei, sed hoc vs. 17 negligitur, qui e diverso fonte profluxit; nihil enim hic dubitanter et demonstratio fit ad mathematicorum modum jamque novit scriptor pro certo, nos δόξης χριστοῦ participes fore. Estne post talia locus versui 19 et seqq., imprimis vss. 23; 25; 26? Quem hic audimus, multo minus confidenter loquitur majoremque dubitationibus locum relinquit et tam alienus est ab Christiana persuasione, ut vs. 26 confutari potuerit locis quales sunt Rom. 8, 34; 1. Joh. 2, 1; Luc. 11, 1—4. Si nos Jesus orationem Dominicalem docuit, novimus quid orare debeamus et si ille jam postulat pro nobis, cur idem nunc Spiritui tribuitur?

Resectis iis quae intelligi nequeunt, si colligemus in unum quorum sententia facili opera pellucet, agnoscemus Rom. 8, 1—27 fragmentum pneumaticum, quo satis dilucide ostenditur quae Pneumaticorum doctrina fuerit. Ne ipsa brevitate, cui ceterum studemus, nimis fiamus obscuri, locum describemus quo melius ostendamus quid de eo hominum genere inveniri posse credamus (vss. 2; 4; 5—9[a]; 12—16; 19):

Ὁ γὰρ νόμος τοῦ Πνεύματος ἠλευθέρωσέ σε [1]) ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας [2]), ἵνα τὸ δικαίωμα [3]) τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ὑμῖν τοῖς μὴ κατὰ Σάρκα [4]) περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ Πνεῦμα. Οἱ

1) Ita Vaticanus.

2) Omisimus τοῦ θανάτου, cui nondum locus est et vs. 3, qui nequit intelligi.

3) Omisso vs. 3, jam δικαίωμα non necessario condemnatio capitis est, sed id potius quod justitia postulat; habent hoc qui pneumatice sentiunt.

4) Quod supra jam statuimus, Σαρκὸς nomine Judaica instituta intelligenda sunt. Qui credunt voluptatem significari, primum obliviscuntur νόμον ἁμαρτίας vs. 2, cui Σὰρξ respondet; deinde vs. 3 interpolatio etiam minus intelligi poterit, si vertere non licebit verba ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς Σαρκός: Vetere Testamento. Atque sic ἐν ὁμοιώματι fortasse is erit qui externa specie Judaeus est. Nec ne-

γὰρ κατὰ Σάρκα ὄντες τὰ τῆς Σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ Πνεῦμα τὰ τοῦ Πνεύματος. Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς Σαρκὸς θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τοῦ Πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. διότι τὸ φρόνημα τῆς Σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν [1]), οἱ δὲ ἐν Σαρκὶ ὄντες θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται· ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐςὲ ἐν Σαρκὶ ἀλλ' ἐν Πνεύματι [2]).

Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, ὀφείλετε ὄντες μὲν ἐν τῇ Σαρκί οὐ κατὰ Σάρκα ζῆν [3]). Ὅσοι γὰρ Πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοι υἱοί εἰσιν θεοῦ· οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ· αὐτὸ τὸ Πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν ὅτι ἐσμὲν τέκνα θεοῦ .... [4]) ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται. Deinde vss. 20 [5]) — 27 [6]).

Ex hoc fragmento, quod Judaeis novatoribus tribuendum est, quos Pneumaticos appellavimus, apparet secundum eos

---

gligendum vs. 4 opponi Σάρξ et Πνεῦμα, Πνεῦμα autem nunc promittit salutem. Vs. 5 nimis otiosum est vertere: qui voluptati serviunt, voluptarie sentiunt; sed recte dicitur (cf. Gal. 5, 16 et 6, 7 sqq.): qui secundum Legem vivunt, concurrunt in idem propositum (φρόνημα appellatur), quod illi sectantur qui sub Legis signo militant; est autem φθορά (Gal. 6), est θάνατος (Rom. 8, 6), est Dei odium (7); non possunt Deo placere qui hanc sectam sequuntur (vs. 8): nimis sane puerile foret, hoc de iis affirmare, qui voluptati serviunt. Non amplius estis sub Lege Veteris Testamenti (9a): intelligi potest, nam quid tandem est: non amplius estis in carne vestra, h. e. in voluptate? Etiam εἴπερ stulte additum, si ἐν σαρκὶ εἶναι significabit voluptarie vivere. Itaque scriptor corrigit se ipsum vs. 12: vivitis *intra* leges, sed non *secundum* leges; cf. vs. 15, ubi novus ille Spiritus non voluptati opponitur, sed δουλείᾳ, servituti, quam Judaei serviunt. Πνεῦμα non adeo nos „spirituales" reddit, sed filios. Vs. 21 humanum genus non cupit excutere voluptatis vincula, sed conditionis quae nos prohibet, quominus filii evadamus. Plenam υἱοθεσίαν nacti, habebimus, vs. 23, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν (non τῆς σαρκός); hoc igitur in futuro est, sed jam nunc Σαρκός jugum excutiendum est.

1) Vs. 7b languida est epexegesis.

2) De vss. 9b—11 vide supra.

3) Quam supervacaneus est vs. 13 post vs. 6. Attende etiam ad σῶμα (dicenda fuisset σάρξ itaque habet DFG) et futurum ζήσεσθε.

4) Inter vss. 16 et 19 statuenda est lacuna.

5) Verbo ματαιότητι confirmatur Σαρκός significatio. Humanum genus cupit effugere omne quod Vanum, Irritum est, sicuti Pneumaticus veteris oeconomiae φθοράν.

6) Hic rogare licet veterum miratores, cuiusmodi textus esse debeat, qui non perspicuus fiet, nisi complura deleveris.

Πνεῦμα fuisse distinctam personam non Deo patri oppositam, sed quae, Deo patre auctore, nostram salutem efficeret (vss. 15; 26; 27). Ad perfectionem adspirare non possunt nisi qui Πνεῦμα sectantur (vs. 4); sunt enim liberati ab illa Judaica lege, unde peccatum repetebatur (vs. 2). Mors et Dei odium fructus fuerant Mosaicae religionis, vita et aeterna pax laeti proventus sunt novae doctrinae (vss. 6 et 7). Qui paret Mosaicis legibus, Deo placere non potest (vs. 8); sed vos qui Πνεῦμα habetis, novam quasi formam induistis (vs. 9[b]). Etiamsi vivatis *intra* illas leges, tamen vivitis *secundum* eas (vs. 12), nam pneumatici non sunt servi, sed Dei filii (vs 14). Nonne vos, Pneumatici, qui Πνεύματος participes estis, clamatis, Abba Pater? Testatur hoc vester animus et Πνεῦμα itidem testatur (vs. 16). Deinde, nam haec lecta fuisse suspicamur in ea lacuna quae est inter vss. 16 et 19, vos, Dei filios liberatos ab Legis jugo, quae ducit ad perniciem, universa rerum natura contemplatur tanquam nobile exemplum quod sequatur; jam enim ipsa gestit videre vestram perfectam revelationem: est enim nunc vanitati obnoxia, sed aliquando jugum de collo demetur. Fiet hoc quum messis secuta erit primitias nosque terrestre corpus exuerimus. Summisso animo exspectandum quod futurum est (vss. 23-25). Interea Πνεῦμα nos non deserit et infirmitati nostrae auxilio venit. Apud Patrem nostram causam agit ipseque Pater, qui corda scrutatur, novit etiam quid Πνεῦμα velit: vult autem nihil quod divino consilio repugnat (vss. 26; 27).

Qui sic scripsit, sibi ipsi satisfacere non potuit; intimo animi sensu agnovit id quod summum est, nempe ἐλευθερίαν τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ, deinde cernit montium celsitudines et desperat ascendere se eas aliquando posse. Hoc etiam nos advertit, quod rerum naturam conjungit cum humana conscientia. Non interveniunt inexsuperabiles Alpes. Sicuti pneumatici Πνεύματος primitias habent, sic ipsi auspicantur salutem, ad quam universa rerum natura ingemiscit. Hic quam multa erant, quae Christiana religio in suos usus convertere potuit. Sic solent novarum persuasionum condi-

tores adsciscere scripta quae alibi enata sunt. Qui Genesin scripserunt, non cohibuerunt manus ab bibliotheca Assyriorum regis, cui, uti audimus, nomen erat Assurbanipal. Indicorum Vedica scripta post retractata fuisse dicuntur. Quam sunt egregia quae Bernaysius disputavit de Phocylide. Denique, ut ad nostra tempora veniamus, nonne narrat Macaulaus Catholicum sacerdotem retractavisse Buniani celeberrimum librum de Peregrini Progressu?

Sed aliquantum distat tristitia 8, 1—27 ab desperatione, quam notavimus 7, 14—25. Ab utroque fragmento differt illud οἴδαμεν, quod legitur fragmenti initio, quod servatum est 8, 28—39.

Primo obtutu fragmentum Christianum est, quod Paulo Episcopo tribui poterit. Agnoscimus lacteam ubertatem et ingenium ab philosophia alienum.

Primum quam crebrae redundantiae! Κατὰ πρόθεσιν κλητοί (28), οὓς προεγνω, καὶ προώρισε (29), οὓς προώρισεν, τούτους καὶ ἐκάλεσεν. Post ἐδικαίωσεν sequitur ἐδόξασεν, quod quum futurum tempus non sit necessario idem est quod ἐδικαίωσεν. Praepositio πρό ter recurrens (πρόθεσις, προέγνω, προώρισεν) facit ut exspectemus, scriptorem nunc praedestinationem explicaturum esse, cum praesertim verbis τί ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα se jam accingere videatur ad illa arcana illustranda; sed jam continuo rei oblitus est vs. 31[b]: ἐκλεκτοὶ iidem fiunt qui ἀγαπητοὶ neque amplius προόρισις est, qua nitimur, sed confidimus nihil nos avulsurum esse a caritate divina. Docemur non esse cur timeamus ςενοχωρίαν, λιμὸν, γυμνότητα, κίνδυνον, μάχαιραν, ὕψωμα vel βάθος, quamquam πρόθεσις jam potuisset nos ab illo metu liberare. Tradit scriptor doctrinam, qua nescit ipse quomodo utatur.

Nihil est cur putemus mala quae perpetiatur, scriptorem perpeti propter Evangelium. Quin demonstratur vs. 36, etiam Israelitam, nam psalmus laudatur, similes querelas fundere posse. In copiosa enumeratione rerum, quae nos ab Deo separare possunt, non relinquitur peccato locus, quod Christianus scriptor fortasse primo loco memoravisset. Christi hic nullae partes sunt, nisi quis forte eo referre

velit quod additur vss. 35 et 39 ἐν χριςῷ. Dat Deus Filium suum: ita est: sed curnam non apparat. Christus hic eodem loco est, quo Catonem habebat Epictetus vel Seneca; deinde eo officio fungitur, quod 8, 27 jam Πνεύματι tributum fuerat, denique est πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, quo non multum lucramur.

Post τίς ὁ κατακρίνων, historica sunt quae sequuntur et quum scribitur μᾶλλον δὲ ἐγερθείς vs. 34, Christi mors excusatur potius quam in clara luce ponitur.

Etiam hoc fragmentum magis placebit, si Christiana omnia deleveris itaque supererunt vss. 28ᵃ (usque ad ἀγαθόν); 31; 33ᵇ; 34ᵃ (nempe ea verba tantum: θεὸς ὁ δικαιῶν· τίς ὁ κατακρίνων); 35 (sine verbis τῆς ἐν Χρ. Ἰησ. quae Sin. omittit); 36—39 (sine τῆς — ἡμῶν). Delendi autem causam habuimus, primum quod dogmatica omnia tam incertum ac fere nullum colorem habere videbantur, tum nonnulli versus inter se collati statim id demonstrabunt, quod nobis persuasimus:

Vs. 31: εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν τίς καθ' ἡμῶν;
33ᵃ: τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν;
33ᵇ; 34: θεὸς ὁ δικαιῶν· τίς ὁ κατακρίνων.

V. 33ᶜ pessumdatur symmetria, symmetria verborum et cogitationum:

Deus pro nobis: quis contra nos?
Deus justificat: quis condemnat?

Causa est quod postquam interpolatus fuit vs. 32, scriptorem iterare oportebat illud τίς καθ' ἡμῶν, quod scriptum fuerat vs. 31. Itaque adscripsit vs. 33ᵃ, sed nimis inconsiderate, nam qui Deo confidit, poterit is certe rogare: quis contra me? minime autem: quis me accusabit? Ut luculenter appareat, neminem esse condemnaturum, proferantur accusationes necesse est. Quin etiam efficitur e verbis ipsis, postea demum additum fuisse versum 32; quis enim inter vs. 31 et 33ᵇ necessarium esse duceret inserere indefinito modo: Deus cum Filio dabit nobis „omnia".

Symmetria restituta monstrabit vs. 34 inde ab χριςός interpolata esse omnia. Bis scriptor pronunciavit quid *concluderetur* ex thesi, quam proposuerat: Deus pro nobis

itaque ne hostem timeamus; Deus justificat *itaque* nulla condemnatio. Potuitne igitur vs. 34 quae tradidit sine conclusione dimittere? Ostendit illud ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν, quod ex 8, 27 mutuatus est, quam nihil Redactor de Christo dicendum haberet. Intelligimus 8, 27, nam ibi de alio auxilio sermo nullus fit, sed 8, 34 affirmatio est plane supervacanea, ubi de Dei praesenti auxilio tam multa jam dicta sunt.

Itaque etiam hoc octavo capite, ea quae Christianam originem habent, retractationi debentur, quodque illis remotis remanet per se consideratum commode et perspicue dictum est.

§ 9.

Tractatur Caput IX.

Pleraque omnia in capitibus 9—11 ex Judaico fonte profecta sunt tenduntque eodem.

Quinque primis versibus contineri videtur Christianum fragmentum, nec tamen illo colore servato intelligi possunt. Unde metuit scriptor ne sibi fides non habeatur? Quocum una testatur scriptoris conscientia? Quae est conscientia testimonium perhibens in Spiritu Sancto? Causa doloris totidem verbis nusquam traditur. Quid supplendum post ηὐχόμην? Christianus scriptor certe non potest credere sua morte vel rejectione peccatum elui posse: τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς legitur apud Matthaeum (16, 26 coll. Marc. 8, 37). — Unde post vss. 1—3, quibus Israelitarum populus infelicissimus perhibetur esse, sequuntur vs. 4 et 5, quibus habere dicitur διαθήκην et ἐπαγγελίας? Nonne Dei dona et promissa sine poenitentia sunt (2 Cor. 1, 20, Rom. 11, 29)? Cur tantus dolor eius qui postea optime novit, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ καὶ οὕτως πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται? Imo magnus dolor, qui fuerat vs. 2, jam vs. 5 extr. mutatur in hymnum.

Eodem mox redibimus, sed post hanc praefationem se-

quitur primum Judaicum fragmentum, quo comprehenduntur vss. 6—16.

Israel servatur: sed quis est Israel, quis revera Abrahae filius? Ismael et Isaac, uterque eo prognatus est et tamen unicus filius Isaac est. Esau et Jacobus uterque de Abrahae genere est et tamen Jacobus solus dilectus fuit. Haec electio certum consilium habet: ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ. Non refert nihil Abraha oriundum esse, sed id quaeritur cui tantum privilegium contigerit. Inter Abrahae posteros is est, quem Deus elegit: τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. Vs. 15, in quo laudatur Exod. 33, 19, tradit demonstrationem ejus rei quae in hac pericope praecipua est: Noli, inquit, mirari id quod dixi: quem Deum tibi nuncio, idem est qui jam Moysi rationem reddere noluit favoris et reprobationis.

Novum argumentum tractatur versibus 17—23. Vs. 6—16 Deus Abraham alloquebatur vel Isaaci prolem, vs. 17 autem Aegyptiorum regem Pharaonem: ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ. Haec est primaria sententia, Deum etiam malis moderari idque Pharaonis exemplo comprobatur, quod in manu Dei instrumenti instar fuit.

Concedimus utramque rem, et liberam electionem ex Abrahae progenie et jus in Pharaonem usurpatum, similiter commonstrare Dei potentiam atque eatenus cohaerent illae pericopae, sed ei qui vss. 6—16 scrutatur Israelitarum futuram sortem, parum causae est cur de Pharaone dicat, quomodo eum Deus tractaverit. Satis violenti modo Redactor in unum conjunxit, quae ad Moysem et quae ad Pharaonem dicta fuerant. Legimus Exod. 33, 19: ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ (quod vs. 18 ita redditur ut Dei liberum arbitrium in luce collocetur) et Exod. 7, 3: ἐγὼ δὲ σκληρυνῶ τὴν καρδίαν Φαραώ, sed nusquam in vetere Testamento legimus: ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει. Componi certe poterunt duo loci, ut oriatur Rom. 9, 18, sed totum hoc arbitrarium est, nec praetervidemus discrimen quod interest inter eum qui dum aliorum infidelitatem cogitat, tacita mente apud

se susurrat: ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ et eum, qui quod ad adversarium fuerat dictum, extendit crudeliter ad omnes: ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει.

Inde a vss. 20 sqq. etiam longius removemur a vss. 6—16. Quaestio num forte Deus pro justitia sua Israelem partim reprobare possit, conjuncta quidem est quodam modo cum altera quaestione, possitne Deus poenas exigere ab eo qui peccaverit, quum ipse omnium bonorum et malorum auctor sit habendus; sed is qui scripsit vss. 6—16 haud facile philosophorum more quaestiones illas tam generali modo proposuisset, neque omisisset eas referre ad Israelitarum populum. Non redit eodem contendere Deos eligere quos velit ex Abrahae progenie et docere, divisum esse universum humanum genus in σκεύη κατηρτισμένα εἰς τιμήν et εἰς ἀτιμίαν. Odium Esavi nihil aliud effecit nisi ut pareret majori fratri (vs. 12), quod sane non est honorificum, nec tamen comparandum cum ea pernicie, quae intentatur vs. 22.

Etiam longius ab instituto sermone aberratur vss. 24 sqq. Non ibi agitur de electione inter Abrahae filios, sed inter eos quos ἐκάλεσεν θεὸς ἐξ Ἰουδαίων καὶ ἐξ ἐθνῶν· imo eligetur populus qui ad Abraham nil quidquam pertinet vs. 25: καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου. Atqui praecesserat vs. 6: οὐχ οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Ἰσραήλ.

Vs. 27 reditur ad vs. 6—16. Hic iterum explicatur electio *intra fines populi Iudaeorum*; hoc est illud S'ear-Iasoub (Jes. 7, 3); hoc est ὑπόλειμμα, quod apud Prophetas facit utramque paginam. Non perveniet Israel quo tendere debet nisi perpetua purificatione. Ut tandem universus populus soli Deo consecretur sub ejusque dominatione requiescat, educatur Israel cladibus, exiliis, servitiis, ultimo denique vitae discrimine. Jamdudum periisset Israel sicuti alii mulli perierunt, nisi incorruptus nucleus quasi hesternum ignem perpetuo servavisset.

Verum quantum haec doctrina de ὑπολείμματος salute distat ab illa horribili doctrina, quae vss. 17—23 traditur. In illa finem ethicum agnoscimus, quo tempore non singulorum civium ratio habebatur, sed universi populi. In hac

stat pro ratione voluntas et divinum arbitrium in solio collocatur. Quidquid hominibus, quidquid nationibus evenit, evenit εἰς ἔνδειξιν τῆς δυνάμεως, τῆς ὀργῆς, τοῦ δυνατοῦ Dei (vss. 17; 22). Ille reiicit, ille servat neque umquam cogitur ad rationes reddendas.

Magis etiam ut appareat discrimen inter 6—16; 27—29 et 17—23, quaerimus quo in illa pericope salus, in hac „induratio" referatur. Quaenam tandem salus portenditur τῷ ὑπολείμματι? Certe minime Judaei dicuntur amplexuri esse Christi fidem nec timet scriptor ne ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Salvus erit Israel, nam divinum verbum non poterit eventu carere. Τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται: desumtum hoc est ex Vat. Jes. 10. 22 sqq., ubi referimur ad extremum octavum saeculum ante Christum. Crudeliter opprimitur Judaeorum natio dominatione Sargonidarum, Assyriorum regum, quorum hisce postremis annis refocillata demum memoria fuit. Capta Samaria et Israelitae abducti in servitutem. „Descendit leo in planitiem et rugit in desertis". Etiam Judaea pendit tributum Assyriis. Adversus Syros rex Achaz auxilium invocarat Theglathphalasaris. Convenerant reges Damascum et in eo conventu Achaz degenerem animum minime celarat. Turpe exemplum Ezechias filius imitatus, quo tempore Sennacherib appropinquabat ad Hierosolyma oppugnanda, legatos ei obviam misit qui dicerent: Faciam quidquid imperaveris. Arripit hoc Assyriorum rex aedesque spoliata trecentis talentis argenti et triginta auri, quae tributi nomine penderentur. Crescit hostibus audacia mittuntque tandem qui ipsi summo Deo ante moenia urbis convicia faciant. Quod cum audisset Ezechias, quod in summo luctu facere solebant, scidit vestimenta jamque in eo erat ut cum populo extremum discrimen adiret manusque daret exercitui victori.

Unus tunc fuit, Propheta quidam, qui admirabili audacia rem restituit. Hanc civitatem, inquit, hostis non ingredietur (2 Reg. 19, 10; 33). Assyria nemus est, in quo propediem cicadae humi canent. Turpe est timere Assyrios. Veniet dies, quo τὸ ὑπόλειμμα, τὸ καταλειφθὲν τοῦ Ἰσραήλ

καὶ οἱ σωθέντες τοῦ Ἰακὼβ οὐκέτι μὴ πεποιθότες ὦσιν ἐπὶ τοὺς ἀδικήσαντας αὐτούς, ἀλλ' ἔσονται πεποιθότες ἐπὶ τὸν θεόν, ut cum LXX loquamur. Itidemque 2 Reg. 19; 31: „Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum et faciet fructum sursum. De Jerusalem quippe egredientur reliquiae et quod salvetur de monte Sion, vel, quod LXX habent, ἐξ Ἱερουσαλὴμ ἐξελεύσεται κατάλειμμα καὶ ἀνασωζόμενος ἐξ ὄρους Σιών.

Jam reducimur ad illa vetera Rom. 9, 6—16; 27—29, qui locus inde duxit colorem. Post septingentos annos Judaeis periculum imminet ab Occidente, ab Romanis: quam avide tunc eos excepisse credemus veteris prophetae vaticinium: τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται, post septem saecula iteratum et septem saeculis confirmatum.

Jam dele vss. 1—5 illud ἀπὸ τοῦ χριστοῦ quod explicare non potuimus sitque nobis ἀνάθεμα idem quod ἀντάλλαγμα (Jes. Sirach. 44, 17 et 4 Maccab. 17, 22 secundum analogiam Exod. 32, 32), vel *piaculum*, quo sensu Eleazar piaculum fuerat septemque illi fratres Seleucidae ἐπιμανοῦς tempore, et duo fragmenta 1—5 et 6—16; 27—29 coibunt in unum simulque nullo negotio poterunt explicari.

Scripta haec fuere postquam in urbe saevitum fuerat immani crudelitate cuius *exemplum* habemus apud Josephum Archaeol. 17, 10 = Bell. Jud. 2, 4.

Quo tempore Archelaus Romam profectus erat, rebellionem, quae eruperat, Varus ferro et igni repressit. Multi Hierosolymitani multiplices caedes perosi et rebellionem, cuius jam nullus exitus erat futurus, relinquunt urbem. Alii hoc agunt ut Varo persuadeant defectione se non fuisse implicitos. Nempe corpusculo consulunt! Sed est tamen Essaeorum generosior indoles, quorum mores praeterea ab omni armorum tractatione alieni erant. In proposito perstare nec solida mente concuti: haec illorum hominum arma sunt: καταφρονηταὶ δὲ τῶν δεινῶν .... τὸν δὲ θάνατον, εἰ μετ' εὐκλείας προσίοι, νομίζοντες ἀθανασίας ἀμείνω. διήλεγξε δ' αὐτῶν ἐν ἅπασι τὰς ψυχὰς ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος, ἐν ᾧ τρεβλούμενοι καὶ λυγιζόμενοι, καιόμενοί τε καὶ κλώμενοι καὶ διὰ

πάντων ὀδεύοντες τῶν βασανιςηρίων ὀργάνων, ἵνα ἢ βλασφημήσωσι τὸν νομοθέτην ἢ φάγωσί τι τῶν ἀσυνήθων, οὐδέτερόν τι ὑπέμειναν παθεῖν, ἀλλ' οὐδὲ κολακεῦσαί ποτε τοὺς αἰκιζομένους ἢ δακρῦσαι.

Hos inter vel inter tales homines certe quaerimus eum qui scripsit Rom. 9, 1—16; 27—29. Postquam homines frustra nec vitae pepercerant nec sacro thesauro, ut libertatem recuperarent, Ἰουδαίους, Josephus ait, ἐλύπει μὲν τὸ πάθος τῶν φίλων οἳ ἐν τῇδε ἔπεσον τῇ μάχῃ, ἐλύπει δὲ καὶ τῶν ἀναθημάτων ἡ ἀφαίρεσις. Vidit urbem sanguine redundantem qui scripsit Rom. 9, 2: λύπη μοι ἔςι μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου eoque maior dolor est quod sentit frustra fore omnem rebellantium furorem. Videt ut populus pessum eat, nec magis quam veteres prophetae, bonum eventum auguratur, quem ne cupit quidem videre, nam longe supra liberam civitatem altius quoddam est quod Israel tutari debet. Est patrum religio ex qua omnia pendent. Hanc ut defendat, omni tempore paratus est extremum discrimen adire: ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγὼ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, nimirum pro illis Israelitis, quos diligit, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα cet. Veteris prophetae instar, videt populum suum prostratum viribus fractis, sed fides nequaquam sollicitatur, nam cladibus quamvis magnis non interitus portenditur, sed quemadmodum aurum igne purificatur, Israel emerget aliquando fortior et pulchrior, etiamsi numerus imminutus fuerit. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι (res non ita comparata est, secundum Fritzschium) ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος. Haud certe umquam Deus pollicitus fuerat, *singulos* Abrahae posteros perventuros esse ad id quod summum esset. Sunt τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ. Haec *electio* est cuius habenda ratio: hi sunt Israelitae *electi*. Dei consilium electione censetur. Deterior meliori ancillatur et subservit. Alter accipitur, dum rejicitur alter. Non numero Judaeorum confidere debemus, nam non nisi τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται. Ita nobiscum actum est ante septem saecula; ita agitur et agetur perpetuo [1]).

---

1) Ad hanc lucem nunc licebit videre an textum in integrum restituere possi-

Sunt apud Josephum narrationes, quas conferre possumus, ut nobis repraesentemus quo animo scriptor fuerit, quum hanc pericopen edolaret. Zelotae, inquit, (B. I. 4, 3, 10) sese denuo impudenter jactarant et plebis ignavia iis addiderat animos. Jesus Gamalae filius et Ananus filius pontificis maximi populum jam increpuerant, sed indignabunda multitudo patienter fert quod corrigi posse desperat. Surgit tandem pontifex καὶ πολλάκις εἰς τὸν ναὸν ἀπιδών, ἐμπλήσας τε τοὺς ὀφθαλμοὺς δακρύων, ἢ καλόν γε, εἶπεν, ἦν ἐμοὶ τεθνάναι, πρὶν ἐπιδεῖν τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ τοσούτοις ἄγεσι καταγέμοντα. Deinde longa oratione populum ad arma vocat: οὐδὲ φωνήν τις ἀφῆκεν, οὐχ ὅπως ἐκίνησε τὴν δεξιάν. Φέρετε δὴ τοίνυν, φέρετε πατούμενα βλέποντες τὰ ἅγια; καὶ πάντας ὑποθέντες αὐτοῖς τοῖς ἀνοσίοις τοὺς τῶν τολμημάτων βαθμοὺς μὴ βαρύνεσθε τὴν ὑπεροχήν; Deinde: εἶτα τοὺς τῆς οἰκουμένης δεσπότας μὴ φέροντες τῶν ὁμοφύλων τυράννων ἀνεξόμεθα; Post pauca: τὸ δὲ τοῖς οἰκείοις εἴκειν πονηροῖς ἀγεννῶν ἐςὶ καὶ (τὸν κοινὸν βίον) προαιρουμένων. Vincit sacerdos: τὸ δὲ πλῆθος (§ 11) ἄγειν αὐτοὺς ἐβοά καθ' ὧν παρεκάλει καὶ προκινδυνεύειν ἕκαςος ἦν ἑτοιμότατος, et incipit pugna, qua Ananus mox occumbet. Hic scriptor non minus alienus ab Zelotarum

---

mus. Ἀπὸ τοῦ χριςοῦ vs. 2 deleatur. Non potuit haec interpolatio necessaria videri, quamdiu Hierosolyma stabant. Ex vs. 1, qui redolet 2 Cor. 11, 31; Gal. 1, 20 et imprimis 1 Tim. 2, 7, quum nimia atque incredibilis exaggeratio esse videatur, (sicuti revera est, nisi quis ad tempus attendat, quo haec scripta fuerunt), nihil remaneat praeter: ἀλήθειαν λέγω. — Vs. 4 dele: οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται, nec scriptori necesse fuit dicere quos συγγενεῖς appellaret. Vs. 5 non tangimus: nihil impedit quominus credamus scriptorem Christum coluisse, sed κατὰ σάρκα non vacat suspicione. Doxologia, quae primo obtutu tam mira videbatur, nunc admodum commoda fit. Quam multa acciderant olim, quae poterant confirmare τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεσθαι. Post illos pulchros versus 1—5, non debemus offendi rabbinistica interpretatione vss. 6 sqq. Statim ab initio laudati loci ex ipsius scriptoris mente id significare potuerunt, quod hic perhibetur. Jam mature prophetae potuerunt proponere sententiam, quae formam mutavit sed post tot saecula hodie tamquam recens excogitata in honore est. Est enim *electio selectio* facta crepantque omnes *natural selection*, *struggle for life*, *survival of the fittest*. Proprio sensu tunc temporis ἐκλογὴ nominabatur, cf. Joseph. B. I. 2, 8, 14: φασὶ δὲ (nempe Sadducaei) ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τό τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι. Vs. 16 fortasse certa quaedam persona intelligenda fuit, cuius malesana diligentia nihil boni portendebat.

fanatismo quam ab bello civili ad quod alii provocabant, facili opera scribere potuit: Non pugnandi ardor nos servabit, sed in Dei misericordia omnia insunt.

Similia dicenda sunt de altero fragmento, vss. 17—23. Pharaonis nomine tecte indicatur Romanus, adversus quem Israel instigatur. Novus Pharao ab Deo suscitatus est, ut, quum ipsum imperium mundi brevi concideret, Suam potentiam ostenderet (vs. 17). Ut augustum nomen per totam terram omnibus innotesceret, ut divina ira miraculo esset omnibus, Deus pro sua infinita misericordia tulit σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν vs. 22. Neque illud a proposito alienum, nam divitias gloriae suae ostendet εἰς σκεύη ἐλέους (vs. 23), erga Israelitarum populum, qui mala illa patienter ferre debet. Hunc novum Pharaonem Deus indurabit atque sic prohibebit, quominus effugiat futurum judicium.

Quod aliunde assutum est, in utroque fragmento ejusdem generis est. Quaeritur in priore vs. 14: μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ; Nihil huc pertinet philosophica objectio, quae recte tractabitur in disputatione de divina providentia, sed aliena est a fidelium adhortatione. Dei ἐκλογή hic non dogma, sed Israelis consolatio est et proprio sensu non multum differt quod legebamus: τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται. Quorsum illud solemne τί ἐροῦμεν, quod in hac Epistula septies iteratur? Τί ἐροῦμεν; Nempe Deum laudabimus, quod Israel magnis exspectationibus non excidet, si quidem τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται. Τί ἐροῦμεν; Scilicet nihil praeter hoc: θεὸς εὐλογητός, vs. 5.

Itidem vss. 19ª; 20; 21 quod disputatur, non suo loco disputatur. Israelis adversarium suscitavit Deus ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους. Sed nimis stulta quaestio est: τί οὖν ἔτι μέμφεται; eaque stulta quaestio haud nimis apte solvitur, nam si displicet quod Deus aliquem constituit, ut vas irae esset, hoc ipsum displicet, quod Deus homines tractat, quemadmodum vasa figulus.

Vss. 14; 19ª; 20; 21; 24—26; 30—32 supersunt ex tertio fragmento, in quo praedestinatio tractabatur (nam de

vs. 18 supra vidimus). Etiam in hoc fragmento nusquam odoramur Christianam originem, sed quae argumenta afferuntur, omnia ex vetere Testamento sunt petita. Jam Josephus B. J. 2, 8, 14 nos docet, Pharisaeos inter dogmata sua praedestinationi primum locum dedisse.

Nihil mirum est, quod redactor tertium fragmentum addidit. Tempore elapso, in quod duo reliqua fragmenta scripta erant, postquam redactor vss. 1—5 ita immutarat, ut referri posse viderentur ad Israelis aeternam reprobationem, nullus jam erat fragmentorum usus, nisi ut demonstraretur Christiana doctrina de praedestinatione. Itaque tertio fragmento reliquis duobus inserto, de se nihil addidit praeter vs. 18. quo breviter idem dici autumabat quod jam dictum fuerat vs. 15 et 17. Hoc maxime modo factus est redactor princeps auctor dogmatis illius de aeterna electione et aeterna reprobatione, quod tot insomnias peperit et tot malesana interpretandi artificia [1]), Satis habebat vss. 6—16; 27—29 jam ante mollire horribilis dogmatis duritiem et in Christiana Ecclesia veras agnovit „Israelis reliquias".

§ 10.

Tractatur caput X.

Judaicum fragmentum cui Christianus color postea superadditus fuit, in hoc capite invenitur vss. 1—8; 11—13. Traditur id quod in omni religione summum est (vs. 8—11 [2]): pietas, quam nihil interest sitne Judaeus qui colat an Graecus, intus corde fovetur et ejus est qui Deo confidit. Verbum Dei est, in nostro pectore exaratum.

Hic distincte disputatur adversus eos qui christianismum ex historia repetunt, cui innixum esse censent et impug-

---

1) Male habitus est textus hujus tertii fragmenti. Conclamatus est vs. 24. Post εἰ δέ (vs. 22) necessario aliud quid sequi debebat vs. 24. Obscurum est quomodo scriptor in cogitationem inciderit quae inest Oseae verbis 2, 25. Ante vs. 25 lacunam statuimus. Vs. 28 turbatus est. Extrema verba vs. 33 desumta sunt ex 10, 11, neque poterit quis umquam πιστεύειν ἐπὶ λίθῳ προσκόμματος.

2) Vide quae diximus ad Rom. 9, 33b ipsumque locum, Jes. 28, 16.

natur fides Christi, quomodo κατὰ σάρκα apparuit. Noli dicere: quis escendet in coelum, ut Christum in terram deducat; quis descendet ad inferos, ut Christum ab Orco revocet? Verbum Dei neque inferne nec superne anquirendum est. Imo prope est: in ore tuo et in corde tuo est: hoc est nostrae doctrinae summarium.

Hoc agebat scriptor ut infringeret fidem narrationum de nativitate et de resurrectione itaque vim intulit loco, quem excitavit ex Deuteron. 30, 11—14; nam ibi non opponuntur inter se *sursum* et *deorsum*, sed *sublime* et πέραν τῆς θαλάσσης. Sed tale documentum, quo supervacanea reddebatur omnis historiae fides tanquam ad salutem necessaria uti et sacerdotum vel apostolorum interventiones, redactor usurpare non potuit, nisi plane aliorsum inverteret. Itaque adhaesit verbis ὃ κηρύσσομεν (vs. 8); cf. vs. 9 et 10, ubi satis putide distinguitur inter cordis fidem et confessionem oris, nam si distinguendum est, paulo melius certe fidem ὅτι κύριος Ἰησοῦς (quae dignitatis est aestimatio) cordi dabis, contra autem ori confessionem ὅτι θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν (quod monumentorum fide nititur). Vs. 10 jam est confessio salutis conditio. Sed post eximium versum 13 devolvimur ad vs. 14 et pueriles quaestiones ut deducamur ad illud: πῶς δὲ ἀκούσωσιν ἄνευ κηρύσσοντος et ad id quod primarium scriptori videtur: πῶς δὲ κηρύξωσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν, nam ipse inter sacerdotes receptus, ferre non potest, si quis forte doceat quum non legitime ad ministerium constitutus sit.

Hoc agebatur: jam nunc scriptae sunt Ignatii Epistulae et Christiana religio in artem redacta est. Abhinc historice et dogmatice quaeretur, quomodo Christum κατάγωμεν vel ἀνάγωμεν. Fides qua opus erit ut salvi simus, adeo non est ἐγγὺς ἡμῶν, adeo non ἐν καρδίᾳ, ut concludatur potius: ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, vs. 17. Est verbum prope vos, est in corde vestro, o Saxones; sed nisi Theodorus ex Asia Minore ad vos venerit, qui id verbum quale sit, doceat, de vobis actum est. Quin illud arripitis, miseri Sinenses, sed quoniam Xaverius Hispanus obiit antequam ad vestras regiones appelleret, vos Deus reprobabit. Felices sunt Deo

confidentes, o qui ubique terrarum ad desperationem usque adigimini, sed trans ultimas terras mariaque ultima currendum est, ut cognoscatis, quis tandem ille Deus sit.

Vss. 16 et 18 videmus ministerii fines tam late jam propagatos fuisse, ut necessario ad paulo seriora tempora referamur, nec miramur pericopen ita retractatam fuisse, ut sacerdotalis ordo jam hierarchice constitutus videatur. Redactoris consilium imprimis cognoscitur verbis: ἐὰν μὴ ἀποϛαλῶσιν (vs. 15). Jam impugnantur illi qui postea Montanistae futuri sunt.

Vss. 19—21, uti aequum est, referimur ad fragmentum, unde desumti vss. 9, 30—33ᵃ. Post 10, 1 collocandum 11, 1ᵇ: (καὶ γὰρ — Βενιαμίν).

§ 11.

Tractatur caput XI.

Post vs. 1ᵃ, quem Redactor addidit, ut hoc caput cum superiore conjungeret, habemus duo fragmenta: vss. 2—10 et vs. 11—36.

Primum fragmentum, sicuti cap. 9, 6—16; 24—29, est περὶ τοῦ ὑπολείμματος et concluditur ὅτι οὐκ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, alterum, 11—36, multo longius progreditur et πᾶς Ἰσραὴλ dicitur σωθήσεσθαι.

Post ea quae de nono capite diximus, supervacaneum est dicere de 11, 2—10. Convenientia duarum pericoparum haud leve documentum sententiae quam instituimus probare. Vs. 11, 10 pervenitur eodem quo jam perventum fuerat 9, 29; quod sane incredibile foret, si ab uno scriptore omnia uno tenore perscripta essent.

In altero fragmento 11, 11—36, deseritur doctrina περὶ τοῦ ὑπελείμματος et Gentiles docentur, (cf. vs. 13) ὅτι πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται.

Qui haec scripsit gloriatur quod ad Gentiles missus est, ut Israel in invidiam veniret. Hic igitur laborum finis est Israelis salus. Lapsus est Israel, sed minime de statu dejectus est; quin et adeo non dejectus est ut Gentiles salvi

esse nequeant, nisi vetustae stirpi inserantur (vss. 17 sqq.). At sunt qui rogitent an non insiticii rami sint, ubi genuini olim fuerint. — Sunt certe, sed etiam insiticii rami possunt exsecari et si Israel poenas dedit, non minores poenas Gentiles dabunt, sicubi a fide desciverint. Non parcet iis Deus (vs. 21), nam justus est. Non perstas in fide? Exsecaberis. Perstas autem? Deus aderit. Qui redeunt ad veritatem, iterum inserentur, illi ante omnes, qui κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ (vs. 24).

Poterit igitur Israel restitui, sed his praemissis, jam vates futura canet scribetque quod hucusque omnes latuerat. Mysterium est infinitae caritatis: πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ. Ad tempus Israel posthabitus fuit, ut sol aliquando Gentiles collustraret. Sed postquam intravit τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, Israel omnis salvus fiet: ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, ἀποστρέψω ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. Hodie sane Israel hostium more tractatur (vs. 28): cur id miramini, o Gentiles? Fit δι' ὑμᾶς, nam manent Israelitae Dei dilectissimi filii. Nimirum ὑπόλειμμα huic scriptori non satisfacit. Secundum eum ἐκλογή non est electio, qua distinguitur inter Israelitas et Israelitas, sed inter Israelitas et universum humanum genus. Non est *in* populo Israelitico legio, quae salva erit, nam est ipse Israel illa humani generis sacratissima legio. Secundum Dei electionem Israelis filii sunt ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας. Quod patribus datum fuit, non datum fuit ad tempus, sed in aeternum. Non Deum gratiae umquam poenitebit.

Sunt, sunt tenebris obsita divina consilia! Neutiquam intelligimus, cur Israel ad tempus rejectus sit, cur Gentilium causa posthabitus fuerit. Imo periculum et salus, peccatum et misericordia, omne refertur ad divinum consilium: συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ, ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ (vss. 30—35.)

Excellens ea pagina est ex praestantibus libris depromta, unde Paulus Episcopus laudabili consilio tam multa delibavit, nam nihil jam est cur litigemus cum iis, qui ipsum Paulum Episcopum tam alta appetere credant.

Reliquos scriptores qui egerunt de ratione inter Israelem et Gentiles hic scriptor simul et superat ab iisque superatur. Philosophiam si quaeris superatur, sed contra est si spectas humanitatem. Non eo se effert, ut omne discrimen neget esse inter Israelem et Gojim. Semper recordatur se quoque Israelitam esse: haec ei vera stirps est et Israel erit in aeternum Dei dilectissima natio. Neque tamen ea persuasio oculorum aciem obtundit: etenim omnes inseremur et propterea ad tempus Israelis ἥττημα fuit. Quodsi permansisset arctum foedus inter Israelem et Deum, Gojim numquam fuissent recepti, nam integer fuisset liberorum numerus. Sed laxata vincula fuerunt suntque nonnulla loca vacua relicta. Quin utimur occasione ad Gojim recepiendos. Properate intrare, qui olim reprobati estis vestrumque πλήρωμα quantocius se nobis adjungat, nam postquam intravit, tristis episodii finis est et filii familias redeunt ad sua occupanda. Erit pristina familia, sed aliquantum laxata: vetera sunt tabernacula Sem, in quibus abhinc etiam Japheth habitabit (Gen. 9, 27.)

Quam multa hic scriptor corde complectitur et quam est eodem tempore obtusa acies! Hoc agit ut omnes προσήλυτοι fiamus simulque repperit egregium illud: ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ θεός.

Honorifico titulo ἀπόστολος ἐθνῶν (vs. 13) dicitur. Num hoc titulo vel locutione κατὰ τὸ εὐαγγέλιον (vs. 28) Christianus arguitur fuisse? Minime certe eo sensu, quo Paulus Episcopus Christianus erat. Obstupuissent ex Gentilibus Ecclesiae, si dixisset: Christum vobis ante oculos pono, εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα. Sed Christiani nomen multo latiore significatione usurpandum est et persentiscere debemus, fuisse apud Judaeos qui tincti essent ea doctrina, quae postea propria facta est Christianorum. Hoc certe constat, nihil inesse in hoc fragmento Christianis unice proprium. Radix Israel, non Christus est vs. 16. Non celebratur Dei χάρις ἐν χριστῷ (vss. 21; 22), sed divina χρηστότης. Non novam fidem Israel amplectetur neque inseretur verae viti (cf. Joh. 15, 23), sed ὁ θεὸς πάλιν ἐγκεντριεῖ αὐτούς. Notandum autem

illud πάλιν, nam non contendit scriptor unumquemque φύσει Deo placere posse vel φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν (Rom. 2, 14); sunt enim Judaei soli οἱ κατὰ φύσιν 11, 24, sed Gentiles ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπησαν ἀγριελαίου (ibid.). Omnis Israel salvus erit, non quod effusus est omnibus Mediatoris sanguis, sed secundum τὴν παρὰ θεοῦ διαθήκην (vs. 27). Non perhibet promissa Dei in Christo demum fore ναὶ καὶ ἀμήν (cf. 2 Cor. 1, 20), sed Rom. 11, 28; 29 Judaei diliguntur διὰ τοὺς πατέρας et quandoquidem τὰ χαρίσματα τοῦ θεοῦ sunt ἀμεταμέλητα. Judaeorum ἀπείθεια eodem loco est quo Gentilium (vss. 30—32) nec legimus, sicuti 1 Cor. 2, 8, Judaeos Dominum gloriae cruci affixisse. Apud Christianum scriptorem post ὦ βάθος vs. 33 exspectamus χάριτος et in doxologia commemorari debuerat quid Jesus contulisset ad solvendum divinorum consiliorum arcanum.

Periculum est in omni argumento e silentio petito, sed est tamen silentium disertum licetque tuto affirmare, eum qui scripsit Rom. 11, 11—36, virum fuisse cui nihil esset divina misericordia certius, unde totus hic rerum ordo penderet, sed eundem planissime Judaeum fuisse. Ubi ejusmodi argumentum tractatur, exspectaverit quispiam non quaeri debere sitne scriptor Christianus necne, sed in apocatastasis hymno ab Christiano scriptore flagitamus ut tibiam inflet et canat: θεὸς ἦν ἐν χριςῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς (2 Cor. 5, 19).

§ 12.

Tractatur caput XII.

Hic, ut verum fateamur, omnia obscura, quod in capite paraenetico minime exspectaveris.

Vss. 1; 2 non intelligimus quo sensu διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ jungatur cum verbo παρακαλεῖν. Παραςῆσαι caret dativo casu, nam τῷ θεῷ referendum ad εὐάρεςον. Etiam propter sequens θυσίαν cogitare cogimur de ara, sed quo

sensu nunc corpus θυσία est? Nonne omnis θυσία ζῶσα? Cur haec λατρεία potissimum λογικὴ dicitur (nam parum lucis conferet 1 Petr. 2, 2)? — Jam novimus scilicet quae λατρεία Deo placeat vel certe λογική sit, et tamen investigare debemus, cuiusmodi tandem sit τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ εὐάρεςον. Quid denique significat μεταμορφοῦσθαι εἰς τὸ δοκιμάζειν?

Vs. 3 verbis λέγω γὰρ ratio dari debuerat vss. 1, 2 sed non ita fit. Neque intelligimus gradus τοῦ σωφρονεῖν, quod mire circumscribitur pro fidei mensura. Παντὶ cum ἑκάςῳ junctum nimium stultum est.

Vs. 4. Ecce iterum conjunctio γάρ. Debemusne esse sobrii, *quoniam* multitudo unum corpus efficit (cf. 1 Petr. 4, 7)?

Vs. 5. Neque hic sumus μέλη τοῦ χριςοῦ, sed ἀλλήλων.

Vs. 6; 7 δοθεῖσαν· perfectum exspectatur. Προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίςεως et διακονίαν ἐν τῇ διακονίᾳ verba sunt, quibus sensus nullus subest.

Vss. 8—13. His nominativis verbum non additur et uterque numerus promiscue usurpatur.

Vs. 14 sunt qui persequantur, sed inde ab vs. 4 versabamur in tranquilla Ecclesia eoque reditur vs. 15. Nec quidquam refert, etiamsi cum libris FG 14ª omiseris, nam non poteris non supplere cogitando τοὺς διώκοντας vel simile quid.

Vs. 15—19 infinitivus et participia in imperativi locum succedunt.

Vs. 20 sicuti praecedens versus ab conjunctione ἀλλά incipit. Quid scriptor dicere velit, in obscuro est.

Vs. 21 nusquam cum reliquis cohaeret.

Hic nihil diligenter satis tractatur. Lege vs. 1 nihilque doctior evades. Sit castitas quae commendatur: cur nihil de matrimonio? Sed scriptor jam properat ad alia et monemur ne velimus ὑπερφρονεῖν, licet omiserit fines circumscribere; sed quod vetamur παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, id etiam norunt qui nondum aere lavantur, nec multum proficies si cum libris FG ea verba deleveris. Vss. 6 sqq. enumeratio non minus arida quam copiosa est. Inter prophetam et eum qui docet, inter διάκονον, τὸν μεταδιδόντα et τὸν ἐλεοῦντα non arbitramur discrimen insane magnum fuisse. Quam

languet post τὴν προιςάμενον ἐν σπουδῇ (vs. 8) illud τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί (vs. 11). Est omnium virtutum perfectissima φιλοξενία (sicuti 1 Cor. Clementis Romani)? Quomodo eam exercebunt οἱ διωκόμενοι? Quam fractum est quod commendari videtur vs. 18 et aliter certe sensit qui scripsit 2 Cor. 6, 14.

Quum talis textus conditio sit, jam nihil nobis non licitum est, sed quid coniiciendo proficere poterimus? Lubet tamen experiri.

Fortasse tenemus excerpta ex variis operibus, quibus diversa ratione tradebatur, quomodo pius Israelita se gerere deberet erga Graecos et Romanos, quibuscum ei vivendum erat. Sic fortasse jubemur vss. 1 et 2ᵃ intentata mala patienter ferre nec repugnare. Praestat victimae instar stare ad aram (et hic fortasse dignus est qui conferatur Strabo p. 484); praestat omni tempore paratum esse ad mortem, multo hoc praestat potius quam cum Graecis congraecari: hoc erat quod nonnulli inculcabant. Aequa mens in rebus arduis servanda: hoc docemur vss. 14; 17ᵃ; 19; 21.

Verum alii hoc improbabant. Nemini cedendum: bonae causae studendum, etiam arma sumenda: hoc incorrupta caritas flagitabat. Mutata sententia etiam ignavos intelligere oportebat, quae tandem Dei voluntas esset: jam e longinquo exaudiebatur tessera, quae multis saeculis post Hierosolyma evertit: *Deus vult* (cf. vss. 2ᵇ; 9; 11).

Rebellionis tempore neque hoc neque illud satis probabat tertius quidam, veteres scepticos imitatus, qui jamdudum in Ecclesiasta legerat, vitandum esse omne quod nimium foret. Μὴ ὑπερφρονεῖν, scil. τοῦ θανάτου, παρ' ὃ δεῖ· nullum norat utilius consilium; et nos nunc causam intelligimus cur postrema verba olim omissa sint. Zelotae ne urgeant. Agat unusquisque pro fidei mensura. Populi σῶμα est, in quo unusquisque suum habet negotium (πρᾶξιν), nec debet de plebe homo adspirare ad famam herois. Sint modo maneantque μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες· spem alant nec preces negligant. Prospiciant sanctis (Hierosolymitanis, vide supra) et fugitivos excipiant. Vivant denique ab omni strepitu

longe remoti. Cf. vss. 3—5[a]; 16[b]; 12; 13; 17[c]; 17[b]; 18; 20. Hoc maxime modo singulis versibus suum locum assignare poteris eaque conjectura quodammodo corroboratur capite 13.

§ 13.

Tractatur caput XIII.

Hic tria fragmenta distinguimus:

a. Vss. 1—7 (de officiis erga magistratus).

b. Vss. 8—10 (de caritate, qua lex absolvitur).

c. Vss. 11—14 (adhortationes sunt ad virtutem, temporibus adaptatae).

Primum fragmentum originem habet minime Christianam. Apparet 1° quod magistratus sine ulla restrictione laudatur; 2° quod non parere jubemur quatenus conscientia siverit. Quin vs 5 satis creditur, conscientiam per se semper adigere ad parendum; 3° ex verbis τὸ ἀγαθὸν ποίει (vs. 3) et εἰς ἀγαθόν, quorum idem color est qui argenti est avaris terris abditi; 4° quia vss. 6; 7 nullo modo respicitur ad ea quae traduntur Matth. 22, 17 sqq. Quod hoc fragmentum statim sequitur post caput 12, id quodammodo confirmat quod de eo capite suspicati sumus. Superest fragmentum ex scepticorum libris, qui neglecto patriae amore vetustae philosophiae dediti, quam Chocmam appellitabant, docebant semper et ubique cedendum esse eosque esse condemnandos, qui impositum jugum renuerent. Nempe referunt exemplum quod ante dederat Ecclesiasta. Hoc fragmentum, quod difficulter conciliatur cum iis quae praecipiuntur Act. Apost. 5, 29, receptum videtur, postquam capite 12 itidem recepta fragmenta fuere repetita ex temporibus ultimi belli adversus Romanos gesti. Haec doctrina qua omnis rebellio tam disertis verbis improbatur, satis demonstrat licere nobis Rom. 12, 18 ita intelligere, ut censeamus fieri ibi sermonem de ratione qua Judaei sese gerere deberent, sicubi Romanorum rebus implicarentur.

Fragmento *b* vs. 8 plane oppositus est vs 7, quae fragmenti *a* particula est: in fragmento *a* multiplices ὀφειλαί

esse statuuntur; vs. 8 legimus nos nemini quidquam debere. Ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι ἢ οὔ; δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν; haud semel certe posita fuit quaestio quae ponitur Marc. 12, 14. Vs. 8 respondetur: μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε. Jesus rem non dirimit et qui scripsit fragmentum *a* otiosam quaestionem arbitratur, nec provocat ad Matth. 22, 17. Etiam in fragmento *b* de religione Christiana altum silentium: πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη· hoc reddit supervacaneum quod scriptum fuerat Rom. 10, 4: τέλος νόμου χριστός. Itaque vanum est disputare de Lege et de Fide, de Judaeis et de Gentilius. Praeclarum illud, quod e manibus elapsum retinere non potuit qui scripsit 1 Cor. 13, hic admirabiliter enunciatur. Minime contemnendum est quod Judaica religio sese attollere potuit ad illas summitates, quales contemplamur Rom. 11, 32 et 13, 10*b*.

Nec magis Christianum est fragmentum *c*, nam *die* de quo hic sermo fit, minime indicatur Christi reditus; quod enim tempus praecedit nox dicitur, quomodo Christianus Evangelii lucis memor non fuisset locutus. Nec magis intelligitur nox, quae Gentiles premit, vide modo ἀποθώμεθα vs. 12. Et scriptor et lectores etiam induere debent τὰ ὅπλα τοῦ φωτός et quoniam personam induere non possumus legiturque vs. 14 ἐνδύσασθε χριστόν, hic quoque χριστός idem est quod φῶς vs. 12 extr. Hinc conjicimus fragmentum esse ortum apud illos Iudaeos, qui χριστόν tanquam ideam colebant nec tamen κατῆγον vel ἀνῆγον (Rom. 10, 7) [1]).

§ 14.

Tractatur caput XIV.

Hoc caput diligentissime examinandum est. Faciemus autem initium ab observationibus quae sequuntur:

Quos alloquitur imperativus προσλαμβάνεσθε (vs. 1), penes

---

1) Vs. 14b corruptus est. Vs. 11a εἰδότες facit ut lacunam latere credamus. Vs. 11 extr. (ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν) intelligi nequit, sicuti etiam vs. 14b. Nusquam fortasse aeque bene demonstrari potest, has Epistulas e fragmentis conflatas esse.

eos necessario jus fuit novos fideles recipiendi, sed quomodo tandem eos recipere potuerunt εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν? — In vs. 5 non amplius de assumtione fit sermo, nam infirmi et fortes uni eidemque Ecclesiae adscripti sunt: assumsit Deus (vs. 3) utrosque.

Sed vs. 4 iidem non sunt ejusdem Ecclesiae et alter debet alterum considerare tamquam ἀλλότριον οἰκέτην· habet unusquisque suum dominum et τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει, deinde illud sequitur quod plane intelligi nequit: „potens κύριος est statuere unumquemque, qui Domino suo stat aut cadit." (vs. 4b). Nempe quid hoc nunc ad rem?

Horum versuum nexu soluto, juvat longius progredi:
Vs. 1a et 1b olim non cohaerebant, nec quisquam assumitur vel non assumitur εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν.
Vs. 1 et 3 sqq. non cohaerent, nam qui duas sectas eodem loco habet non asseclas alterius ἀσθενοῦντας appellabit.
Vs. 2 usque ad 3b nihil pertinent ad 3c. Qui manducat et qui non manducat eodem loco habentur: cur igitur vs. 3a αὐτόν singulari numero?
Vs. 3c non potest pertinere ad 1a. Vs. 1a hoc agitur ut infirmus recipiatur; vs. 3c ipse infirmus debet recipere τὸν ἐσθίοντα. Itaque seorsum spectandi sunt versus 1a; 1b; 2—3b; 3c; 4a; 4b: quo illud effici putamus, si haec forte olim quodammodo cohaeserint, nos hodie nihil tenere praeter excerpta quaedam negligentissime facta.

Vs. 5 ad superiora parum pertinet. Si credis vs. 1 scriptorem loqui de „infirmis" in universum, ut deinceps veniat ad singulas „infirmorum" species, sequitur de „manducando" quaestionem jam esse absolutam ante vs. 5, quod tamen secus est secundum vs. 6. Accedit quod τῷ φρονοῦντι τὴν ἡμέραν deberet respondere ὁ μὴ ἐσθίων, vel certe ante τὸν φρονοῦντα praecedere deberet ὁ μὴ φρονῶν (vide quo nitatur lectio quam sequimur apud Tischendorfium). Maioris etiam momenti est vacillare solutiones quaestionum de „manducando" et de „diebus". Unusquisque suis moribus utitur, nam alius alium auctorem sequitur: hoc legitur vs. 4; unusquisque suis moribus utatur, modo firmiter persuasum habeat,

se officio suo perfungi: sed altera solutio alteram excludit: in altera ad alienam auctoritatem provocatur, in altera ad leges, quas sua cuique conscientia praescripsit.

Quodsi identidem aliae causae afferunter, cur alios patienter ferre debeamus, vix recte vs. 6 de manducatione dici potuit. Deinde attendendum 1° ad vs. 5^b et 6^b, in quibus repugnantia inest, nam vs. 5_b provocatur ad cuiusque intimam persuasionem et vs. 6^b, quantum ad manducationem solam attinet, reditur ad vs. 4, nam hoc sibi volunt verba: εὐχαριςεῖ τῷ θεῷ· 2° ad versus 6 et 7, qui contorte conjunguntur: qui manducat et qui non manducat, uterque Deo gratias agit, *nam* vivimus et morimur Domino.

Hic satis videmus duo fragmenta commixta fuisse. Experiamur num primitiva forma recuperari possit.

1°. reddemus versum 6 (inde ab ὁ μὴ ἐσθίων) versui 4 et collocabimus ante τῷ ἰδίῳ κυρίῳ· sic demum verba ςήκει et πίπτει vs. 4 non carebunt subjecto.

2°. delebimus vs. 6 εὐχαριςεῖ γὰρ et καὶ εὐχαριςτεῖ τῷ θεῷ, primum propter miram permutationem particularum γάρ et καί, nam verbo εὐχαριςεῖν ratio aut redditur aut non redditur; deinde quia nimium languent ea verba; denique quod nunc demum intelligimus lectionem codicum A et B: ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ φρονεῖ, nam quod legitur in deterioribus libris καὶ ὁ μὴ φρονῶν, est, uti vides, correctio quam fecit cui veterum librorum lectio displicebat.

3°. delebimus vs. 7^b (καὶ ἀποθνήσκει). Οὐδεὶς γάρ (vs. 7_a), post vs. 5 hoc modo rectissime stabit: unusquisque in suo sensu abundet, scil. se alios aedificare, *nam* nemo nostrum vivit sibi soli. Adscriptus fuit vs. 7^b, ut alia quae sequuntur vss. 8; 9 cum superioribus quodammodo copularentur.

4°. corrigemus vs. 4. Propositum fuit redactori duas quaestiones confundere in unum et hoc consilio vs. 6 transposuit et interpolavit; deinde ex vs. 5 ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ assumsit adjectivum ἰδίῳ, ut vs. 4 adderet nomini τῷ κυρίῳ. Hinc ortum stultum illud τῷ ἰδίῳ κυρίῳ, quasi unusquisque suum sibi proprium κύριον haberet, (nam nunc quidem κύριος = δεσπότης), sicuti ἴδιον νοῦν habet. Sed postquam interpolatum

fuit ἰδίῳ, redactor vs. 4ª ridiculum objectum verbo addidit: σύ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην;

5°. delebimus vs. 1ª, quae plane aliena verba sunt et post vs. 1ᵇ interpolabimus συνέρχεσθε· nolite convenire ut inter vos quaestiones agitetis. Qui scripserunt duo fragmenta, de quibus mox agemus, nolebant judices sedere in varias opiniones, quae tunc in honore erant; sed quum postea pro locorum diversitate una alterave opinio facta fuisset superior, non amplius licebat ubique cohibere assensum. Si quis cum gentilibus viveret, ei videbatur ἀσθενῶν, qui Mosaicam legem observabat; huic autem ille erat, qui quam Deo acceptus esset, multi haud satis recordabantur. Hinc factum ut retractarentur vs. 1 et 4. De gentilibus ille scripsit vs. 1ª et addidit vs. 2 ὁ ἀσθενῶν, non satis animadvertens hanc esse revera διάκρισιν, in quam incideret; deinde alter ad verba vs. 3ᵇ: ὁ δὲ μὴ ἐσθίων τὸν ἐσθίοντα μὴ κρινέτω adscripsit: ὁ θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο, quod Christiani ex Judaeis nimis saepe sponte obliviscebantur.

Hoc fere modo pristinum textum [1]) recuperare posse videmur: *a.* Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν συνέρχεσθε· ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὃς δὲ λάχανα ἐσθίειν· ὁ ἐσθίων κυρίῳ ἐσθίει καὶ ὁ μὴ ἐσθίων κυρίῳ οὐκ ἐσθίει· τῷ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει· σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου; ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου; πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ θεοῦ· γέγραπται γὰρ Ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ καὶ ἐξομολογήσεται πᾶσα γλῶσσα τῷ θεῷ. ἄρα ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον ἀποδώσει. Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν [2]). *b.* Primum iterantur verba μὴ — συνέρχεσθε vel similia certe; ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν ἰσότιμον εἶναι. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω· οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ· ..... πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν [3]).

---

1) Vs. 3 redactoris est, qui, quum tam longa pericope facta esset, illud μὴ κρίνειν et μὴ ἐξουθενεῖν noluit differre usque ad vs. 10.

2) Diremimus vs. 13b ab vs. 13a atque sic praeterea liberamur inani verborum lusu κρίνωμεν et κρίνατε et evanescet ridicula antithesis: Non ergo amplius invicem judicemus, *sed* hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri.

3) Intelligi nequeunt vs. 22b et 23a. Hinc ante vs. 23b lacunam indicavimus.

Alio modo de hac quaestione pronunciatur in tertio fragmento. Alii aliis aliquid condonare debent: ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι τῷ ἀδελφῷ σκάνδαλον (et attende ad ἀδελφῷ, non enim legitur ἀλλήλοις). Sic praecipitur vs. 13b; deinde vs. 15: εἰ γὰρ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται κτέ. Novum hoc est quod debemus περιπατεῖν κατ' ἀγάπην (vs. 15). Si qui frater dolenter fert licentiam τῶν ἀποςάντων τῆς πατρίου συνηθείας καὶ τὸν κοινὸν βίον προῃρημένων (ut loquamur cum Josepho Antiqq. 13, 1, 1), non debes respondere: ἕκαςος τῷ κυρίῳ ςήκει ἢ πίπτει, nec magis: μηκέτι ἀλλήλους κρίνωμεν, sed ei concedere debes. Quid enim si ille tua licentia se ipsum iret perditum, ille, nam provocat scriptor ad tenerum animi affectum, ille ὑπὲρ οὗ Χριςὸς ἀπέθανεν? Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium. Continere debemus Ecclesiam, nec καταλύειν τὸ ἔργον θεοῦ· hoc opus est (vs. 20), etiamsi fortasse aliquid detractetur de tua libertate, quam sane habes, πάντα γὰρ καθαρά, sed turpe est eam usurpare διὰ προσκόμματος, per offendiculum. Quin et excidit ei consilium vs. 22: fidem penes temet ipsum habe; καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν μηδὲ πιεῖν μηδὲν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει (ita enim legimus vs. 21) κτέ.

Hoc tertium fragmentum (vss. 13b; 15; 17—22a) [1]) revocat nobis in memoriam Paulum Episcopum. Illud οὐ γάρ ἐςιν ἡ βασιλεία θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, quo pie declinat ab quaestione, quae sane non dirimitur mutuis concessionibus, ejus indolem abunde prodit. Verum quid esset factum de Christiana religione, quid de religione in universum, si fortes viri et ad audendum parati semper ad latera habuissent Paulum Episcopum molliter obtestantem: εἰ γὰρ ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, si quid tu novare volueris!

Quarta ratio est versus 14, qui primum per se spectandus est, quod conjunctionis defectu arguitur. Deinde vs. 15 refertur ad vs. 13, sed minime ad vs. 14. Scriptor sine ulla dissimulatione loquitur neque usquam alibi rem a prima

---

1) Vs. 22b intelligi nequit, vide supra; nec magis vs. 16.

origine repetit. Quod vs. 20 dicitur, πάντα μὲν καθαρά, id conceditur quidem, sed reapse restringitur verbis: ἀλλὰ κακόν κτέ.; estque ibi tantummodo de esca sermo, sed longius extenditur vs. 14. Hinc quaestio peculiari modo proponitur et solvitur: quaeritur enim quid sit πάτριος συνήθεια opposita κοινῷ βίῳ Graecorum; deinde respondetur id quod Chocmam sceptice respondere novimus. Nec redit eodem utrum dicamus libertatem nostram circumscribi quod sentiamus nos summo Deo rationes reddere debere, an credamus res esse tales quales nobis videantur. Τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν legitur in sacra scriptura, sed piorum hominum conscientia non agnoscit vocem, cui in corde nihil respondet.

Interpolati versus 8 et 9 haud parum conferunt ad historiam doctrinae de Christo. Qui κύριος est apud Iesaiam 45, 23 et κύριος Ἰησοῦς collati in unum primaria causa exstitere, cur postea Nicaeam itum sit. Confer modo Rom. 14, 11 cum Philipp. 2, 10, ubi eadem Iesaiae verba laudantur, sed ad Philippenses legimus: ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ, hic autem nemo legere poterit vs. 9 et deinde vs. 11, quin Christum agnoscat esse divinum mundi judicem (cf. 2 Cor. 5, 10). Quod autem Deus et Christus eodem loco habentur, hic non quidem totidem verbis traditur, sed tamen innuitur.

Peculiari ratione explicatur Jesu mors vs. 9, imprimis si reputes, quod saepe diximus, quam parum distincte in Novo Testamento exponatur, *cur* Jesus ad mortem usque cruciatus sit. Vs. 9 facit ut magis etiam notabile sit, in tota Epistula ad Romanos crucem non memorari.

§ 15.

Tractatur caput XV, 1—21.

Quomodo δυνατοὶ sese erga ἀσθενοῦντας gerere debeant, hic

---

1) Scriptoris enim nihil interest, quod Psalm. 69, 10 pronomine personali σε ipse Deus indicatur (15, 3).

ab Paulo Episcopo exponitur, qui nunc quoque utitur scribendi genere non admodum quidem perspicuo vel terso, sed amabili ac minime superbo, etiamsi fortasse non satis curarit, ut vanitas etiam abesset. Huic manda, si quo putide scripto opus est (cf. imprimis 13—21).

Ἕκαστος ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν· hinc omnia proficiscuntur; exemplum quod imitari debemus Christus est, qui tanquam διάκονος τῆς περιτομῆς nihil non recusavit perpeti; Deus θεὸς est τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως (cf. 2 Cor. 1, 3); regnum Dei pax est (cf. Rom. 14, 17) estque ea pax τὸ αὐτὸ φρονεῖν (vs. 5). Nempe eximium caput undecimum de coelo detruditur in mandram. Componat quis modo Rom. 11, 25—35 cum Rom. 15, 8; 9[a]; 15[b]; 16.

Sed quae excellenti modo dicta sunt, fortasse non ante ad omnes pervenire possunt, quam pectus interpretis partes susceperit et substitutae fuerint locutiones, quae ex intimo animi affectu derivatae sunt. Hoc modo Christiana religio prophetarum dicta formavit atque sic tulit ad omnes. Si humanum genus maiora mente potuisset concipere, satis fuisset praesidii in Jes. 2, 1—5. Christiana religio nunc aliorum fida interpres, postea demum magna ingenia ad scribendum incitatura erat.

§ 16.

Tractatur cap. I, 1—17.

Hi versus meri centones sunt. Imprimis vss. 8—11 habemus locutiones, quae etiam alibi occurrunt; certe tantum non eadem sunt quae leguntur 1 Cor. 1, 4 seqq.; Ephes. 1, 15; 16; 5, 20; Philipp. 1, 3; Coloss. 1, 3; 4; 1 Thess. 1, 2; 3; 8; 2, 13; 3, 6 sqq.; 2 Thess. 1, 3; 4; 2, 13; 2 Tim. 1, 3; Philem. 1, 4. Semper lectorum fides est, quae per omnes terras praedicatur; semper adest apostolus, qui in orationibus sine fine ecclesiae suae mentionem facit et consumitur visendi cupiditate; semper denique indicitur iter, quo diu optata occasio dabitur. Vide

praeterea Rom. 1, 11 sqq.; 15, 23; 1 Cor. 16, 1 sqq.; 2 Cor. 1, 16; Philipp. 1, 8; 2, 21 cf. 26; 1 Thess. 2, 17; 18; 3, 6; imprimis vs. 10; 1 Tim. 3, 14; 2 Tim. 1, 4.

In hisce centonibus nihil ad certa tempora certave loca refertur. Quam nihil haec veram vitam spirent, nusquam apparet luculentius quam Rom. 1, 13 in fine. Nihil mirum scriptorem Romam cogitare, ut impensae operae aliquem fructum habeat. Verum quorsum illud καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν! Et quam fatuum est, debitorem velle videri universo humano generi!

Ceterum omnia parum apte cohaerent. Vs. 1. ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ necessario εὐαγγέλιον idem est quod τὸ εὐαγγελίζεσθαι· est etenim ἀφωρισμένος = κλητὸς ἀπόστολος· quod si autem voluisset dicere: segregatus ad Evangelium *amplexandum*, omnes omnino Christiani ἀφωρισμένοι forent. Rom. 1, 1 convenit cum Galat. 1, 15 sq. Verum si vs. 1 εὐαγγέλιον idem est quod τὸ εὐαγγελίζεσθαι, quomodo pergere potuit: ὃ προεπηγγείλατο· hic enim evangelium doctrina est et ministerii argumentum.

Post περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ vs. 3, quam iners est illud τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ! Si olim ὁρισθέντος respondere debuit praecedenti participio γενομένου κατὰ σάρκα, non potuerunt abesse particulae μέν et δέ.

Junge quatuor priores versus cum primo et habebis bellum illud: Παῦλος .... ἀπόστολος ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον περὶ τοῦ υἱοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ, δι' οὗ ἐλάβομεν ἀποστολήν.

Scatent difficultatibus verba εἰς ὑπακοὴν — αὐτοῦ vs. 5. Quid est Apostolatus ad obediendum? Quid est obedientia fidei in omnibus gentibus? Quomodo obedientia, vel Apostolatus, sine verbi ope jungi potuit cum ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. Supervacaneus est vs. 6, nam lectores statim vs. 7 κλητοὶ ἅγιοι appellantur.

Vs. 11 χάρισμα invenimus, quod apostolus non nisi praesens impertire potest. Utrum opus operatum tam vetustum est an periit pristinus verborum nexus?

Vs. 14 sine commodo transitu post vs. 13 sequitur. Τοῖς ἐν Ῥώμῃ vs. 15 supervacaneum est post ὑμῖν. Deinde spe

excidimus vs. 16. „Scire debetis me admodum vos videre cupere; afferam vobis gratiam; una consolationem utrique quaeremus; volo fructum habere in vobis et in ceteris gentibus; Graecis ac barbaris debitor sum. Etiam Romae evangelizare cupio. Non enim erubesco Evangelium." Quis umquam sana mente sic scripsit? Hoc vero est τὰ ἀσύγκλωστα κλώθειν. Hoc certe incurrit in oculos inter vs. 17 et 18 vinculum desiderari nec quidquam in introductione pertinere ad praeparandum sive vs. 18 sqq., sive quae ceterum tractabuntur.

§ 17.

Tractatur caput XV, 22—23.

Hi versus violenti modo cum 15, 21 conglutinati sunt, quod e conjunctione διὸ apparet. Μηκέτι τόπον ἔχων (vs. 23) non intelligimus; vs. 24 uti et vs. 28 Σπανίας mentio non vacat suspicione. Vss. 22—24ᵃ syntaxis turbata est. In vss. 25—33 pauca sane sunt quae intelligimus. Vs. 27ᵇ id commemoratur, de quo illorum temporum historiam frustra consulas. Cur vs. 30 sq. Ecclesia Romana scriptorem in orationibus adjuvare debet ἵνα ἡ δωροφορία ἡ ἐν Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος τοῖς ἁγίοις γένηται? Nempe beneficium, uti arbitramur, nolebant obtrudere. Denique ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, decentne ea verba eum qui sponte in Palaestinam profecturus erat?

§ 18.

Tractatur caput XVI.

Hoc caput continet salutationes, commendationes, breves observationes, quibus novae dubitationes eliciuntur.

Quo sensu Phoebe scriptoris προστάτις (vel παραστάτις) fuit (vs. 2) et quando Aquila et Prisca cervices suas supposuerunt pro ejus salute?

Novum quasi in orbem delabimur vs. 7. Andronicus et Junias cognati et concaptivi Pauli, ante eum Christi fidem

professi et nobiles in Apostolis! Nec magis antea quidquam nobis innotuerat de cognatis eius (vss. 11; 21).

Verum in Introductione et in Epilogo [1]) duo versus sunt, qui dignissimi sunt ad quos animum attendamus. Evangelium, quod in hac Epistula commendatur, — Evangelium, uti diximus, de Dei filio in quo nondum locus est cruci, jam promissum fuerat per Prophetas (1, 1—3) et mysterium (vel, vide vs. 25, κήρυγμα) Christi scriptoris aetate patefactum est non apostolicis libris, sed διὰ γραφῶν προφητικῶν (16, 26).

Hi duo loci vix pluris aestimari possunt, quam oportet. Componat quis Eusebii locum e Praep. Evang. 1, 5:

Ἀνίωμεν ἐπὶ τὴν πρώτην κατηγορίαν, καὶ τίνες ὄντες καὶ πόθεν ὁρμώμενοι τοῖς διερωτῶσιν ἀποκρινούμεθα. ὅτι μὲν οὖν τὸ γένος Ἕλληνες ὄντες καὶ τὰ Ἑλλήνων φρονοῦντες ἐκ παντοίων τε ἐθνῶν ὡς ἂν νεολέκτου ςρατιᾶς λογάδες συνειλεγμένοι τῆς πατρίου δεισιδαιμονίας ἀποςάται καθεςήκαμεν, οὐδ' ἂν αὐτοί ποτε ἀρνηθείημεν· ἀλλὰ καὶ ὅτι ταῖς Ἰουδαϊκαῖς βίβλοις προσανέχοντες κἀκ τῶν παρ' αὐτοῖς προφητειῶν τὰ πλεῖςα τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου συνάγοντες οὐκέθ' ὁμοίως ζῆν τοῖς ἐκ περιτομῆς προσφιλὲς ἡγούμεθα, καὶ τοῦτ' ἂν αὐτόθεν ὁμολογήσαιμεν....

.... πῶς δ'ἂν τὸ εὔλογον τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν γραμμάτων καταδιώξεως φανείη μὴ οὐχὶ καὶ τῆς τούτων ἀρετῆς ἀποδειχθείσης; τίνι τε λογῳ τὰς παρ' αὐτοῖς γραφὰς ἀσπαζόμενοι τὸν ὅμοιον τοῦ βίου τρόπον ἀποκλίνομεν καλῶς ἂν ἔχοι διελθεῖν, καὶ ἐπὶ πᾶσι τίς ὁ καθ' ἡμᾶς τῆς εὐαγγελικῆς ὑποθέσεως λόγος καὶ τίς ἂν κυρίως λεχθείη ὁ χρισιανισμός, οὔθ' Ἑλληνισμὸς ὢν οὔτε Ἰουδαϊσμός, ἀλλά τις καινὴ καὶ ἀληθὴς θεοσοφία, ἐξ αὐτῆς τῆς προσηγορίας τὴν καινοτομίαν ἐπαγομένη.

Non poterunt talia satis recte explicari, nisi nostram suspicionem sequaris, Epistulas ex Judaicis fragmentis conflatas esse.

---

1) Quid manuscripti libri testentur de capitibus 15 et 16 vide apud Reussium, *la Bible, Epître aux Romains, Introduction* p. 17 sqq.

CAPUT SEPTIMUM.

DE PAULI INGENIO IN ACTIS APOSTOLORUM.

Mittimus quaerere quae fides sit libri quo Acta Apostolorum continentur, sed unice nobis propositum est locos colligere, quibus Pauli ingenium depingitur.

Paulus adulescens (7, 58) in litibus quae erant inter Judaeos et Christianos nullarum partium esse noluit; quin et in persecutiones Christianorum operam suam vehementer contulit (9, 1). Sed intimo pectore sentit se in dies magis incitari ut animum applicet ad eos quos persequitur (9, 5). Anceps haeret et nescit quid agat, donec Jesus ipse de coelo descendit, ut ei appareat (9, 3 sqq.). Auspicatur futurum vitae cursum jejunio trium dierum, quos precationibus consumit; sed hoc tempus vixdum praeteriit et baptizatus est (9, 18). Itidem vix pauculos dies Damasci cum Christianis una fuit et prodit in Synagogas, ut Christum Dei filium esse praedicet (9, 20; 22).

Qui persecutus fuerat, hunc mox alii persequuntur itaque confugit Hierosolyma, ubi Barnaba intercedente discipulos adit (9, 23 sqq.) itidemque Judaeos qui quidem Graeca natione erant (9, 28) novam fidem docere coepit.

Hic quoque intentantur persecutiones, quibus non magis quam Damasci resistit et fratribus prosequentibus proficiscitur Caesaream; quin et Tarsum se dimitti jubet (9, 30) eamque urbem non sponte relinquit, sed Barnabae persuasu, qui eum Antiochiam „perduxit" (11, 25).

Hucusque virum cognovimus, primum qui novam per-

suasionem statim aliis persuadere cupit, deinde qui nondum sentit obligationem vitae periculum adeundi ut nova doctrina confirmetur, denique qui magis paret aliis quam ipse strenue praeeundo exemplum praebet. Attentione dignus est vs. 17, 10: Fratres per noctem dimiserunt Paulum Beroeam" et 17, 14: „Paulum dimiserunt fratres ut iret ad mare". Alibi aliter scribitur, veluti 18, 21—23 et 20, 1; 13, sed confer 19, 30.

Postquam unum annum Antiochiae degit (11, 26), „mittitur" Hierosolyma ad collectam pecuniam perferendam (vs. 30). Inde Antiochiam reversus (12, 25 coll. cum 13, 1) „mittitur" ab Ecclesia ad proprium munus, quo non fungitur primum nisi in Synagogis (13, 5); atque hinc Amphipoli et Apolloniae non substitisse videtur, quoniam ibi nullae Synagogae erant (cf. 17, 1 et 2). Manet Paphi, ubi vehementer admodum aggressus est Elymam Judaeum, qui proconsulem cupiebat a fide avertere. Itidem Athenis „incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriae deditam civitatem" (17, 16). Oratio autem, qua Paulus utitur, valde concitata et iracunda est. Miser Judaeus (13, 6) exagitatur tanquam plenus omni dolo et omni fallacia, filius diaboli et inimicus omnis justitiae, et quasi non satis foret praesidii in acribus conviciis, devictus adversarius oculis privatus est; quo facto conturbatus proconsul „credidit admirans super doctrina Domini" (13, 12). Vix minus durum illud est, 23, 3: „Percutiet te Deus, paries dealbate", quo princeps Judaeorum senatus compellatur, quorumque verborum sgnificatio describitur vs. 5: „Principem populi tui non maledices", unde apparet eum revera non abstinuisse a „maledictis". Itidem ad Judaeos, qui Corinthi ei adversabantur, magis referens nonnullorum veterum prophetarum iracundiam quam Jesu mansuetudinem, „Sanguis vester", inquit, „super caput vestrum (18. 6). Καθαρὸς ἐγώ". Nempe quam cito.

Antiochiae in Pisidia primum cognoscimus ejus docendi methodum (13, 16 sqq.). Verba facit ad Judaeos et ad eos, qui Deum metuunt, ad quos verbum salutis missum esse

existumat, h. e. ad Gentiles, qui Synagogam frequentabant (13, 26; 42).

Doctrina maximam partem ex historia repetita est; demonstratio tota historica est (vs. 17—23); adnectuntur communicationes de Jesu morte et resurrectione (vs. 24—31); deinde resurrectio exegetice demonstratur (vss. 33—37). Ac simili modo 17, 3, ubi itidem e Sacra Scriptura Paulus demonstrat Jesum pati et resurgere debuisse. Ad fidelium aedificationem referimus quod asseveratur Jesu adventum jam in Vetere Testamento praedictum fuisse (vs. 32), hunc Jesum annunciavisse peccatorum remissionem (vs. 38), omnes denique qui credant, justificari in hoc ab omnibus, quibus non potuerint in lege Moysis justificari (vs. 39). Totam denique Christianam fidem, in qua perseverandum est, brevi post comprehendit „gratia Dei" (vs. 43) et „Evangelio gratiae Dei" (20, 24), quibus formulis in oratione ad congregratos fideles nondum usus fuerat.

Hanc doctrinam cum accipere nollent Judaei Antiochiae in Pisidia, satis hoc habuit ut, Judaeis relictis, sese „ad Gentiles converteret" (vs. 46) et hoc ut faciat confirmatur loco quodam Veteris Testamenti, ubi praedicitur quidem Gentilium conversio, sed eadem fiet ipsis Judaeis intercedentibus ac minime posthabitis (vs. 47).

Hoc consilio, quod capit iterum 18, 6 nempe immemor se jam olim ita censuisse, non tamen prohibetur quominus Iconii iterum adeat tum Judaeos tum Gentiles. Sed metuens utrorumque minas, denuo fugam capessit (14, 1—6). Lystris divinos honores recusat, quibus populus eum propter miracula quae ostenderat, afficere volebat [1]) (vs. 8—18) et primum dicit de „Regno Dei", cf. praeterea 20, 25. Etiam Jesus ab eo rex dicitur atque sic opponitur Imperatori Romano, si quid credendum est Judaeis Thessalonicensibus 17, 7. Huius autem regni nemo, secundum eum, particeps fit nisi post multas aerumnas.

---

1) Quousque ei rei indulgeret et θαυματουργὸς videri vellet, vide 19, 12 et 28, 1—6 et 8 sqq.

Primo itinere absoluto redit Paulus Antiochiam, „unde erant traditi Gratiae Dei" (14, 26), sed ut lites dirimantur, quae mox eruperunt Antiochiae cum Christianis qui ex Judaeis erant, constituit Ecclesia Antiochena, ut Hierosolyma proficisceretur. Ibi de ea quaestione est synodus habita, sed non apparet Paulum in eo conventu verba fecisse et ne dicitur quidem affuisse. Apostoli, et nihil est cur putemus Paulum de eorum numero fuisse, „mittunt" (15, 22 et cf. 16, 4) Paulum Antiochiam cum epistula, in qua ea res constituitur, sed ita constituitur (15, 29), quemadmodum improbavisset is qui scripsit alterum caput ad Galatas; nempe ab utraque parte aliquid conceditur nec cogentur Gentiles circumcidi, sed aliae Judaeorum consuetudines retinentur. Paulus autem idoneus videbatur, qui Epistulam perferret, nam reliquis omissis hoc solum egerat ut ne Christiani ex Gentilibus cogerentur circumcidi (15, 1; 2). Ceterum eum cum Judaeis sensisse aliisque auctorem fuisse ut cum Judaeis sentirent, effici posse videtur ex criminatione quae delata fuit 16, 20 et luculenter adeo demonstratur 24, 11, ubi dicit ipse „adscendisse se adoraturum in Jerusalem" et sacrificaturum (vs. 17).

Neque admodum verisimile est fovisse eum opiniones diversas quidem ab apostolorum Hierosolymitanorum decreto, sed quas morum quadam facilitate nimis urgere nollet, quum videamus (15, 36 sqq.) eum Barnabam deseruisse atque adeo in eum exacerbatum fuisse, quod invito Paulo hic Johannem Marcum assumere vellet. Meminimus eum Barnabae permulta debere, quem cognovisset fidelissimum amicum itaque haec exacerbatio et haec separatio certe non probant facilem eum ingenio fuisse, nisi credere debeamus, quod speciem habet, Paulum in dogmaticis multo facilius aliis fuisse obsecundatum, quam ubi propria persona in causa esset.

Sequitur altera capitum series, in qua iterum videmus, quam aegre Paulus adduci potuerit ut proprio motu quidquam ageret. Sive rem tribuere debemus ingenio eius [1]),

1) Quamquam laudabilis superbia interdum non deesset; atque sic a magistratuum temeritate provocat ad civitatem Romanam, (16, 35 sqq.; 22, 25 sqq.).

sive fortasse ipsius loci mediocritati, quem in Ecclesia tenebat, sed habet certe mandatores. Verum ubi ingenio indulget, acer est, vehemens, immitis, in docendo parum suavis, gravibus in rebus saepe temere agens, litium fugitans, in dogmaticis autem multo minus ἀπότομος, quam sicubi ipsius res agitur. Quin et dogma adeo non curat, ut per se circumcisionem non improbet (secus atque is qui scripsit Gal. 2, 5); etenim ipse Paulus circumcidit Timotheum, filium Graeci patris sed matris Judaeae, „propter Judaeos" (16, 3). Itidem Cenchreis caput sibi tondet quod votum habet (18, 18) et nullo modo voluit committere ut negligeret festum diem Hierosolymis celebrare (18, 21 coll. 20, 16). Imo, 21, 18 sqq., de industria cupit demonstrare populo se neque ipsum in privata vita ab Moysis lege descivisse, neque instituere Judaeos, qui inter Gentiles viverent, ut a patrio ritu deflecterent. Itaque quod Gentiles non vult circumcidi, magis respexisse videtur rei difficultatem quam dogmatis inviolabilem sanctitatem. Scilicet, uti conjicimus, intelligebat Gentilibus in circumcisione inesse inexsuperabile impedimentum, quo a Christiana religione arcerentur, quamobrem id omni modo tollendum esse arbitrabatur.

Quod Paulus dogmatis haud ita multum fortasse tribuit, id minus mirandum est, cum videamus plerumque eum mysticismo deditum fuisse. Veluti legimus vetitum eum fuisse a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia (16, 6 coll. Gal. 2, 2), fuisse Spiritum Jesu qui non permitteret per Mysiam in Bithyniam proficisci (16, 7) [1]), Spiritum Sanctum praedixisse vincula et tribulationes (20, 23), visionem eum in Macedoniam vocavisse, cui visioni morem gesserit, quum eam a Domino missam esse intelligeret (16, 9 sqq.). Itidem nocturna visio Domini fuit, qua ei

---

1) Apud Paulum Spiritus Sanctus modo persona (subjective, ut aiunt) est, modo objective donum, quod Christianam fidem non necessario comitatur nec fons reputandus est, unde fides derivatur. Apparet hoc 19, 2, ubi nonnullos discipulos interrogat, jamne quo tempore primum credidissent, accepissent Spiritum Sanctum. Nemo hoc rogare potuit, quo tempore Christiana theologia novam quasi formam induit.

persuasum fuit, omnibus frustra renitentibus, ut Corinthi maneret, ubi largam messem exspectaret (18, 9 sq.); sicuti, secundum 22, 17, in templo „in stupore mentis" factus est eique Jesus apparuit, qui jussit Hierosolymis exire, quo facto intellexit longe dissitos Gentiles sibi adeundos esse (cf. 2 Cor. 12, 1). Vide quoque 23, 11; sed imprimis 26, 16, ubi Paulus ministerium suum constitutum esse dicit, ut testimonio suo confirmet quomodo Jesus sibi deinceps apparuerit. Conferatur denique 27, 23, ubi noctu se ab Angelo Dei certiorem factum fuisse contendit, ex naufragio omnes salvos evasuros esse. Quin etiam sicuti mystici plerumque solent, diversum mysticismi genus patienter ferre non potest. Philippis ancilla quaedam, πνεῦμα πύθωνα habens, per aliquot dies Paulum subsecuta est, clamans eum servum esse Dei excelsi et annunciare viam salutis. Hoc ei summo opere taedium creat et indignabundus conversus ad mulierculam, jubet eam tacere; scilicet nolebat quidquam debere peregrinae μανίᾳ (16, 16 sqq.).

Sed utcumque se habuit Pauli mysticismus, non videtur dogmata in artem redegisse; certe eam artem populum non docet. Communia sunt quae inculcat. „Crede in Dominum Jesum": sic carceris custodem compellat (16, 31), qui sine praevia institutione a Paulo baptizatur eadem nocte, qua hoc verbum primum audivit. Hoc quomodo apostolo licuisset facere, nisi fieri posse credidisset, ut humana mens repente divinitus mutaretur et nisi in Christiana religione hoc ei primarium fuisset visum et minime judicasset necessarium certas quasdam doctrinas amplecti veluti de ratione inter Legem et Evangelium [1]).

Nova species docendi methodi a Paulo exhibetur Athenis:

1°. Est in eius eloquentia aliquod consilium et quamquam „incitabatur spiritus eius in ipso", tamen incipit a captatione benevolentiae (cap. 17, 22; 23) [2]).

---

1) Contra accusatur 18, 13, quod „contra legem" persuadet hominibus colere Deum.

2) Itidem apparet consilium sed cum calliditate quadam conjunctum, quum committit Pharisaeos et Sadducaeos 23, 6, nam quod ea occasione dicit, non ab

2⁰ Sumit dicendi occasionem ab rebus quae in vicinia sunt (vs. 22).

3⁰. Persuasissimum habet se scire, quod auditores ignorant (vs. 23).

4⁰. Rerum ordo parum curatur. Vss. 23 et 24 impugnantur qui credunt deum in manufactis templis habitare et victimis indigere. Vs. 26 est de origine et unitate humani generis uti et de terminis habitationis divino consilio constitutis. Vs. 27 et 28 legimus mortales quaesivisse veritatem, quod supervacaneum fuerit, cum divino genere procreati simus, quo magis appareat non signis honorem tribui debere. Vs. 30 ostenditur quid Deus nunc homines facere jubeat, nempe ut poenitentiam agant [1]), quandoquidem Deus tempus constituerit, quo judicabitur orbis a viro, qui resurrectione jus suum asseruit.

Quodsi autem credere debemus 17, 22—31, non nisi breve summarium relictum esse eorum quae Paulus copiosius fuisset persecutus, haec sunt placita quae Paulus Athenis Atticis quasi in conspectu et ante oculos constituit eorum qui audiebant:

Supervacanea sunt templa et signa.

Deus non longe est ab unoquoque nostrum.

Humani generis est una quasi familia.

Christus post resurrectionem judex orbis est constitutus. Haec apte selecta fuisse contendimus et virum merito admiramur, qui in Areopago ita locutus sit. Sicuti autem Athenis deprehendimus quid mens agitaret, sic tenerrima indoles cognoscitur, quo tempore Mileti valedixit presbyteris Ecclesiae Ephesiae (20, 17 sqq.) Omnia sunt ad lamentationem composita et minister antequam proficiscitur dilectos fratres ad lacrimas usque commovet. Commemorat

---

omni parte verum est. Non erat resurrectio in universum, sed resurrectio Jesu et per Jesum ac certe non unice resurrectio erat, qua de re postulabatur. Etiam illud miramur illum a sese impetrare potuisse ut exclamaret: Pharisaeus sum.

1) Et propter hunc locum et propter 20, 21 subit mirari cur Paulus tantum intervallum judicarit fuisse inter Christum et Johannem, quantum fuisse contendit 19, 4.

humilitatem, lacrimas (et has quidem bis adeo vs. 19 et 31); tentationes; ministerii fidem; incertas futuras res et mali praesagam mentem, sed etiam intrepidum animum et Dei confidentiam; denique affirmat nihil esse cur se coram auditoribus incuset. Commendat gregem, quem Spiritus Sanctus tradidit et digitum intendit in pericula, quae portenduntur a falsis doctoribus, quos rapaces lupos appellat. Commendat eos Deo, apud quem certa hereditas parata est, denique „positis genibus suis oravit cum omnibus illis". Fit fletus, collum amplectuntur, osculantur et quoad licet, una remanent.

Tanta fuerat caritas, tanta suavitate condita necessitudo, quae erat inter apostolum et presbyteros. Indissolubile vinculum quum esset, licebat ei multum de se ipso loqui et de malis quae perpessus fuisset. Hanc totam paginam admiramur, nam nihil fuerat in superioribus, cur suspicaremur, Paulum alios tanta caritate imbuere potuisse. Ostendere eum dixeris indolem ab antiquitatis severitate remotam et hisce temporibus accommodatiorem; ipsa etiam animi teneritudo spirat aliquid magnarum rerum negligens et fractum.

Tertia locorum series denuo demonstrat nobis Paulum a dogmatices quaestionibus paulo alieniorem, sed nunc primum cognoscimus eum mysticismo mancipatum fuisse, unde praeclaras nonnullas hausisset sententias, quas opportuno tempore et idoneo loco spargeret. Ea est indoles ut magno alios sui amore imbuere possit. Facile movetur suamque personam suasque res saepius interdum respicit quam velles.

Est tamen ea animi teneritudo ab omni ignavia longe remota; quin etiam intrepido animo obviam it periculis, quae eum Hierosolymis manent. Initio vidimus eum persecutiones haud raro declinare, sed nunc spretis admonitionibus et precibus amicorum, de industria eo properat, ubi rerum suarum conversionem fore exspectat (20, 1—14). Sed licet itinere illo Hierosolymitano ipse conversionem eam evocare videatur, postquam Hierosolyma pervenit, plurimum miramur eum quod in persuasione peculiare esset,

non in luce ponere, sed contra omnem lapidem movere, ut non nisi Judaeus esse videatur, certae cuidam sectae addictus.

Invenit Hierosolymis aliquot Judaeorum millia, qui credunt et aemulatores sunt legis (21, 20). Jam illi frementes audierant Paulum dicere Judaeos qui per Gentes sunt non debere circumcidere filios suos et in universum non eos Moysis lege teneri. Jacobus et omnes presbyteri eum rogant ut multitudinem placare velit et ad eum finem cum quatuor aliis caput radat. Scilicet hoc modo „scient omnes quia quae de te audierunt falsa sunt": itaque credent eum cogere Christianos ex Judaeis ut Moysis legem observent. Paulus eis morem gerit (vs. 26) et postea templum intrat ut ibi offerat oblationem.

Frustra fuit. In ipso templo „qui de Asia erant Judaei" eum deferunt quod et ipse descivisset aliorumque fidem sollicitavisset. Concitatur magnus tumultus, in quo summum vitae descrimen adiisset, nisi servatus fuisset per Romanos milites. Apud tribunum, ut se purget, Judaeum se esse perhibet (vs. 39) itidemque mox apud Judaeos ipsos. Narrat quomodo opiniones mutarit et officium depingit quod „Deus se praeordinarit ut cognosceret voluntatem eius et videret justum et audiret vocem ex ore ejus", eo consilio „ut eorum quae vidisset et audisset testis esset ad omnes homines." De Christo praeterea nihil et de legatione ad Gentiles hoc tantum offendimus vs. 21: „Et Dominus dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te". Nec tamen audimus, quod caput erat, quid illas nationes docere deberet.

Quum postridie se purgat suamque causam defendit apud pontifices totumque concilium, itidem silentium est de Evangelio, quod Pauli consuevimus appellare. „De spe", inquit, „et resurrectione mortuorum ego judicor", quo facto non tantum omittit dicere quod imprimis ad rem pertinebat, sed etiam ambiguis verbis utitur, ut salutem quaerat ex dissensione partium, quae ex ancipiti oratione oritura est. Hic igitur Paulus callidus magis quam fortem animum

ostendens et conferimus 2. Cor. 14. Mox apud Romanum procuratorem denuo poterit ingenue profiteri quid animus revera agitet; sed quid tandem narrat? Nimirum se „adscendisse adorare in Jerusalem" (24, 11); si dictus fuerit „homo pestifer et concitans seditiones omnibus Judaeis in universo orbe et auctor seditionis sectae Nazarenorum" (vs. 5), Judaeos accusationem probare non posse; unde si rem ad vivum resecare velles, efficere posses, ipsum Paulum negare se illi sectae favere. Sed statim confitetur se de illis Nazarenis unum esse, ita tamen ut „secundum eam sectam deserviat Patri et Deo suo, credens omnibus, quae in Lege et Prophetis scripta sunt" (vs. 14). Deinde hic quoque dicit de resurrectione mortuorum (vss. 15 et 21), sed de Jesu resurrectione ne verbum quidem unum facit.

Aliquot diebus post agit apud Felicem et Drusillam „de fide quae est in Christum Jesum" (24, 24 coll. 28, 31). Plura non adduntur et aegre desideramus scriptoris diligentiam.

Apud Festum Paulus antiquum obtinet. Est de numero Judaeorum integerrimorum [1]). „In legem Judaeorum non peccavit (25, 8)." „Judaeis non nocuit" (25, 10). „Nihil est eorum quae illi accusant eum (25, 11)." Mox audientibus Agrippa et Berenice, felicem se praedicat, „quod de omnibus quibus accusatur ab Judaeis, apud Agrippam se hodie defensurus est" (26, 2). Quamquam Agrippa minime Christianus ipse est, tamen idoneus judex videtur, quod novit „omnes consuetudines et quaestiones, quae apud Judaeos sunt" (26, 3). Hoc igitur plane sufficere videtur, ut Pauli Apostoli Christiani causam cognoscere possit. Nempe „in spe quae ad patres repromissionis facta est a Deo, stat judicio subjectus (vs. 6)." Haec autem spes, quod ex octavo versu efficitur, mortuorum resurrectio est. Narrat quomodo Christianam persuasionem amplexus sit et significat se „coelesti visione", cui incredulus non potuerit esse (vs. 19),

---

1) Similiter Romae cœpit dicere: Ego nihil faciens adversus morem paternum (28, 17).

missum fuisse ad Gentiles, ut acciperent remissionem peccatorum Christiana fide, quae fides constat iis, quae Prophetae locuti sunt futura esse et Moyses (vs. 22); quibuscum compone locum quem supra ex Eusebio excitavimus.

Hic igitur coram Agrippa omne quod proprio sensu ad Christianam fidem pertinet, multo significantius exponitur et simul videmus Christianam religionem secundum Paulum esse complementum et perfectionem veteris Testamenti; rem considerat eodem modo quo ille qui primum Evangelium scripsit, identidem addens „ut adimpleretur" [1]). Deinde ea religio refertur secundum eum ad unam pluresve res, quae oculis hominum subjectae fuerunt (vide vs. 26). Cf. supra p. 167.

In quarta et postrema serie locorum quos examinavimus, Paulum cognovimus intrepido animo obviam euntem periculo, sed eundem ad dissimulationem usque meticulosum, sicubi in judicio rationes reddendae sunt vitae ante actae. Simul intelligimus, secundum Paulum non vero nomine Christianos Judaeis opponi, sed ea est inter utramque religionem ratio quae est inter germen solo commissum et maturos fructus. Hinc libere profitetur se Judaicam legem observare. Nec contendebat, se *non* esse Iudaeum *sed* Christianum: imo potius fidelis Israelita erat atque *ideo* Christianus.

Hic primum non licebit nobis talem Pauli imaginem rejicere, quod ab historica fide aliena sit, nisi ante constiterit genuinas esse magnas Pauli Epistulas quae dicuntur, et imprimis Epistulam ad Galatas. Verum nostris adnotationibus efficere voluimus, hanc opinionem quam primum deserendam esse; contra propemodum necessario delati fuimus, ut suspicaremur fuisse Paulum quendam Episcopum, qui non nimis diverso ingenio fuerit ab eo Paulo, quem Acta norunt. Nonne fieri potuit, ut scriptor quidam ignotus hunc nostrum Paulum Episcopum delineare voluerit indeque prodierit imago, quam Acta dant nobis conspiciendam? Id

---

1) Itidem Romae: „Propter spem Israel catena hac circumdatus sum" (28, 20), cf. vs. 23.

certe jure nostro quaerimus an Pauli ingenium, sicuti in Actis depingitur, non magna veritatis specie commendetur.

Sunt duae considerationes, minime negligendae, quarum imprimis altera haud leve momentum affert.

Primum etiamsi credamus multa inesse in Actis Apostolorum, quae libere confirmata ac plane ficta sunt, estne satis verisimile in re tam gravi qualis est ratio inter veterem et novam religionem, inter paucos clarum Apostolum tam diverso ingenio fuisse repraesentatum, ab illa animi indole, quam perpetuo ostentaverit? Deinde nemo facile negaverit, inde a primis saeculis Christianam religionem minime fuisse excultam ad normam illarum opinionum quae Paulo imprimis propriae fuisse creduntur. Numquam videmus quid effectum fuerit Epistula ad Galatas. Tum ecclesia, tum ipsa quoque Theologia Paulum ignorant. Nonne hinc concludere licet numquam fuisse qui nusquam appareat? Credemusne Pauli illius labores sine ullo vestigio potuisse perire?

Jam vero si Pauli imago, quae in Apostolorum Actis exhibetur non ab verisimilitudine abludit, egregium fontem nacti sumus, unde cognoscamus opiniones Christianorum ex Judaeis, quorum Paulus dux et auctor potest haberi. Judaicam religionem nolebant propagare, sed non magis cupiebant abolere; scilicet imbuenda erat Christi doctrina idque praecipue constabat certa spe de resurrectione mortuorum, quum Jesus Christus ipse surrexisset. Judaica religio, sed Christiana persuasione tincta, maxime fuisset Sadducaeis opposita et imprimis sese applicuisset ad eam opinionem, quae Pharisaeorum quidem fuerat neque umquam apud eos in luce fuerat posita: spem dicimus resurrectionis. Sed quoniam haec nova via novas quasi vires addebat veteri persuasioni, adeo ut unius populi claustris non amplius posset contineri, necessario enim spes resurrectionis non ad unum populum pertinet sed ad totum humanum genus, consequens erat ut dilatatis finibus Apostoli etiam Gentiles amplecterentur.

Hoc modo factum est, ut quod universus populus olim

exspectasset, id nunc deveniret ad singulos. Vetus persuasio fovebat certam atque indubitatam spem de populi salute; nova persuasio eandem spem tribuebat singulis. Illa praedicabat, aeternam futuram esse Judaicam nationem, quae aliquando orbis imperio potitura esset; haec pollicebatur singulorum hominum immortalitatem, quum aliquando participes essent futuri imperii Filii illius Hominis, quem praedixisset Daniel.

Ut rata foret ea spes, Judaei illi Christianam religionem professi, idem necessarium esse ducebant quod olim commendarat deutero-Jesaias: nimirum pati oportet. Cf. Ies. 53 coll. cum Luc. 24, 26 et Act. 26, 23.

Quod ad Pauli doctrinam attinet, Acta Apostolorum semper et ubique eandem imaginem exhibent, sed viri indoles ita depingitur, ut paulo difficilius alia cum aliis quasi in unam figuram coalescere dixeris.

Quater in superioribus substitimus, ut componeremus in unum quae ex capitum serie deinceps effeceramus. Longiorem viam necessitate coacti ingressi sumus, quo melius appareret, quam essent diversa quae sese nobis examinanda obtulissent. Nunc autem cum quatuor observationum series habeamus, videndum est num eas sub uno conspectu ponere liceat. Quae autem obtinuimus, hoc modo in summarium redegimus: nimirum Paulus

1. alacriter propagat fidem.
2. persecutiones fugitat.
3. cedit aliis neque lubenter contra nititur.
4. magno agit impete.
5. animi affectibus plus tribuit quam rationi.
6. celeris consilii est.
7. minime conspicuus est morum facilitate.
8. mysticus est.
9. magnas res mente comprehendit.
10. tener est usque ad vitium.
11. intrepidus est.
12. coram accusatoribus et judicibus callide potius dissimulat, quam sincerum animum ostendit.

Pugnant inter se 1 et 12; 2 et 11; 3 et 6, 7; 5 et 4, 8, 10. Tam contraria ut quodammodo conciliemus, res repetenda est ab repentina Pauli conversione. Ipse quum temporis momento mutatus evasisset plane diversus ab ea persona quam hucusque sustinuerat, ac perspiceret nihil plane esse, cur Judaei Deum metuentes Jesum persequerentur, arbitratus est, quod paene necesse fuit, itidem alios aeque celeriter mutare posse persuasionem (1). Post autem, diu post, si ita mavis, multis renitentibus et jam meliora experientia edoctus, linguae temperat, adhibet prudens consilium nec spernit opportunas captationes benevolentiae (12). Quum firmiter persuasum habeat, destinatum se fuisse ut novam religionem Gentilibus afferret, metuit ne quid temere committat et ante tempus ad metam perveniat (2), sed confecto cursu flagrat cupiditate novam Judaicae religionis formam profitendi Hierosolymis in capite gentis tantusque ardor animum invadit, ut spretis continuis amicorum admonitionibus audacter obviam proficiscatur periculo, quod sibi ab Hierosolymitanis imminere sentit (11).

Quantumvis magnifice sentiret de vocatione, quam expertus fuerat, initio tamen movebatur recordatione eorum quae ante conversionem egerat seque inferiorem esse sentiebat reliquis apostolis et in universum omnibus, quos olim fuerat persecutus, adeo ut vix quidquam proprio motu suscipere auderet et in rebus externis se libenter aliis committeret (3), sed postquam manum aratro admovit, semper mansit idem ille, qui olim repente animum alio applicuerat (6) et apud eos, quos neutiquam suspicere necesse erat, sive quod aetate juniores erant, sive fortasse auctoritate minores, minime paratus erat suam sententiam postponere alienae.

Plus tribuebat, uti vidimus, sanae rationi quam animi affectibus neque hoc fortasse mirandum in eo, in quo itidem deprehendimus esse teneritudinem, impetum et mysticismo deditum animum (5 et 4, 8, 10). Scilicet ejus persuasio duobus fulcris nitebatur, quorum alterum debebat repentinae conversioni, alterum adeptus fuerat recolendo

id quod ipsa vi veritatis victus et propemodum „intuendo" repererat. Intelligit nihil esse cur Judaei credere nolint Christum surrexisse: mysticismo convenienter hoc ei temporis momento revelatum fuerat. Illud dum reputat, suspicatur hanc veritatem ope veteris Testamenti exegetice et historice demonstrari posse, neque tamen umquam ei demonstrationi tantum tribuisset, nisi alia ac breviore via id jam invenisset quod erat demonstrandum. Quid tamen mirum si rei naturae minime conscius ingenue putarit demonstrando id communicari posse, quod ipse olim ratione expeditiore accepisset? Itaque quod ad propriam persuasionem pertinebat, mysticus et erat semperque manebat, sed quamdiu alios nondum ad se pertraxerat, malebat omnia ad sanam rationem exigere. Verum nihil impedit, quominus credamus, si forte demonstrando nihil ageret, irritatum animum morae factum fuisse impatientem, ita ut indulgens iracundiae nec linguae satis parceret nec vultui. Itidemque facile potuit fieri ut, si forte una esset cum aliis, quos eadem fides conjungebat, mysticismus ille liberius sese explicaret fratresque imbueret ea caritate, quam ante omnes ipse experiretur.

Hoc maxime modo ex tenuibus indiciis contraria in unum componi posse visa sunt; id miramur eum qui Acta conscripsit, nihil curavisse ut Pauli indolem minus insubide exponeret; nisi credere malis etiam hodie duorum fontium diversam originem agnosci posse.

CAPUT OCTAVUM.

QUA METHODO SUPRA USI SUMUS, EANDEM ADHIBEBIMUS AD EXAMINANDA SELECTA CAPITA QUARTI EVANGELII.

---

§ 1.

Componitur cap. III cum cap. I et II.

Hoc Evangelium quod jam olim pneumaticum dictum fuit, numquam fortasse naturam luculentius ostendit quam initio tertii capitis, ubi Pneumaticorum doctrina plenissime exponitur, scilicet vs. 6: τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐςιν, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐςιν. Humanum genus in duas species dividitur, σαρκικῶν et πνευματικῶν. Pneumaticus, non magis quam σαρκικός qui ei e regione oppositus est, fit; nascitur enim. Pneumaticus non magis rogat quidni σαρκικός sit, quam homo rogat quidni rationis expers sit. Pro potestate τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις (intelligenda fortasse glossolaliae species), ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει· οὕτως ἐςὶν πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

Itaque Πνεῦμα veluti ad Platonis normam ideas complectitur ac proinde omne bonum, quod solum ὄντως ἔςι, sed sub luna non nisi disjectum invenitur semperque latet terrena et imperfecta specie involutum. Quamdiu homo cum corpore conjunctus est, non poterit perfectionem vita referre, nam habet coelestem et minime terrestrem origi-

nem, et, quod apparet, πνεῦμα et οὐρανός (quo idearum orbis comprehenditur) συνώνυμα sunt. Qui vere homo dicendus est, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου idem est ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Nec quisquam umquam in coelum adscendit potuitve se efferre ad pneumaticum illum idearum ordinem, nisi qui de coelo ante descendit: οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανόν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ (vs. 13).

A quo inde tempore creati homines sunt — sic enim nobis licet interpretari quod pneumaticum documentum innuit — fuerunt σαρκικοί et fuerunt πνευματικοί, sed diu admodum confusi fuerunt, ut dignosci non possent. Fuit hoc, donec τὸ φῶς mundum intravit; tunc enim apparuit, vulgus hominum malle tenebras, ut ne maleficia deprehenderentur. Hucusque inanibus rebus animum applicuerant (hic cogitat quis אֱלִילִים apud Iesaiam 2, 8), et nunc metuunt ne illa inania luce coarguantur. Qui contra ab illis inanibus alieni fuerunt, qui vana specie non lactantur, ad lucem adpropinquant, ut appareat se sua omnia retulisse ad normam illam coelestem: αὕτη δὲ ἡ κρίσις ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι τὸ σκότος ..... πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα (nimirum opponitur ἀλήθεια vs. 21) πράσσων μισεῖ τὸ φῶς καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ· ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, ὅτι ἐν θεῷ ἐςὶν εἰργασμένα (3, 19—21).

Hic diserte dicitur quid sit τοῦ φωτὸς officium, quod nullo modo primarium est; non est enim causa cur fiant ἔργα ἐν θεῷ εἰργασμένα, nam haec etiam fiebant, antequam φῶς mundum intrasset. Talibus ut operam des, plane satis est, sed etiam necessarium est ἐκ τοῦ Πνεύματος natum esse, Deo natum esse, de coelo descendisse. Φωτὶ satis est ut φῶς sit et tantummodo collustrat, quae olim latebant. Nihil igitur de eo verius dici potest quam illud (quod sane in tertio capite non legitur, sed optimo jure in eo potuisset legi): τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον ἵνα κριθῇ ὁ κόσμος, ut

mundus bifariam dividatur et ab altera parte οἱ ἐκ σαρκός, ab altera οἱ ἐκ πνεύματος secedant. Limes insuperabilis est tamque late hiat, ut per pontem ab illis ad hos transire non possis. Sicuti nemo umquam ingenuus fiet, qui in servitute natus est, sic nulla est transitio ad illos vere patricios ac solos nobiles. Peccatoris conversio, peccati remissio, virtutis amor sponte ac minime vi susceptus: locutiones illae sunt plebi usurpatae, quae hic non impugnantur, sed potius negliguntur, quoniam ad pneumaticorum philosophiam nihil pertinent. Οὐ δύναται, nam ita diserte legimus 3, 27, οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδέν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον (attendendum ad perfectum) αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ .... Sive terrestris origo est, sive coelestis: ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς ἐκ τῆς γῆς ἐστὶν καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος (supplere licebit vs. 31) τὰ ἐπουράνια λαλεῖ (cf. vs. 12) [1]).

Pneumaticorum philosophia facile sese conjungere potuit cum doctrina de Verbo, qualis in quarto Evangelio exponitur. Commune erat τὸ φῶς. De Verbo (nam 1, 9 subjectum ὁ λόγος aut omissum est aut excidit) legimus fuisse τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ne hic quidem cogitandum est de almae lucis munificentia, sed illud spectatur, lucem collustrare et patefacere omnia. Nec potest quis „in hunc mundum veniens" vim experiri lucis, v. c. veritatis; sed saepe mature perspicitur, utrubi tuos penates habeas. Sed vs. 10 res conficitur: mundus in quo lux erat, nihilominus lucis munificentiam non cognovit. Itaque Λόγος fuit is qui Πνεῦμα perfecte revelavit (οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσι τὸ πνεῦμα, vs. 34[b]) et Magni in humanis rebus Discriminis auctor fuit. Hanc ob causam ὁ λόγος (nempe ille quem diximus υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ) σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ὑμῖν (1, 14). Ita revera τὸ φῶς in mundum venit; Jesu beneficio τὸ φῶς in posterum humano generi Lydii lapidis instar esse poterat. Ad eum venire seque ad illum applicare erat illud idem venire πρὸς τὸ φῶς, quod 3, 21 uni-

---

1) Cf. 8, 23 et 43 (in hoc mundo mendacium regnat) et infra.

cuique tribuitur, qui vere dici poterit ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν. Veniunt ad Jesum qui potenter et irrevocabili modo ad eum perducuntur, neque hi sunt peccatores, sed πνευματικοί et illi οἵτινες οὐκ ..... ἐκ θελήματος σαρκός ..... ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν, illi qui Deo nati sunt (ἐκ πνεύματος, ἐξ οὐρανοῦ), illi qui ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάντες conjunctos se esse sentiunt cum unigenito Dei filio.

Hujus rei in quarto Evangelio exempla traduntur et illustratur modus, quo pneumatici Christiani (itemque antea pneumatici ex Judaeis) sibi persuaserant, vitam pneumaticam ac vere divinam in singulis hominibus patefieri. Quod displicere poterit in narrationibus illis 1, 35—52, si ad historiae veritatem exigentur, mira nos pulcritudine allicit, dummodo credamus symbolice nos doceri, non diuturna virium intentione perveniri posse ad id quod ubique summum est. Aut enim est aut non est: acquirere non poteris; id agitur, si habeas, ut te id habere sentias. Vss. 35 sqq. haec omnia admirabiliter indicata potius sunt quam descripta; omnia quasi per transennam strictim; omnia repente fiunt. Necopinato alter alteri fit obviam ac plane Archimedea vox usu venit. Ambulat Jesus, quem duo sequuntur, qui remanent et in perpetuum remanebunt. Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, Andreas ait. Est Ἡρακλεία λίθος, quae deinceps omnia ferramenta pervadit. Ad Simonem: σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς. Ad Philippum: ἀκολούθει μοι. Mox εὑρίσκει Φίλιππος τὸν Ναθαναήλ et ille quoque profitetur εὑρηκέναι. Videt Jesus haesitabundum: ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης et mox respondet alter felicitatem vix capiens: Ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

Eodem pertinet quod itidem symbolice nec minus eximie traditur de miraculo Cananaeo. Minime negligendum est 2, 3: οὐκ ᾔδει πόθεν ἐςὶν ὁ οἶνος, nam illud πόθεν identidem recurrit: πόθεν με γινώσκεις, Nathanael rogat 1, 48; οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται τὸ πνεῦμα, legimus 3, 8. Ad illud πόθεν, quod in hoc Evangelio terdecies recurrit et vulgo hominum perpetuo in ore est, respondent Pneumatici haud cunctanter: οὐκ οἶδας πόθεν. Tu mortalis pro tua imbecillitate nihil af-

ferre potes praeter vilem aquam, sed ecce praesente Jesu vinum potabis dabisque aliis, nescius unde venerit. Aliis beatus esse videatur, qui rerum potuit cognoscere causas; pneumaticus meliora doctus est: quidquid revera est, est ἐν τῷ οὐρανῷ (3, 13), ἐν τῷ θεῷ (3, 21), antequam ad hanc terrestrem vitam detrudatur.

Juxta pneumaticorum religionem et de verbo doctrinam erat illis temporibus inter Judaeos secta quaedam, quae appellabatur de nomine Johannis Baptistae et praecipuum symbolum habebat baptismum. Ὕδατος asseclae, nam sic eos appellare licebit, oppositi erant iis, qui Πνεῦμα sequebantur, nam illa aqua, quam praedicabant, indicabatur nos purificari, emendari, renasci, ad novam vitam institui. Quod igitur secundum pneumaticos in illo idearum orbe ab omni tempore fuerat atque in hac demum terrestri vita ab mortalibus agnosci poterat, quod ab initio necessario erat δεδομένον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ et alioqui numquam tuum esse poterat, id secundum Johannis discipulos revera poterit acquiri.

Viam commonstrat nota glossa 1 Joh. 5, 9. Tres testes sunt in terra: Πνεῦμα, Ὕδωρ et Αἷμα, quibus respondent tres testes in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus. Respondent Πνεῦμα et Spiritus Sanctus; Αἷμα necessario Christum denotat; restat igitur ut Aqua symbolum sit eorum qui Deum patrem unice colant itaque baptismus solemne est, a quo primis temporibus Pneumatici uti et Verbi asseclae (si rem ad vivum resecare licet) prorsus abhorrebant, donec tractu temporis tres religionis formae conjunctae in unum sunt indeque originem cepit Catholica persuasio, quam historia de Christi nomine signavit [1]).

Saepe apparet, eum animorum motum, cuius Johannes

---

1) Ut cognoscatur quomodo ὕδωρ et αἷμα conjungantur, utilis locus est 1 Joh. 5, 6. Quorsum illud οὐ μόνον ἀλλά, nisi alterumutrum satis haberetur ad salutem, sive δι' ὕδατος, sive δι' αἵματος? Deinde compone Joh. 3, 5: ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ut tibi persuadeas in Novo Testamento non omnia deleta fuisse vestigia, quibus efficitur tres olim religiones exstitisse, quae deinceps Ὕδωρ, Αἷμα et Πνεῦμα secutae elementa dederunt, unde Christiana religio propagata fuit.

auctor fuit, statim ab initio ad reliquas sectas nihil pertinuisse. Interfecerat eum Herodes, uti Josephus perhibet Archaeol. 18, 5, 2, τοὺς Ἰουδαίους κελεύοντα, ἀρετὴν ἐπασκοῦντας .... βαπτισμῷ συνιέναι· οὕτω γὰρ δὴ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπὶ τινῶν ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. Hic verbis μὴ ἐπὶ τινῶν — χρωμένων non respicitur aliud baptismi genus quod fuisset ἐπὶ παραιτήσει ἁμαρτάδων et a quo Johannes fuisset alienus; imo urgendum est pronomen τινῶν. Johannes, nam haec est Josephi mens, postulabat perfectam puritatem, ἁγνείαν τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς itaque secundum eum baptismus erat ἐπὶ παραιτήσει πασῶν ἁμαρτάδων [1]). Idem Josephus tribuit Johanni magnam apud populum auctoritatem. Herodes eum interfici jubet: πάντα γὰρ ἐῴκεσαν συμβουλῇ τῇ ἐκείνου πράξοντες· ideo Herodes πολὺ κρεῖττον ἡγεῖται πρίν τι νεώτερον ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι, ... ἀναιρεῖν ἢ μεταβολῆς γενομένης εἰς τὰ πράγματα ἐμπεσὼν μετανοεῖν. Apud Josephum Johannes plenus auctoritatis est, qui populum quolibet impellere potest, Savonarolae instar, a quo metus est ne imperium in imperio initium capiat. Καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, uti Marcus narrat 1, 5. Hic animorum motus tam gravis est, ut Josephus, qui de Christo tacet, eum memorare necesse habuerit addideritque Herodis cladem visam fuisse τοῖς Ἰουδαίοις ἐπὶ τιμωρίᾳ τῇ ἐκείνου ἐπὶ τῷ στρατεύματι γενέσθαι, τοῦ θεοῦ κακῶς Ἡρώδῃ θέλοντος (ibid.).

Cum iis quae supra de illo animorum motu exposuimus, conveniunt omnia quae in Apostolorum Actis de Johanne traduntur. Veluti quam diserte ipse Jesus 1, 5: Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Johannes non tantum baptizavit, sed etiam in contionibus baptismum commendavit, 10, 37; 13, 24. Apollos Alexandrinus est κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου (18, 25), nec tamen minus ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. Paulus Ephesi

1) Alteruter nostrum aliam sententiam tutatus est, *Mnem.* XXIV. 281.

esse comperit τινὰς μαθητάς, qui interrogati εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε, ingenue respondent: ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἔςιν ἠκούσαμεν. Deinde iterum interrogati: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε, profitentur baptizatos se esse εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα. Mox Paulus eos baptizat εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, quo facto, quod imprimis attentione dignum est, ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου χεῖρας, ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτοῖς et discipuli illi continuo incipiunt λαλεῖν τε γλώσσαις καὶ προφητεύειν. Hos certe locos vulgaribus interpretationis artificiis numquam expedies.

Sed ex postremo loco efficitur, Apostolo Christiano non satis videri baptismum, quo professio fieret poenitentiae et virtutis et ἁγνείας σώματος καὶ ψυχῆς itaque discipulos iterum baptizat, et quidem ad Jesu professionem, quo facto Πνεῦμα accipiunt. Quod igitur vulgo traditur, Johannem Jesu viam praeparavisse, id postea demum excogitatum est. Quomodo iis temporibus, de quibus in Actis agitur, fieri potuisset ut Johannis discipuli ignoravissent essetne Spiritus Sanctus necne, si Magister de Christo jam ea omnia praedicasset, quae nunc in Evangeliis legimus [1]). Si Johannes vidit Spiritum descendentem super Jesum, quomodo fieri potuit ut discipuli multis annis post Spiritus illius nomen primum audirent?

Postquam Christiana Ecclesia, dicimus autem antiquissimam Catholicam illam quae primum enata est, quo tempore diversae sectae in unum coaluerunt, postquam igitur Christiana Ecclesia baptismum recepit, significatio mutari debuit. Non poterat manere baptismus μετανοίας, nam, quod vidimus, Pneumatici poenitentiam non agnoscunt, nec magis illi qui Verbi doctrinam strictissime interpretantur [2]). Itaque

---

1) Vide imprimis Joh. 1, 31: ἵνα φανερωθῇ (ὁ Ἰησοῦς) τῷ Ἰσραήλ, διὰ τοῦτο ἦλθον ἐγὼ ἐν τῷ ὕδατι βαπτίζων. Quod toties iterat, certo certius se non esse Christum, arguit quam necessarium scriptori visum sit, tegere et dissimulare dissensiones quae olim fuerant. Contenditis, inquit vel innuit potius, Johannem eum esse quem Patres praedixissent eumque praeclarum inter omnes prophetam, quem Israel exspectaret, sed ipsi Johanni potius auscultate, qui contrarium affirmat.

2) Vide imprimis cap. 7. Vs. 3 audimus τὸν πνευματικὸν Λόγον, si quidem

factus est baptismus εἰς τὸ ὄνομα, non institutus ut homines virtutis participes fierent, sed quo profitebantur se eam jam esse adeptos.

Hinc accidit ut cum alii loci tum narratio de Jesu baptismo aliter coloraretur. Synoptici simplicissima ratione alterum animorum motum collocarant juxta alterum. Decessor baptizarat successorem et spiritus Dei descendit sicut columba et venit super Jesum (Matth. 3, 16; Marc. 1, 10); sed hoc pneumatici non magis servare poterant quam illi qui Verbi doctrinam amplexati fuerant. Si certo temporis momento Spiritus super Jesum descenderat, tota doctrina corruebat, tum Joh. 3, 6, tum 3, 34[b]. Hinc quod Spiritus descendit sicut columba, eo detortum fuit, ut signum esse haberetur, quo Johannes Jesum *agnosceret*: nam, quod bis traditur, non norat eum et opus erat certo signo atque ideo ὁ πέμψας dixerat: ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Neque hic columbam conspicit vel ipse Jesus vel reliqua multitudo, quod plane fuisset inutile, sed solus Johannes.

Contra ut satisfieret Catholicis illis et antiquissimis Christianis, in colloquio cum Nicodemo, quod totum pneumaticum est, baptismi mentio recepta fuit, quo facto sententia luxata est. Accidit hoc vs. 5: ἐὰν μή τις γεννηθῇ [ἐξ ὕδατος καὶ] πνεύματος κτἑ. Interpolationem manibus quasi tangimus. Si ὕδατος primitus facta fuisset mentio, aqua iterum recurreret vs. 6, sed ea est hujus versus ratio, ut ibi aqua neque commemoretur nec commemorari possit; etenim legeretur, quod nimis absonum est: τὸ γὰρ γεγεννημένον ἐκ τοῦ ὕδατος ὕδωρ ἐστίν. Apparet capite 3 baptismum conjungi non debuisse cum novis ex Spiritu natalibus, nam baptismus certo et definito tempore fit, sed natales ἐκ πνεύματος ex illo idearum orbe subter lunam detrudentur, si adjungere velis τὸ ἐξ ὕδατος γεννηθῆναι.

---

ita dicere fas est. Φανέρωσον σεαυτῷ τῷ κόσμῳ, inquiunt fratres: imo vos potius, sic superbe satis respondetur; ἐμὲ δὲ μισεῖ ὁ κόσμος (cf. 15, 18—25). Vide vs. 19; 21 et infra.

Quum quartum Evangelium retractatum fuit, mitigatum fuit quod praefractius et rigidius dictum fuerat non tantum in iis quae ad Πνεῦμα, sed etiam in iis quae ad Λόγον pertinebant. Christiana religio Catholica facta est, quod saepe jam diximus, recipiendo et conciliando contrarias opiniones ea ratione quae Ecclesiae facilius placere potuit, quam sero natis dogmaticis, qui omnia in artem redigunt.

In metaphysica de Verbo doctrina, quod vidimus, quas partes τὸ φῶς habuit, eas suscipit ὁ λόγος itaque quum primum λόγος in mundum venit et facta est σάρξ, evadit κρίσις. Hic autem λόγος non Salvator est, sed Judex Mundi; est judex, quia hoc eius fert natura. Verum populus, qui perosus erat dialectices laqueos, quum Jesum sectabatur, imprimis Salvatorem colebat. Huic etiam opinioni satisfacere voluit scriptor tum Joh. 1 tum Joh. 3 indeque ortae repugnantiae, quarum nonnullas percensebimus.

Λόγος sit, qui patefacit qui sint γεγεννημένοι ἐκ τοῦ θεοῦ, qui non sint; sed qui Jesum sectatur, accipit tamen ἐξουσίαν τέκνον θεοῦ γενέσθαι (vs. 12)[1]; est ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου (vs. 29). Deus ille de quo legimus 1, 1: θεὸς ἦν ὁ λόγος, tamen 1, 50 etiam est βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ; quin et munus quod ad χάριν et ἀλήθειαν attinet, idem est quod Moysis fuit circa νόμον (1, 17); comedit eum zelus domus Domini (2, 17); qui ἀνὴρ ἔμπροσθεν (Ἰωάννου) γέγονεν, ὅτι πρῶτος (αὐτοῦ) ἦν (1, 30) simul est υἱὸς τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ ἀπὸ Ναζαρέτ (1, 46). Est lux, quam tenebrae haud comprehenderunt (1, 5), sed etiam ille qui homines accurate docet et exponit quis deus sit (1, 18).

Extremo capite tertio de insuperabili necessitate illius κρίσεως, quam Jesu adventus affert, quantum potest licetque detrahitur, vel potius identidem negatur quod modo affirmatum fuerat. Attendat quis ad 3, 14—18 collatos cum vss. 19—21. Illis versibus humanum genus describitur

---

1) Nemo facile sibi persuaserit versum 13 statim illatum fuisse post vs. 12: οἵτινες post τοῖς πιστεύουσιν.

pestilentia laborans sicuti Israel in deserto (Num. 21, 8 sq.). Mundum ut salvet, Deus mittit Filium. Non missus est Filius sicuti alii versus perhibent, ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, sed, quod diserte docemur vs. 17, ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ [1]). Iuxta illud ἤδη κέκριται vs. 18b, quod revocat fere in memoriam celebratissima verba *Lasciate ogni speranza*, invitamur ut attollamus oculos ad Salvatorem in solio sedentem. Cum vs. 18b, ubi minime cogitatur de iis, qui etiamnunc fidem amplecti possunt, conjungitur Johannis testimonium: ἵνα πάντες πιςεύσωσιν δι' αὐτοῦ (1, 7). Vs. 3, 16 vicit quam breviter appellare poterimus hujus evangelii retractationem ecclesiasticam. Non venit Jesus in mundum ut appareret qui fideles essent et qui minus, sed ἵνα πᾶς ὁ πιςεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. Verba plena tenerrimae caritatis Ecclesia retinuit, neglectis reliquis, quibus sectarum dialectica uteretur et abuteretur.

Jam in his tribus capitibus videmus, quomodo vetustissima Catholicorum persuasio sese deinceps effinxerit; omnia

---

1) Contrariae opiniones, Jesum venisse in mundum ἵνα κρίνῃ, nec venisse ἵνα κρίνῃ, etiam alibi in quarto Evangelio offenduntur. Judicat Joh. 5, 22; 27 et Jesus in lucem profert cuiusmodi quisque jam antea fuerit (5, 20b cf. 1, 51); 37 (inde ab οὔτε φωνήν); 38a; 40; 41b (inde ab ἀλλά). Contra Jesus Salvator est 5, 24 (cf. 3, 18); 25; 34b (inde ab ἀλλὰ ταῦτα). Discrimen inter philosophicam et empiricam rerum considerationem luculenter apparet 3, 20 coll. cum 5, 29b: ὁ φαῦλα πράσσων et οἱ τὰ φαῦλα πράξαντες. Philosophica consideratio, Jesum esse normam ad quam humanum genus exigendum sit, redit cap. 7; vid. vs. 7 (cf. 15, 18—25); vs. 34 coll. 8, 14; 19. Jam nunc novit Jesus peccatores in peccato morituros esse, cf. vs. 21. Sunt enim ἐκ τῶν κάτω, 8, 23: hic enim mundus ex dicione mendacii est, vs. 43 sqq., neque ex Deo sunt, vs. 47. Mutuum odium erumpit et secundum Judaeos Jesus insanit (10, 20) et secundum Jesum Judaei ex patre diabolo sunt (8, 48 coll. 10, 26). Vide contra Jesum Salvatorem 6, 32; 35; 37b; 38; 40; 43b—51a; 58. Eodem pertinet quod Jesus mortuos suscitabit τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Oppositiones etiam admodum luculentae conferantur 5, 30; 8, 26 cum 8, 15; 12, 40 cum cap. 9, imprimis vs. 32. Respondet alia oppositio: vivere Jesum inter Judaeos tanquam inter meros adversarios: 5, 16; 6, 41; 52; 7, 1; 8, 48; 52; 9, 18; 22; 10, 31; 33; 11, 8; 54; 12, 37; 18, 12; 36; 19, 7; 12; 38; 20, 19 coll. 1, 11 et Jesum vivere inter Judaeos tanquam inter suam sibi propriam et dicatam gentem: 2, 13 sqq., imprimis 23; 3, 1 sqq. imprimis 22; 4, 22; 5, 1; 6, 4 sqq; 7, 2 (malum Judaeorum consilium 7, 1 fratribus ignotum fuit); 7, 11, 15; 8, 31; 10, 19; 24; 42; 11, 36; 45; 12, 9; 11; 12 sqq.; 42; 44.

insunt in „juxtapositione", nam ut perspicue scribamus, nunc etiam Latinitatem negligimus. His paucis paginis invenimus juxta doctrinam de Verbo, Jesum qualem Synoptici eum depingunt; pneumaticorum intimam philosophiam; baptismum celebratum tamquam arcanam conditionem salutis; mundi extremum judicium metaphysice jam pronunciatum et Jacobi scalam (1, 52) in perpetuum constitutam, ut ex coelo in terram et versa vice commeari possit. Verbo ut dicamus, totum Evangelium constat contrariis opinionibus artificiose consociatis, adeo ut egregium fontem habeamus, unde sectae cognosci possint, quae sua contulerunt ad Christianam religionem excolendam. Itaque nihil prorsus est cur contraditiones miremur; veluti si aqua, quod symbolum est ejus motus quem Mosaicis legibus innixus Johannes excitavit, capite secundo jam cessit locum vino vel sanguini Novi Testamenti, sed capite quarto illuc reditur [1]).

§ 2.

Tractatur caput IV.

Samaritanis, qui ad fontem Jacobi sitim sedare cupiebant, inculcatur: πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου διψήσει πάλιν (4, 13), sed Jesus habet πηγὴν ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον (vs. 14), quod non prohibet quominus vs. 22 ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων sit. Merus pneumaticus, qui non alia loca aliis sanctiora ducit, intimam persuasionem animi audacter proponit his usus verbis merito celebratis vs. 24: πνεῦμα ὁ θεός κτἑ., sed patienter ferre debet, quod vs. 22 Jesus eam Israelitarum populo tribuit dignitatem, quae aperte repugnat Pneumaticorum doctrinae, qui Judaeorum

---

1) Vs. 6, 32 Moysis de Deo doctrina haud leviter impugnatur, imprimis si vs. 32 respondetur ad id, quod Judaei dixerant vs. 31. Provocant ad Psalm 78, 24, ubi legimus Deum ut omnipotentiam suam ostenderet, mensam in deserto apposuisse et panem de coelo dedisse manducare. Quandoquidem hoc per Moysem impetratum fuerat, cui Deus favorem suum comprobare voluerat (Exod. 16, 4), credebant Israelitae: Μωϋσῆς ἔδωκεν ἡμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, quod Jesus praefracte negat. Moysi igitur et Moysis Deo opponitur ὁ πατήρ μου.

privilegia miris modis vilipendebant. Nec Samaritani secundum Pneumaticos magis caecutiebant quam ipsi Hierosolymitani.

In colloquio cum muliere Samaritana vix dubium est, quin olim princeps locus Judaeis vindicatus fuerit, cum vs. 22 continuo sequeretur post vs. 20, unde nunc diremtus est versu 21, qui nequaquam huc pertinet. Id verum esse, sine controversia efficitur ex iis quae post vs. 24 sequuntur. Quod declaratum fuerat vss. 21; 23; 24 quantumvis magni id momenti sit, ceterum nusquam respicitur. Nimirum vs. 25 respondetur iis quae dicta fuerant vs. 22; quidquid sciamus vel nesciamus, inquit Samaritana mulier, οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται· cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Admirabilè responsum est, si quidem Jesus id ipsum dixisse videbitur, quod Messias, secundum Samaritanam, debebit dicere. Secundum illam Messias cognoscetur, quod explicabit omnia. Quodsi autem Jesus (vss. 21; 23; 24) modo omnia explicaverit, poteritne mulier Messiam sub Jesu persona latitantem tam parum agnovisse videri, ut Jesus (et quantum hoc discrepat ab illo pneumatico εὕρηκα 1, 35—52) necesse habeat totidem verbis affirmare: ἐγώ εἰμι ὁ λαλῶν σοι (vs. 26). Nec sane rogamus possintne ea omnia revera sic fieri; id tantum quaeritur possitne quis sana mente praeditus narrationem componere, in qua vss. 21; 23; 24 et legantur nec ceteroquin ullo modo respiciantur. Vs. 39—42 magnificum verbum πνεῦμα ὁ θεός plane siletur.

Ut vss. 23; 24 cum reliquis quodammodo conjungi possent, interpolatus fuit misellus ille versiculus 21, quo quam inepte dicatur quod recte dictum fuit vs. 23, sic facillime apparebit, si ex vs. 23 verba ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστίν — quibus verbis id indicatur quod semper verum est — etiam vs. 21 ante ἐν τῷ ὄρει collocaveris; nam peribit sententia. Etenim quod legitur vs. 21 non usquequaque verum est, sed credibile est secundum scriptorem ipsum ἀληθινοὺς προσκυνητὰς omni tempore in spiritu et veritate adoravisse. Nec minus per se spectatus vs. 21 negligenter enunciatus est,

nam, etiamsi verum falsumve sit desertos fore aliquando montes Garizim et Moria, nihil hoc pertinet ad propagationem verae religionis, quae tota pneumatica est.

Eodem loco habendi sunt versus 4, 13; 14, quo versus 3, 6, nam utrobique quod pneumatice dictum fuerat, conjunctum est cum baptismi Christiani commendatione; eo pertinet illud ἐξ ὕδατος 3, 5 et quae de Jesu fonte dicuntur 4, 4—20. Et nunc intelligimus qui sit factum ut pugnarent versus 1 et 2, nam primum traditum fuerat Jesum plures baptizare quam Johannem (vs. 1), sed qui interpolavit vss. 23; 24, verosimiliter addidit illud καίτοι γε vs. 2 [1]).

§ 3.

De locis retractatis ad normam capp. III et IV.

Capitibus 3 et 4 coaluisse pneumaticas sententias cum aliis locis, quibus Jesus ad modum Synopticorum describitur, etiam facilius credi poterit, si quis animum attenderit ad consimiles versus quibus modo Πνεύματι nihil, modo omnia tribuuntur.

Johannes divinitus mittitur, baptizat in aqua et jam novit quis Jesus sit: 1, 6; 26; 29. Mox non novit Jesum, nisi Πνεῦμα descendat super Jesum: 1, 33.

Jesus non ex se ipso loquitur, sed quod Pater mandatum dedit, 12, 49; Jesus verba Dei loquitur, Pater enim Πνεῦμα dedit non ad mensuram: 3, 34 [2]).

Jesus οὓς θέλει ζωοποιεῖ 5, 21 et τὸ πνεῦμά ἐςιν τὸ ζωοποιοῦν 6, 63.

---

1) Totus liber tam negligenter compositus est tamque male habitus ipse textus (vide modo illud πλήρης 1, 14), ut nulla conjectura *per se* nimis audax debeat videri. Quod ad compositionem attinet, digitum intendimus in illa multiplicia et quantum apparet plane inutilia Jesu itinera. Veluti Joh. 1, 44 Jesus in Galilaeam proficisci cogitat; 2, 14 Hierosolyma; 3, 22 in Judaeam quam nondum reliquerat; 4, 3 Samariam; 4, 43, uti credibile est, in Galilaeam; 5, 1 Hierosolyma; 6, 1 trans mare Tiberiadis, quamquam in Judaea brevi ante degerat; 7, 10 Hierosolyma; 10, 40 eodem quo 1, 28; 11, 7 in Judaeam; 11, 54 Ephraim, qui locus ignoratur; 12, 1 in Judaeam; 21, 1 denique in Galilaeam; nec curavimus minora itinera intra ejusdem provinciae fines.

2) Ne ignorasse videamur, addimus τὸ πνεῦμα omissum esse in Vaticano Codice.

Qui in Jesum credit, habet flumina aquae vivae 7, 37, quod continuo post refertur ad Pneumaticorum doctrinam vs. 38.

Dum Jesus etiam in his terris degit: νῦν κρίσις ἐςὶν τοῦ κόσμου τούτου· νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω 12, 31. Contra non erit κρίσις, nisi Jesus ante abierit et Πνεῦμα descenderit: 16, 7—11.

Jesus est via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per eum 14, 6. Contra Jesus Patrem rogat ut Πνεῦμα veritatis etiam detur: 14, 16 sq.

Jesu discipuli non sunt amplius servi sed amici: ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν: 15, 15. Contra Jesus multa reticuit, quae Πνεῦμα discipulos docebit 16, 12 sq.

Jesu discipuli mittuntur εἰς τὸν κόσμον, sicuti Jesus a Patre missus fuerat: 17, 18. Idem fit sed non nisi accepto Spiritu 20, 21 sqq.

Ipse Jesus discipulos perpetuo consolabitur, sed ut locum paret, parumper eos deseret (16, 16 et 14, 19), donec iterum eos videbit (16, 22; 23[a]; 25; 26). Verum hoc quo discipuli gaudere debebant 16, 28, totum e conspectu nostro removetur, ut Jesus locum cedat Πνεύματι. Etenim audimus: jam non videbitis me, (16, 10), nihilque ut discipulos consoletur pollicetur praeter Πνεῦμα, quod Pater de coelo demittet. Legatur 14, 16 post 17, 24. Redactor ut dissensum obumbraret, addidit 16, 6 sqq.

Ex horum locorum collatione licebit efficere, pneumaticam fidem postea demum agglutinatam fuisse doctrinae de Jesu, nam si eos tantum locos haberemus, quos deinceps priore loco recensuimus et a quibus Πνεύματος mentio abest, nihil admodum ad integritatem desideraremus. Abest Pneuma et multa fiunt, quae *iterum* fiunt, eodem illo auctore praesente, cuius olim nulla mentio. Christum et Πνεῦμα animadverte, ut alter alterius vicem perpetuo sustineat: optimum hoc, sic nobis persuasimus, documentum est, diversam utriusque esse originem et discreta olim officia fuisse. Nunc attendendum est, Jesum esse Paracletum 1 Joh. 2, 1 (cf. Rom. 8, 34), Πνεῦμα autem Paracletum esse Joh. 14, 16;

26; 16, 7 (cf. Rom. 8, 26); deinde Apostolos de Jesu testimonium perhibituros esse 15, 27; Πνεῦμα autem idem facturum esse 15, 26. Vs. 27 eam habet speciem, quasi Pneumatici primos Apostolos conciliare voluerint; illud certe καὶ ὑμεῖς paene nimis puerile.

§ 4.

Tractatur caput XIII.

Ex iis quae supra disputavimus, sponte delabimur ad suspicionem Pneumaticorum fidem coaluisse demum cum doctrina de Jesu, *postquam* haec jam recepisset Johannis Baptistae discipulos, qui Deum patrem unice adorabant. Capite 13 documentum habemus unde appareat quomodo memorabilis ζήτησις ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου περὶ καθαρισμοῦ (cf. Joh. 3, 25) inter utramque sectam litem diremerit. Nempe narratio de pedum ablutione (13, 1—19), demtis involucris, ad vetustissimam formam revocanda est et statim incurrit in oculos esse quaedam obscura, quaedam autem quam maxime perspicua.

Obscura est introductio, vs. 1—3, in qua scriptor nobis videtur explicare voluisse quod mox tradetur. Legimus autem haec:

I. Jesus sentit appropinquare horam mortis. II. Ostendere voluit, se suos dilexisse in finem. III. Novit Patrem omnia sibi in manus dedisse. IV. Ablutio facta est ante diem festum Paschae; quae temporis notatio post 12, 1 supervacanea est ac proinde peculiari quodam modo ad rem videtur pertinere. Verum enimvero in omnibus hisce nihil inest, de quo statim perspicere possis, cur Jesum ad illam solemnitatem impellere debuerit. Itidem obscurum est vs. 7: γνώσῃ μετὰ ταῦτα, nam ipse Jesus mox (cf. vs. 8 sqq.) interpretatur quo consilio Apostolorum pedes laverit et mirus est usus singularis numeri, quum statim sequatur vs. 12 γινώσκετε.

Contra sex sunt res perspicuae admodum: I. Sine pedum lavatione non habet Petrus partem cum Jesu (vs. 8). II. Prae

ceteris Petrus est, qui postea sciet, quid Jesus fecerit (vs. 7). III. Pedum lavatio destinatur tantum τοῖς λελουμένοις et καθαροῖς (vs. 10). IV. Discipuli discipulis hoc officium praestare debent (ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας, vs. 14). Cf. 1 Tim. 5. 10, ubi viduae pedes lavant τῶν ἁγίων. V. Quod efficitur ex verbo νίψασθαι (vs. 10) coll. cum νίπτειν (vs. 12), Jesu discipuli etiam *semet ipsos* lavare possunt. In medio verbo cardo rei vertitur. VI. Jesus diserte provocat ad honoris titulos (vs. 13 quem nunc separatim consideramus a vs. 16, de quo post agemus).

Haec omnia numquam intelliget, qui vulgari ratione verbis adhaerescit. Ipsam quoque rem praeterea stupemus: posita veste Jesus postrema nocte exemplo discipulos docuit, etiam servilia ministeria fratribus praestanda esse. Exemplum certe effectu caruit, nam praeterquam quod semel quotannis in monasteriis uti et Romae et Viennae in regia extruitur ridicula scena, nemo officium deputat, quod melius et tutius servo tuo curandum mandabis.

Jam Chrysostomus, *homil.* 19 *in Epist. ad Ephes.* latere arbitratur exemplum mutui auxilii fraterno animo praestiti, sed Athanasius *ad Monach. cap.* 7 adhuc novit Hermiam quendam, cujus quasi officium fuit λούειν τοὺς ἀνεξόδους (quid hoc est?) et aequalis eius Cyrillus Alexandrinus 12, 15 Johannis caput 13 eo refert, quod Christus est quasi medicus et νηπίων amicus. Quin et sine ullis ambagibus loquitur Bernhardus Clarae Vallis (*Serm. in Coen. Dom.* 4): „Nam ut de remissione quotidianorum peccatorum minime dubitemus, habemus eius sacramentum pedum ablutionem." Sacramentum mansit apud complures sectas et apud Moravios fratres baptismus minor habetur, sed solus inter omnes S. Bernhardus rem acu tetigit.

Hic juvat componere locos qui sequuntur:

Evang. Joh. 13, 4: καὶ (Ἰησοῦς) τίθησι τὰ ἱμάτια· vs. 10: ὁ λελουμένος οὐκ ἔχει χρείαν κτέ.

Flav. Jos. Vitae § 2: πυθόμενός τινα Βανοῦν ὄνομα κατὰ τὴν ἐρημίαν διατρίβειν ἐσθῆτι μὲν ἀπὸ δένδρων χρώμενον .... ψυχρῷ δὲ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ

Evang. Joh. 13, 14b: καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας.

[Evang. Joh. 12, 3; 6: ἡ Μαριὰμ λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου .... ἤλειψε τοὺς πόδας Ἰησοῦ καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτῆς .... εἶπε δὲ (Ἰούδας) τοῦτο .... ὅτι .... τὸ γλωσσόκομον ἔχων κτέ.

Evang. Joh. 11, 54b: ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν .... εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν κἀκεῖ ἔμεινε μετὰ τῶν μαθητῶν. Cf. Joh. 1, 40; 7, 9; 10, 40].

Evang. Joh. 13, 2 sqq.: καὶ δείπνου γινομένου, ... ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου καὶ .... λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν .... καὶ ἤρξατο .... ἐκμάσσειν τοὺς πόδας τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος.

τὴν νύκτα πολλάκις λουόμενον πρὸς ἁγνείαν.

Antiq. 18, 2: οὔτε δούλων ἐπιτηδεύουσι κτῆσιν, τὸ μὲν εἰς ἀδικίαν φέρειν ὑπειληφότες .... αὐτοὶ δ' ἐφ' ἑαυτῶν ζῶντες διακονίᾳ τῇ ἐπ' ἀλλήλους ἐπιχρῶνται. Bell. Jud. 2, 8, 7: κἂν αὐτὸς ἄρχῃ, μηδέποτ' ἐξυβρίσειν εἰς τὴν ἐξουσίαν.

[Bell. Jud. 3, 2, 8: κηλῖδα δὲ ὑπολαμβάνουσι τὸ ἔλαιον, κἂν ἀλιφῇ τις ἄκων, σμήχεται τὸ σῶμα· τὸ γὰρ αὐχμεῖν ἐν καλῷ τίθενται .... χειροτονηταὶ δ' οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμεληταί .... μία δ' οὐκ ἔςιν αὐτῶν πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάςῃ κατοικοῦσι πολλοί].

Bell. Jud. 2, 8, 5: μέχρι πέμπτης ὥρας ἐργασάμενοι συντόνως ἔπειτα πάλιν εἰς ἓν ἀθροίζονται χωρίον, ζωσάμενοί τε σκεπάσμασι λινοῖς οὕτως ἀπολούονται τὸ σῶμα ψυχροῖς ὕδασι .... αὐτοί τε καθαροὶ καθάπερ εἰς ἅγιόν τι τέμενος παραγίνονται δειπνητήριον .... ἔπειτα ὡς ἱερὰς καταθέμενοι τὰς ἐσθῆτας πάλιν ἐπ' ἔργα μέχρι δείλης τρέπονται. Ibid. 7: τῷ δὲ ζηλοῦντι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν οὐκ εὐθὺς ἡ πάροδος, ἀλλ' ἐπ' ἐνι-

αυτὸν ἔξω μένοντι τὴν αὐτὴν ὑποτίθενται δίαιταν, ἀξινάριόν τε καὶ τὸ προειρημένον περίζωμα καὶ λευκὴν ἐσθῆτα δόντες.

Evang. Joh. 15, 15: πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν. Cf. Act. Apost. 20, 27.

Iurant novitii praeterea μὴ κρύψειν τι τοὺς αἱρετιςάς.

Quodsi praeterea contulerimus Hebr. 10, 22 sq., jam non poterit temerarium videri credere, τοὺς λελουμένους, i. e. Christianos, pedum ablutionem ab Essaeis recepisse, ut, permutata rei intima significatione, sacramentum constituerent, quod quum remissionem quotidianorum peccatorum indicaret, simul patefaceret quis hoc λελουμένου nomine vere dignus esset.

Nunc melius perspicimus, cur Joh. 13 tam diserta fiat lintei mentio, tum dum discipulos Jesus lavat, tum dum pedes exterget. Nunc perspicimus, cur Jesus hoc solemne instituerit tristi illa nocte, cui Synoptici aliud praeterea sacramentum tribuerant. Nunc imprimis perspicimus vs. 10 et quidem ad analogiam Joh. 4, 13 sq. (cf. etiam Joh. 13, 9 cum 4, 15): Qui lavatur secundum legem Essaeorum, nova ei identidem ablutione opus est; qui autem lavatur secundum Jesu legem, in perpetuum mundus erit; jam enim ex lavacro renatus exibit.

Neque inutile erat hoc disertis verbis declarare. Per multa saecula inter Christianos agitata quaestio fuit, utrum puritas penderet ex propria virtute an ex puro et casto Christi corpore, cui se quisque dicasset. An membra sancta debent esse ut sanctum sit corpus, quam Ecclesiam dicimus? Estne sanctum illud corpus pertinetque ea sanctitas ad omnia membra? Hoc probavit Catholica Ecclesia; reliquit autem sectis omnis generis, ut variis modis illud sequerentur. Jam in Novo Testamento certamen videmus et imprimis 2 Petr. 2, 20 coll cum Tit. 3, 4. In secunda Petri epistula, nam tota Epistula conferenda est, statuitur homines post magnam purificationem et baptismo inter fidelium numerum receptos, καθαρότητα amittere posse, ut τὰ ἔσχατα χείρονα

fiant. Notabile est quod additur loco qui laudatur e Proverbiis nempe 26, 11; adscribitur scilicet ὗς λουσαμένη εἰς κυλισμὸν βορβόρου, nam in ipso proverbio non memoratur nisi κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Non sane sine causa additum est illud λουσαμένη. Contra in Epistula ad Titum praedicatur λουτρὸν παλιγγενεσίας, quod nos reddet κληρονόμους κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. Redit eadem lis in prima Johannis epistula. Nempe secundum 1, 8 πλανῶμεν ἑαυτοὺς ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν (ὅτι καθαροὶ ὅλοι ἐσμέν), ubi puritas tota pendet ex propria mente et vitae instituto cf. 2, 9: ὁ τὸν ἀδελφὸν μισῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶν ἕως ἄρτι. Sisne ἐν τῇ σκοτίᾳ nec ne, diverso modo dijudicatur 2, 20 sqq. ubi tribuitur χρίσμα ἀπὸ τοῦ ἁγίου. Ψεύστης est ὁ ἀρνούμενος ὅτι Ἰησοῦς ἔστιν ὁ χριστός, sed ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει. Hoc χρίσμα, secundum vs. 27, μένει ἐν ὑμῖν· deinde aliter atque 1, 8 docemur 3, 6: πᾶς ὁ ἐν αὐτῷ μένων οὐχ ἁμαρτάνει et v. 9: πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ... καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν. Si quis accusat se ipsum vel de salute desperat: ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν καὶ γινώσκει πάντα. Hic, uti et Rom. 10, 9 id quaeritur quid tempore baptismi professi fuerimus: πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστίν, 4, 2: hic in professione fidei omnia insunt, hoc enim modo membra evadimus τοῦ ἁγίου σώματος et συνθαπτόμεθα αὐτῷ, Rom. 6, 4. Itaque: ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ μένει καὶ αὐτὸς ἐν τῷ θεῷ, 4, 15. In Deo si manemus, manemus in caritate (vs. 16)[1]), sub imperio immutabilis caritatis: φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ (vs. 18); itaque ne hoc quidem timemus ne aliquando ab gratia desciscamus: nullus omnino timor adest, nam ὁ ἔχων τὸν υἱὸν ἔχει τὴν ζωήν et relegat quis laudatos versus, ut comperiat quomodo Redactor, eodem modo quo in Evangelio factum est, veluti 15, 2—6, hic quoque quae philosophice enunciata fuerant, diluat et ad vulgi captum redigat.

---

1) Significatio illustratur, sic opinamur, Joh. 15, 9 et 10, utroque versu in fine.

Eodem modo populariter disputatur Hebr. 6, 4 sqq.; scriptor non credit perpetuo καθαρὸν esse mansurum, qui semel fuerit; negat, uti Theologi loquuntur, perseverantiam sanctorum. Imo contra: ἀδύνατον τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας . . . παραπεσόντας πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Solam normam sequitur quae bonis moribus censetur, qui sunt optimi fructus mutati animi: γῆ . . . ἐκφέρουσα ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀδόκιμος vs. 8. Itaque hic scriptor plane reiicit βαπτισπῶν διδαχήν vs. 2 atque sic tandem ad ipsum rei cardinem pervenimus. Quaestio an unum solum λουτρὸν in perpetuum praestare possit καθαρόν, quaestio de perseverantia sanctorum maximi momenti fit, sicubi lapsi inveniuntur, qui ad ecclesiae communionem redire cupiunt. Licetne eos ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν; Negatur ac pernegatur secundum dogma Catharorum, quod dogma multo est vetustius quam ipsa secta. Si quis a Christo defecit, nulla umquam flagitii remissio. Secundum Catholicos absolutio enixe petenti negari non debebat; sic postea constituit Callistus Pontifex (217—222); sic octavus canon Concilii Nicaeae habiti; sed sic jam Luc. 12, 10ᵇ contra 10ᵃ [1]).

Tenebatur pulchrum illud ἀγαπήσας — εἰς τέλος 13, 1ᶜ, quod nunc demum recte intelligimus (h. e. usque ad discipulorum obitum [2]). *Pedum* ablutio monstrabat *perseverantiam sanctorum* quemadmodum legimus: οὐχ ἁρπάσει τις τὰ

---

1) Nempe propter Joh. 20, 22 et Matth. 16, 19, adhibita cautione quae legitur Matth. 18, 17. Canon quidam Apostolicus, qui repetitur ex posteriore parte tertii saeculi, episcopo vel sacerdoti abrogat, qui post poenitentiam peccatori absolutionem denegarit. S. Communio et nova inter fideles receptio, quibus *canonica absolutio* continetur, non *necessario* cohaerebant cum peccatorum remissione, quam *sacramentalem absolutionem* appellabant eaque plena restitutio in integrum post nefaria crimina saepe non nisi exacta vita concedebatur, nam Ecclesia remissionem concedens, non ideo simul poenam quoque remittebat idque agebat, ut divinae justitiae satisfieret, ut Ecclesiae injuria illata compensaretur, ut virtus intentius coleretur, denique ne quis temere laberetur poenae lenitate illaqueatus. Codicibus poenalibus Ecclesia certum jus constituerat et medio saeculo tertio in concilio quodam Africano jam talis codicis mentio fit. In occidenti admissio ad communionem fit feria quinta. Haec descripsimus ex praeclaro libro H. J. Schmitzii: *die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche. Nach handschriftlichen Quellen.* Mainz 1883.

2) In hoc Evangelio ἴδιοι numquam sunt Jesu discipuli, sed fideles in universum.

πρόβατα τὰ ἐμὰ ἐκ τῆς χειρός μου Joh. 10, 28 (cf. 17, 12 quo respicitur 13, 3). Errores nostri non abalienant animum ab summo Duce. Quo quis pulvere undique collecto commaculatus est, is alias atque alias abluitur. Ecclesiae est arcae Noach instar, quae munda servat et immunda (Gen. 7, 2)[1]. Ecclesia est domus Dei, in qua etiam vasa sunt inhonesti usus: ἔγνω (non adeo ipsa Ecclesia, sed) ὁ κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ (2 Tim. 2, 19 sq; aliter Numer. 16. 5; 26) Ecclesia rete est: βάλετε ... τὸ δίκτυον καὶ εὑρήσετε. Non possunt rete in terram trahere ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων καὶ τοσούτων ὄντων (Cathari, Novatiani, Montanistae, Donatistae, Franciscani, Anabaptistae, Puritani, Darbistae cet. semper reponere volunt electorum purissimam cohortem) τοσούτων ὄντων οὐκ ἐσχίσθη τὸ δίκτυον (Joh. 21). Pneumatice, negas te lapsos recipere velle? At Jesus eum qui ter lapsus est, toti Ecclesiae praeposuit: ποίμαινε τὰ προβάτιά μου, et ad Petrum occupat dicere: γνώσῃ μετὰ ταῦτα (13, 7). Sint qui severiorem normam adhibere velint: at Jesus, Dominus noster et Magister, aliud ὑπόδειγμα dedit, non parcus fuit gratiae et statuit etiam lapsum restitui posse in integrum (vs. 16 interpolatus est)[2].

Nunc demum bene intelligimus quod capite 13 narratum fuit. Scilicet instituitur sacramentum pedum ablutionis,

---

1) In vetere Ecclesia creber est hujus imaginis usus. Propter ea quae supra diximus, memorabile est 2 Petr. 2, 5 animalia non nominari, sed patriarchae Noe familiam.

2) Interpolator neque ὑπόδειγμα intellexit, neque vs. 13, quem versum omisit conferre cum Joh. 15, 15. Vs. 13 Jesus dicere voluit: Sum κύριος itaque rem instituam quomodo voluero. Locis qui leguntur Matth. 10, 24 et Luc. 22, 27 praeterea demonstratur Joh. 13, 16 non unice referri ad pedum ablutionem. Erat de volantibus verbis unum, quod numquam inepte addebatur. Itidem interpolati sunt vss. 10b; 11 ac proinde vs. 2; cf. 13, 27, ne lapsorum absolutio extenderetur ad traditorem. Apud solum Johannem Judas loculos habet (12, 6). Fortasse aliquid acciderat cuidam ex Essaeis illis, quos apud Josephum supra vidimus habuisse loculos. Odium Essaeorum itidem latet 12, 1, nam *pedes* videmus unguento delibutos vs. 3, sed res aliter narratur apud Matthaeum et Marcum. Nempe respiciebantur qui ab unguentorum usu abhorrebant; cap. 12, 3c collatus cum 11, 39b Evangelii imaginem offert, solitariae Essaeorum superbiae oppositam, cf. 2 Cor. 2, 14; 16.

h. e. remissionîs quotidianorum peccatorum. Numquam tot additamenta adglutinata fuissent, si penes Catholicam normam jam fuisset victoria, quo tempore quartum Evangelium in lucem editum est. Id minime continuo factum fuisse credimus, nam severitas Catharorum, vel eorum qui ante Catharos fuerunt, multo dignior videbatur esse et plerisque Christianis propemodum innata. Qui oculos alte attollere nequeunt, indulgentiam cum conniventia confundere solent, quum homines adspirare nequeant ad id quod summum est. Itidem qui ingenium non potuerunt excolere, inexorabiles logices leges admirantur tanquam indubium instrumentum quod recta via ducit ad veritatis penetralia. Non nisi sanctus respicit peccatricem ad genua provolutam illudque profert sine exemplo magnum: Remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Pauci intelligebant quantum novi inesset in illo: *Credo Ecclesiam Sanctam*, et tamen provenit tum demum, quod quantum novimus, nusquam alibi provenerat, neque erat proventurum.

Nihil Christiana religio maius et excelsius protulit quam Ecclesia est, quae tuetur persuasionem nulli secundam adversus legis arbitrium; quae testatur esse quorum mentes altius evolent, quam quo reliqui mortales adspirare possint; quae denique universitas nascentes populos educat et intereuntes comitatur; quae simplici ritu diversissimos mortales ad se allicit: doctos et indoctos, viros, mulieres et pueros, Graecos et barbaros eosque omnes consociat, modo militans et bellum gerens adversus δυνάμεις τοῦ αἰῶνος τούτου, modo alma mater quae liberos complexu suo nutrit ac fovet.

Quam parum ab interitu abfuisset illa κοινωνία, quam Aristoteles ne suspicatus quidem est, si sectarum zizania vicissent, hoc est, si vicisset superbia, quae pro imperio jus dicit et dissociat; si vicisset arrogantia eorum qui praeter suos neminem alium sapere arbitrantur; si vicissent denique illi, qui profanum scilicet vulgus oderunt et arcent. Sed benefactum quod Catholicorum causa triumphavit. Nihil eximium contuetur, qui se jam appropinquare opinatur ad id quod summum est, pueri ritu qui in Acroceraunio monte

solem facilius se apprehendere posse sperat. Verior intelligentia fuit eius qui pronunciavit neminem esse bonum praeter unum. Epidauri aedes Aesculapii puris hominibus patet; Magnus Medicus hospitio suo inscripsit: ΑΓΑΠΗ. Catholica Ecclesia, quae devicit pneumaticam philosophiam et Essaicam morum puritatem, homines ut erigat, non hoc agit ut sibi placeant, sed ut intelligant, nihil boni ac ne lacrimam quidem perire apud eum, qui ex commaculato humano genere corpus sibi paravit, quod de Suo Sancto Nomine appellavit.

Ab altera parte legimus ὅτι ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ab altera parte tamquam in picta tabula respondet pedum ablutio. Nugantur πνευματικοὶ de immenso intervallo quo dirimuntur σαρκικοί· imo ipsum Verbum mortalis caro est [1]) nec καθαρὸν intelligimus „integrum vitae" vel τὸν ὄντα ἐν τῷ οὐρανῷ, sed τὸν λελουμένον qui quotidie νίζεται. Ineffabili modo caritas illud intervallum superavit et purus fuit qui ad impuros dixit: ὑμεῖς καθαροί ἐςε, οὐκ ἔχετε χρείαν ἢ πόδας νίψασθαι. Proclamatum fuit: *Misereor super turbas* et super caducas res humanas, dum missa celebratur, longe lateque exauditur: *Credo Ecclesiam Sanctam* et *Incarnatus est.* Curat Ecclesia ut superne gaudium sit: χαρὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ (Luc. 15).

Itaque Bernhardus Clarae Vallis revera vindicavit legitimam possessionem Ecclesiae Catholicae. Aderat *res significata* sicuti Theologi loquuntur, sed *sacramentum significans* contendebat restituendum esse. Antequam imperium adepta est, Catholica secta hoc sacramentum usurpabat (1 Tim. 5, 10), cuius caerimonias ab Essaeis mutuata erat, sed adepta est imperium mutuis concessionibus et sacramentum pedum ablutionis tenere non potuit, quoniam brevi ante editum fuerat quartum Evangelium, in quo hoc caput 13 et imprimis cap. 6, 51c sqq., a quo versu Ecclesia Catholica subsidium petebat adversus Christianorum ὠμοφαγίαν, qua

---

1) Cyrillus Hierosolymitanus 12, 15: Salvi sumus, inquit, eadem re, qua diabolus nos superare solebat: nempe σάρκα intelligit.

etiam magis offendebatur Ecclesia quam ipso sanguinis haustu et quam eo lubentius abrogare cupiebant, ut eos satisfacerent, qui carnis manducationem omnino improbabant (Rom. 14, 1 sqq)[1]). Quum panis substituebatur τῷ χριϛοῦ σαρκί, eodem tempore Ecclesia conciliabat pneumaticos. Si quis diceret: ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ respondebant pneumatici: σκληρός ἐϛιν ὁ λόγος οὗτος· τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; τὸ Πνεῦμά ἐϛι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ (scil. τοῦ χριϛοῦ) οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν· τὰ ῥήματα ἃ ὁ λόγος λελάληκεν ἡμῖν πνεῦμά ἐϛι καὶ ζωή ἐϛιν (vrs. 60, 63; 2 Cor. 3, 6). Obturatum eis os fuit vs. 51c: ὁ ἄρτος κτὲ[2]).

§ 5.

Quid in quarto Evangelio ex Graeco fonte fluxerit.

Pleraque omnia quibus Epistulae constant quas examinavimus, Judaicam originem habent; sed quarti Evangelii diversa ratio est. Imo videmus inter vetustissimos scriptores

---

1) Joh. 6, 51c: ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ μου ἐϛίν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς et quae sequuntur, distinguenda sunt a vss. 30 sqq. Ibi Jesus citra ullam controversiam metaphorice loquitur. Deus (ὁ πατήρ) dat panem de caelo et ipse Jesus hic panis est (vss. 32 et 35). Metaphora est neque umquam ipse Jesus mauducari dicitur et qui esurit „venit" ad eum (vs. 35). Nec murmurant Judaei quod Jesus manducari debet, sed quod de coelo descendisse dicebatur, cuius parentes nossent (vs. 42). Etiam vs. 50 tantummodo legitur: ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ (scil. ἄρτου ζωῆς) φάγῃ. Sed inde ab 51c novum incipit argumentum. Non amplius Jesus ipse panis *est*; *dabit* enim, neque ille panis repraesentat, quod v. c. vs. 35 cogitare jubemur, spirituale nutrimentum, quod fidelis in Christo habet, sed *carnem* ejus. Nunc demum obvertunt Judaei quod legimus vs. 52. Nunc ζήσεται vs. 51 fit οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς (vs. 53), nec vita fructus *erit* doctrinae, qua Jesus discipulos suos imbuet, sed qui manducavit, vitam in se ipso *habet*. Itaque additus fuit 51c ut crudae carni panis substitueretur.

2) In M. Schwalbii opere: *Unsere vier Evangeliën erklärt und kritisch geprüft*, quod opus nuper Berolini prodiit, multae difficultates hujus narrationis probe notatae sunt, sed explicatio parum sufficit: „Diesen Schwierigkeiten .... entzieht man sich am sichersten, wenn man .... muthig den Standpunkt allegorischer Auslegung einnimt, auf welchen der Evangelist selbst seine denkenden Leser durch die Unwahrscheinlichkeit seiner Erzählung, durch die unglaubliche Behauptung, dass das Heil von der Fusswaschung abhänge .... deutlich genug hinweist .... Diese Erzählung (ist) eine sinnbildliche Darstellung alles dessen, was der Logos für die Seinigen gethan hat." Numquid ea via proficimus?

qui de religione Christiana egerunt, fuisse, qui Mosaïcae legis plane ignari, ad Jesum sese applicarent, nondum depositis opinionibus, quas olim imbuerant, adeo ut imago Filii Dei quam exhibent, Graecam originem tam evidenter prodat, quam facile est dicere cuias fuerit qui nostris temporibus Graecam statuam repraesentare voluerit.

Dum quartum Evangelium legimus, identidem subit Dionysi imago, qualis ab Euripide depingitur in tragoedia: ecce loci paralleli:

Eurip. Bacch.	Quart. Evang.
vs. 434:	18, 3 sqq.: ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας ἔρχεται ἐκεῖ ... Ἰησοῦς οὖν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα, ἐπ' αὐτὸν ἐξῆλθε καὶ λέγει αὐτοῖς· Τίνα ζητεῖτε κτέ.
Πενθεῦ πάρεσμεν τήνδ' ἄγραν [ἠγρευκότες, ἐφ' ἣν ἔπεμψας, οὐδ' ἄκρανθ' [ὡρμήσαμεν· ὁ θὴρ δ' ὅδ' ἡμῖν πρᾶος οὐδ' [ὑπέσπασε φυγῇ πόδ', ἀλλ' ἔδωκεν οὐκ [ἄκων χέρας, οὐδ' ὠχρὸς οὐδ' ἤλλαξεν οἰνωπὸν [γένυν, γελῶν δὲ καὶ δεῖν κἀπάγειν ἐφίετο ἔμενέ τε τοὐμὸν εὐπετὲς ποιού- [μενος.	
vs. 472: ἄρρητ' ἀβακχεύτοισιν [εἰδέναι βροτῶν.	6, 53: ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς.
vs. 477: ἀσέβειαν ἀσκοῦντ' ὄργι' [ἐχθαίρει θεοῦ.	3, 20: πᾶς ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς.
vs. 481:	
Π. τοῦτ' αὖ παρωχέτευσας εὖ [κοὐδὲν λέγων.	
Δ. δόξει τις ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων [οὐκ εὖ φρονεῖν.	19, 9b: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ.
vs. 485 sq.:	Joh. 3, 2; 6, 17; 8, 1
Π. τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ ἢ μεθ'	(Jesus pernoctatur in monte

[ἡμέραν τελεῖς;
Δ. νύκτωρ· τὰ πολλὰ σεμνό-
[τητ' ἔχει σκότος.

Oliveti); 8, 59; 12, 36 (repente evanescit) cf. 10, 39. Sed imprimis 13, 30 (ultima coena et ultima colloquia nocturno tempore). Vide denique 11, 9; 10, qui versus scripti videntur eo consilio ut opponantur versibus quos supra laudavimus.

vss. 498 sqq.:
Δ. λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς,
[ὅταν ἐγὼ θέλω.
Π. ὅταν γε καλέσῃς αὐτὸν ἐν
[Βάκχαις ϛαθείς.
Δ. καὶ νῦν ἃ πάσχω, πλησίον
[παρὼν ὁρᾷ.
Π. καὶ ποῦ 'ϛὶν; οὐ γὰρ φανερὸς
[ὄμμασιν γ' ἐμοῖς.
Δ. παρ' ἐμοί· σὺ δ' ἀσεβὴς
[αὐτὸς ὢν οὐκ εἰσορᾷς.

8, 29: καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐϛὶν· οὐκ ἀφῆκέν με μόνον.
5, 37: οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ὑμῖν μένοντα.

vs. 641: πρὸς σοφοῦ γὰρ ἀνδρὸς
[ἀσκεῖν σώφρον' εὐοργησίαν.

18, 23: εἰ κακῶς ἐλάλησα, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις;

vss. 648 sqq.:
Π. πόθεν σὺ δεσμὰ διαφυγὼν
[ἔξω περᾷς;
Δ. οὐκ εἶπον ἢ οὐκ ἠκουσας ὅτι
[λύσει με τις;
Π. τίς;
Δ. ὃς τὴν πολύβοτρυν ἄμπελον
[φύει βροτοῖς.

11, 40: Οὐκ εἶπόν σοι ὅτι... ὄψῃ τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ.

15, 1: ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐϛιν.

vs. 787: Δ. πείθει μὲν οὐδέν,
[τῶν ἐμῶν λόγων κλύων.

6, 36: ἀλλ' εἶπον ὑμῖν ὅτι καὶ ἑωράκατέ με καὶ οὐ πιϛεύετε. Cf. 8, 46: εἰ ἀλήθειαν λέγω, διὰ τί ὑμεῖς οὐ πιϛεύετέ μοι; 10, 25: εἶπον ὑμῖν καὶ οὐκ ἐπιϛεύσατε.

Ex ea locorum compositione apparet in quarto Evangelio quaedam tradi, ad quorum similitudinem alia in Bacchi cultu indicare potuimus. Apud Johannem capp. 18 et 19 describitur Deus cum inter populares inimicos tum apud judicem, qui non capit dignitatem, quam dedit virtutis conscientia; sed huius descriptionis quasi prima lineamenta in Euripidis Bacchis insunt. Cogita intervallum saeculorum minimum quinque et minus jam fortasse miraberis quomodo Bacchus apud Pentheum in coelum evectus sit, donec exiret sanctissima imago Christi apud Pilatum.

Ecce alii loci paralleli qui itidem nostra animi attentione digni videntur:

Pausan. 6, 26, 1.	Quartum Evangelium.
Θεῶν δὲ ἐν τοῖς μάλιςα Διόνυσον σέβουσιν Ἠλεῖοι καὶ τὸν θεόν σφισιν ἐπιφοιτᾶν ἐς τῶν Θυίων τὴν ἑορτὴν λέγουσιν· ἀπέχει μέν γε τῆς πόλεως ὅσον τε ὀκτὼ ςάδια, ἔνθα τὴν ἑορτὴν ἄγουσι Θυῖα ὀνομάζοντες· λέβητας δὲ ἀριθμὸν τρεῖς ἐς οἴκημα ἐσκομίσαντες οἱ ἱερεῖς κατατίθενται κενούς, παρόντων καὶ τῶν ἀςῶν καὶ ξένων, εἰ τύχοιεν ἐπιδημοῦντες· σφραγῖδας δὲ αὐτοί τε οἱ ἱερεῖς καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἂν κατὰ γνώμην ᾖ, ταῖς θύραις τοῦ οἰκήματος ἐπιβάλλουσιν, ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν τά τε σημεῖα ἐπιγνῶναι πάρεςί σφισι καὶ ἐσελθόντες ἐς τὸ οἴκημα εὑρίσκουσιν οἴνου πεπλησμένους τοὺς λέβητας. ταῦτα Ἠλείων τε οἱ δοκιμώτατοι ἄνδρες σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ ξένοι κατώμνυντο ἔχειν κατὰ τὰ εἰρημένα, ἐπεὶ αὐτός γε οὐκ ἐς καιρὸν ἀφικόμην τῆς ἑορτῆς.	2, 1—11. Jesus Canae interest nuptiis et aquam in vinum commutat.

Plutarch. mor. Ed. Dübner. I p. 474 (de EI ap. Delphos 9) Διόνυσον δὲ καὶ Ζαγρέα ... ὀνομάζουσι καὶ φθοράς τινας καὶ ἀφανισμοὺς (οἱ) τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας οἰκεῖα ταῖς εἰρημέναις μεταβολαῖς αἰνίγματα καὶ μυθεύματα περαίνουσι [1]).

16, 16: μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με. Cf. 14, 19 et locos supra laudatos, ubi Jesus repente e conspectu evanescit; imprimis autem 12, 24.

Nec negligendum est, etiamsi res fortasse tanti non sit, quod Plutarchus cupit demonstrare Συμποσ. προβλ. IV, 6: τίς ὁ παρὰ Ἰουδαίοις θεός. Est certe aliquid nullum Graecum deum scriptorem reperire potuisse, quem cum Judaeorum Deo componeret praeter Bacchum. Mutatis mutandis etiam hodie idem exclamare licet, quod Symmachus exclamat, qui colloquio interest: ἆρα .... σὺ τὸν πατριώτην θεὸν .... Διόνυσον ἐγγράφεις καὶ ὑποποιεῖς τοῖς Ἑβραίων ἀπορρήτοις; ἢ τῷ ὄντι λόγος ἐςί τις ὁ τοῦτον ἐκείνῳ τὸν αὐτὸν ἀποφαίνων;

Ad quantam perfectionem adductus fuerit Bacchi cultus, idem docet ibidem VII, 10: τοὐναντίον δὲ οἱ παλαιοὶ τὸν θεὸν Ἐλευθερᾶ καὶ Λύσιον ἐκάλουν .... οὐ διὰ τὸ βακχεύσιμον καὶ μανιῶδες, ὥσπερ Εὐριπίδης εἶπεν, ἀλλ' ὅτι τὸ δουλοπρεπὲς καὶ περιδεὲς καὶ ἄπιςον ἐξαιρῶν καὶ ἀπολύων τῆς ψυχῆς, ἀληθείᾳ καὶ παρρησίᾳ χρῆσθαι πρὸς ἀλλήλους δίδωσιν. Itidem ibidem V, 6 quaeritur τίς αἰτία τῆς ἐν ἀρχῇ ςενοχωρίας τῶν δειπνούντων, εἶτα ὕςερον εὐρυχωρίας, deinde multae explicationes proferuntur, tandem invenimus confirmatum, quod Plutarchus diserte tradidit in libro de EI apud Delphos, nimirum arcta necessitudine Bacchum cum Apolline conjungi. Sicuti Apollo Bacchus praeest morum emendationi et concordiae et conferre licet de Alexandri Fort. Orat. 1, 10, ubi Alexander significat velle se τὴν Ἑλλάδα σπεῖραι et simul τὰ Διονύσου μετιέναι ἴχνη. Dum coenamus, Lamprias ait, habemus duos ἐπιςάτας τε καὶ ἡγεμόνας, ἐν ἀρχῇ μὲν τὸν λιμόν .... ὕςερον

---

1) Etiam Julianus Orat. VII, 221 Bacchum appellat τὸν κρύφιον ἅμα καὶ φανερὸν θεόν.

δὲ τὸν Διόνυσον, ὃν πάντες ἄριστον γεγονέναι στρατηγὸν ὁμολογοῦσιν .... ἡμᾶς ὁ Λυαῖος θεὸς καὶ χορεῖος εἰς τάξιν ἱλαρὰν καὶ φιλάνθρωπον καθίστησιν. Apud Virgilium Aen. 1, 734: Adest laetitiae Bacchus dator et bona Juno, Bacchi et saevae Deae mentionem Dido conjungit [1]). Itaque ille χαριδότης Διόνυσος (Sept. Sap. Conv. 15) sine impietatis crimine poterit exemplum haberi Dei filii, cuius verba sunt Joh. 16, 22: τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν· imo 15, 11: ταῦτα λελάκημα ὑμῖν ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν ᾖ καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ quique dum Deum precatur ita dicit 17, 13: νῦν δὲ πρὸς σὲ ἔρχομαι καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ ἵνα ἔχωσι τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν πεπληρωμένην ἐν αὐτοῖς. Sed nusquam fortasse luculentius apparet, quanto purior ac divinior Bacchi cultus tractu temporis factus sit quam Sept. Sap. Conviv. 13: αἱ δὲ Μοῦσαι καὶ παντάπασιν (scil. nos reprehendent), εἰ νομίζοιμεν αὐτῶν ἔργον εἶναι κιθάραν καὶ αὐλούς, ἀλλὰ μὴ τὸ παιδεύειν τὰ ἤθη .... οὐκοῦν οὐδὲ τῆς Ἀφροδίτης ἔργον ἐστὶ συνουσία καὶ μῖξις, οὐδὲ τοῦ Διονύσου μέθη καὶ οἶνος, ἀλλ' ἣν ἐμποιοῦσι διὰ τούτων φιλοφροσύνην καὶ πόθον καὶ ὁμιλίαν ἡμῖν καὶ συνήθειαν πρὸς ἀλλήλους· ταῦτα γὰρ ἔργα θεῖα καλεῖ Σόλων καὶ ταῦτά φησιν ἀγαπᾶν καὶ διώκειν μάλιστα πρεσβύτης γενόμενος .... τοῖς δὲ πολλοῖς καὶ μὴ πάνυ συνήθεσι μηδ' ἄγαν γνωρίμοις, ὁ Διόνυσος ὥσπερ ἐν πυρὶ τῷ οἴνῳ μαλάσσων τὰ ἤθη καὶ ἀνυγραίνων ἀρχήν τινα συγκράσεως πρὸς ἀλλήλους καὶ φιλίας ἐνδίδωσιν· quibuscum verbis conjungimus Quaest. Conviv. 1, 1, 3: αὗται (scil. Musae) (Διόνυσον) ταῖς ψυχαῖς μειλίχιον ὄντως καὶ χαριδότην ἐπεισάγουσι. Quin et adeo mutata fuit Dei indoles, ut etiam sobrii Bacchum colerent; cf. de Sanit. praec. 19: καὶ γὰρ αὐτῷ τῷ Διονύσῳ πολλάκις νηφάλια θύομεν, ἐθιζόμενοι καλῶς μὴ ζητεῖν ἀεὶ τὸν ἄκρατον. Etiam apud Lucianum qui Deos non reverentissime colit, verba sunt Jovis ad Junonem (Deor. Dial. 18): οὐδὲ ὁ Διόνυσος ποιεῖ, τὸ δὲ ἄμετρον τῆς πόσεως eam licentiam quam Juno exagitarat.

---

1) Quod secundum Plutarchum numquam fiebat (cf. fragmt. IX). Sed contradicit Lucianus de Syria Dea, 16.

Concedendum est, haud parum fuisse in Bacchi cultu, quod homines altius et purius interpretari possent. Veluti quod ad novos natales attinet, de quibus dicitur Joh. 3 componemus Diodori Siculi locum 3, 62 sqq.: Διμήτορα δὲ Διόνυσον ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὠνομάσθαι, μιᾶς μὲν καὶ πρώτης γενέσεως ἀριθμουμένης ὅταν τὸ φυτὸν εἰς τὴν γῆν τεθὲν λαμβάνῃ τὴν αὔξησιν, δευτέρας δὲ ὅταν βρίθῃ καὶ τοὺς βότρυς πεπαίνῃ, ὥςε τὴν μὲν ἐκ γῆς, τήνδ' ἐκ τῆς ἀμπέλου τοῦ θεοῦ νομίζεσθαι, ubi non possumus non recordari Joh. 15, 2: πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπόν, αἴρει αὐτό· hoc enim erat documentum παλιγγενεσίαν desiderari, quam frustra exspectat ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς. Extremo autem capite 64 Diodorus diserte docet: Διόνυσον καταδεῖξαι δὲ καὶ τὰ περὶ τὰς τελετὰς καὶ μεταδοῦναι τῶν μυςηρίων τοῖς εὐσεβέσι τῶν ἀνθρώπων καὶ δίκαιον βίον ἀσκοῦσι. Et cap. 65 init.: διαβοηθείσης δὲ κατὰ πάντα τόπον τῆς τοῦ θεοῦ παρουσίας, καὶ διότι πᾶσιν ἐπιεικῶς προσφερόμενος πολλὰ συμβάλλεται πρὸς τὴν ἐξημέρωσιν τοῦ κοινοῦ βίου, πανδημεὶ συναντᾶν αὐτῷ καὶ προσδέχεσθαι μετὰ πολλῆς χαρᾶς. Et cap. 73: διὸ καὶ πάντας τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πρὸς τοὺς ἄλλους θεοὺς τιμαῖς οὐχ ὁμοίαν ἔχοντας προαίρεσιν ἀλλήλοις σχεδὸν ἐπὶ μόνου τοῦ Διονύσου συμφωνουμένην ἀποδεικνύειν μαρτυρίαν τῆς ἀθανασίας· οὐδένα γὰρ οὔθ' Ἑλλήνων οὔτε βαρβάρων ἄμοιρον εἶναι τῆς τούτου δωρεᾶς καὶ χάριτος. Etiam Julianus Orat. VII, 221, ubi de Baccho agit, ludicre componit ἡμερίδα et ἡμεροῦν.

Propter haec atque alia ejusmodi testimonia credere licet, inter ea quibus Christiana religio sua debet, illud etiam annumerandum esse, quod imagines Deorum, quas Graeci mente concepissent, novam paulatim eamque multo puriorem et excellentiorem formam induerint, quo factum est ut homines, quum novus quasi color veteribus signis additus esset, desertis veteribus nominibus, optimum quodque contulerint in Sanctum Nomen Messiae Hebraeorum, τοῦ Σωτῆρος. Verisimile est hoc factum fuisse diu antequam quartum Evangelium componeretur, quum doctrina de veteribus Diis in hoc libro non impugnetur vel refutetur. Praeterea conjicimus, omnia in Jesum fuisse translata,

quum Λόγος medius intercederet. Apud Clementem Alexandrinum Λόγος perpetuo is est, qui Deus in Vetere Testamento dicitur et in Novo Iesus. Nec miramur Λόγου nomen translatum fuisse ad Jesu *personam*, cum videamus idem fere Mercurio accidisse. Ep. 101 Synesius Marcianum salvere jubet et pergit: ὃν εἰ προλαβὼν Ἀριςείδην Ἑρμοῦ λογίου τύπον εἰς ἀνθρώπους ἔφην ἐληλυθέναι, μόλις ἂν κτέ. itidemque Julianus in Oratione IV init.: ἔμοιγε τούτου παραςαίη βοηθὸς ὁ λόγιος Ἑρμῆς.

Sed ut ad Bacchum redeamus, videmus apud Julianum Orat. VII, 222, quomodo Imperator Bacchum et Λόγον eodem loco habeat et mystica unione delectetur: Διονύσῳ.... προσεύχομαι τάς τε ἐμὰς καὶ τὰς ὑμετέρας ἐκβακχεῦσαι φρένας ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τῶν θεῶν γνῶσιν .... ὅτῳ γὰρ μὴ τὸ πεπληθυσμένον τῆς ζωῆς ὑπὸ τῆς ἑνοειδοῦς καὶ ἐν τῷ μεριστῷ παντελῶς ἀδιαιρέτου ὅλης τε ἐν πᾶσιν ἀμιγοῦς προϋπαρχούσης οὐσίας τοῦ Διονύσου τελεσιουργηθείη διὰ τῆς περὶ τὸν θεὸν ἐνθέου βακχείας, τούτῳ κίνδυνος ἐπὶ πολλὰ ῥυῆναι τὴν ζωήν, ῥυεῖσαν δὲ διεσπάσθαι καὶ διασπασθεῖσαν οἴχεσθαι. Hujus dei vestigia vult premere Imperator; tu enim, inquit, o Themistie, animum meum altius erexisti quam ipse solus jam erexeram: τὸν ἀγῶνα τῷ παντὶ χαλεπώτερον ἔδειξας, ἐν ταύτῃ παρὰ τοῦ θεοῦ τετάχθαι με τῇ μερίδι λέγων, ἐν ᾗ πρότερον Ἡρακλῆς καὶ Διόνυσος ἐγενέσθην φιλοσοφοῦντες ὁμοῦ καὶ βασιλεύοντες καὶ πᾶσαν σχεδὸν τῆς ἐπιπολαζούσης κακίας ἀνακαθαιρόμενοι γῆν τε καὶ θάλατταν. Nimirum Imperator similis esse volebat Bacchi, quoniam secundum Porphyrium hic deus est finitarum rerum et opponitur Jovi qui regit quae ὄντως sunt. Hic licebit in memoriam lectoribus revocare Porphyrii fragmentum quod Olympiodorus laudavit in Commentario ad Phaedonem; nobis locus innotuit ex Cousinii libro: *Fragments de philosophie ancienne* p. 460: „Il y a deux sortes de créations, l'une indivisible, l'autre divisée: à la première préside Iupiter, à la seconde Bacchus; c'est pour cela qu'il est mis en pièces." Hic Bacchus, uti vides, Zagreus est, quem tanta sanctimonia colit qui apud Euripidem loquitur frgmt. 475:

ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν ἐξ οὗ

Διὸς Ἰδαίου μύςης γενόμην,
καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως βροντάς
τάς τ' ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας
Μητρί τ' ὀρείῳ δᾷδας ἀνασχών
καὶ Κουρήτων
βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.
πάλλευκα δ' ἔχων εἵματα φεύγω
γένεσιν τε βροτῶν κτέ.

Ita loquitur apud Porphyrium qui locum servavit (*de Abstinentia* 4, 19) unus ἐκ τῶν Διὸς προφητῶν ἐν Κρήτῃ. Licebitne illas Ζαγρέως βροντάς componere cum Joh. 12, 29, ubi permire traditur: ὁ οὖν ὄχλος ὁ ἑςὼς καὶ ἀκούσας ἔλεγεν βροντὴν γεγονέναι? Hoc certe videmus vetustis Christianis scriptoribus molestam fuisse convenientiam eorum quae de Jesu et de Baccho tradebantur. Bis hoc argumentum tractavit Justinus Martyr; vide Apolog. prior. 54 et Dial. c. Tryph. 69. Daemones exceperant scilicet vaticinia, qualia sunt Gen. 49, 11: ligat ad vineam pullum suum .... lavat in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum, atque sic finxerant de Baccho fabulam. Itidem memorabile est quod Justinus Apol. prior. 22 Mercurium, cui λογίῳ cognomentum est et Perseum qui virgine natus est similiaque omnia refert ad ea quae Gentiles et Christiani κοινά habebant idemque affirmat: quum in iis quae tradimus ab Graecis vix discrepamus, incurrimus in odium propter Christi nomen.

CAPUT NONUM.

VETERUM CHRISTIANORUM DE PERFECTO HOMINE OPINIONES.

Christianorum Christus ille Christus est, qui describitur in Evangeliis, quae Ecclesia Catholica recepit; sed est Ecclesia vere Catholica propterea quod diversissimas sectas una complexa est itaque necessario sequitur, dummodo illud probatur, prodiisse Christum quem novit Ecclesia Catholica, ex conjunctione variarum opinionum, quae singulis sectis olim fuerant propriae.

Ipsum Novum Testamentum commonstrat plures olim fuisse Christos; cf. 1 Cor. 8, 5 sq.; 2 Cor. 5, 16 (κατὰ σάρκα vide supra est idem quod κατὰ νόμον, neque amplius novit scriptor Israelitarum Christum), 1 Cor. 1, 13 (qui *suum* Christum solum verum deputat, huic, uti aequum est, πολλοὶ χρισοὶ odio sunt); Matth. 24, 5; Philipp. 1, 15—18 (nec fuit certe *Pauli* ille Christus, quem ex contentione quidam annunciabant non sincere, existimantes pressuram se suscitare Apostoli vinculis); 1 Tim, 2, 5 (ubi diserte *homo* Christus Jesus Deo opponitur); Tit. 2, 13 et 2 Petr. 1, 1 (ubi plane contra Christus magnus noster *Deus* dicitur); denique Joh. 1, 1 sqq. (ubi Verbi doctrina traditur, quae doctrina in Novo Testamento peculiarem locum habet).

In quatuor Evangeliis diversae illae de Christo opiniones in unum compositae et conjunctae fuerunt nec tamen coalu-

erunt et exiguus labor est suum cuique assignare; nos certe videmur nobis in Novo Testamento Christos reperisse minimum sex, quorum unus fuit antequam Jesum venisse creditum est, quinque autem posteriores fuerunt.

§ I.

Χριστὸς ὁ κρούων vel ὁ ἐρχόμενος.

Hic ille Christus quem in Asia Minore et in Palaestina homines exspectarunt extremo saeculo ante aeram nostram et uno saeculo post. Stat ad ostium et pulsat [1]), vel, quod etiam minus est, fideles exspectant ut confestim aperiant, cum venerit et pulsaverit [2]). Variis modis repraesentant sibi homines τὸν ἐρχόμενον, prouti succurrere debebit sive propriis singulorum desideriis, sive publicis calamitatibus. Nec tamen illae repraesentationes nimis accuratae sunt et suum sibi quisque Christum pro lubitu effingit. Multa in hoc Christo supra humanae vitae conditionem efferuntur nec magis depingere possis — quod Albertus Durer exemplo suo ostendit — quam Homericum Apollinem νυκτὶ ἐοικότα.

„Ecce venio velociter", neque ipse scriptor habet dicere cuius haec verba sint [3]). „Ego radix et genus David, stella splendida et matutina. Ecce venio cito et merces mea mecum est." „Amen", respondet vates, qui Asiam Minorem incolit et fortasse Phrygiam, sicuti Montanus postea; interest certe Asiaticis Ecclesiis, quae Christum anxie exspectabant. Septem Ecclesiis Johannes scribere debet quas τοῦ ἐρχομένου visiones habuerit et pacem a Christo et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt [4]). Videt

---

1) Apocal. 3, 20. Quando *tota* Apocalypsis conscripta sit, nunc non disputamus. Nec tamen persuasit Voelterus, Capitum 1—3 recentem esse originem, sed infra eo dabitur redire.

2) Luc. 12, 36.

3) Apocal. 22, 7 coll cum vss. 1—6. Nullum novum subjectum invenitur post 21, 5.

4) Apoc. 1, 4; quod et hic et 4, 8 et 11, 17 de Deo dictum est, translato nomine, ad Christum transfertur. Primum is est ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου (Joh. 12, 13; Matth. 21, 9; 23, 39; Luc. 19, 38); deinde ὁ ἄνωθεν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος (Joh. 3, 31); ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος (Joh. 6, 14); ὁ ἐρχό-

ambulantem in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere et praecinctum ad mamillas zona aurea. Capilli sunt candidi tamquam lana alba, oculi eius tamquam flamma ignis; pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; vox illius tanquam vox multarum aquarum. Habet in dextera sua stellas septem, in ore gladium utraque parte acutum, faciem sicut sol lucet in virtute sua. Excitat ad pugnam contra Gentiles [1]) et vincenti dabit edere de ligno vitae, quod est in Dei Paradiso. Pergami (num in Ara Maxima?) videt sedem Satanae, hoc est, sive Gentilium in universum, sive pontificis alicuius, qui Israelitis offensioni est, quum Iudaeis permittat interesse gentilium abominandis epulis. Vincenti dabit manna absconditum et arcanum calculum, in quo novum nomen scriptum. Alibi, Thyatirae, Jezabel est quae seducit fideles fornicari (i. e. falsos deos adorare) et manducare de idolothytis. In tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint: imo interficiet in morte; quae sors itidem eos manet, quorum peccata latent, nam scrutatur renes et corda. Nihil est cur fideles Gentilibus morem gerant; nam dabit illis potestatem super gentes ipseque eas reget in virga ferrea et tamquam vasa figuli confringentur [2]).

Fideles non satis habent confidentiae adversus τὴν μητέρα τῶν πορνῶν, quo nomine adversarii postea comprehenduntur. Vivunt fideles et mortui sunt et nisi vigilaverint, veniet ad eos tamquam fur. Sardibus pauci sunt qui non inquina-

---

μενος εἰς τὸν κόσμον (Joh. 11, 27); spiritus qui eum clarificabit, spiritus est qui τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ (Joh. 16, 13); denique absolute dicitur ὁ ἐρχόμενος Luc. 7, 19 et imprimis Hebr. 10, 37, ubi quod statim sequitur ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ prohibet quominus Ecclesiam perperam sequamur ac putemus participio ἐρχόμενος futurum tempus indicari, praesertim adhibito Habac. 2, 3, quo loco res conficitur. Subjectum verbi בֹּא יָבֹא est ipsa visio. Gravida est et partum exspectat: כִּי עוֹד לַמּוֹעֵד וְיָפֵחַ לַקֵּץ sicuti paulo liberius licebit vertere. Exspectat tempus suum constitutum. Huius loci ratione habita, ἐρχόμενος erit profetia, quae jamjam confirmabitur, verbum divinum quod nunc cum maxime in lucem prodit: nos hodie Deum immanentem appellare solemus: illum qui est et qui fuit et qui semper venturus esse creditur, veniens in mundum et descendens in cor humanum.

1) Quod apparet ex vs. 9, nam vere Judaei Christi amici sunt, et ex vs. 14.

2) Apocal. 1 et 2.

verunt vestimenta sua et ambulabunt in albis, quia digni sunt. Philadelphiae res se paulo melius habent et fractae sunt Gentium vires; ibi de synagoga Satanae, qui dicunt se Judaeos esse nec sunt, venient et adorabunt ante fidelium pedes. Sed haec non nisi prolusio est, si tentationem contuleris, quae ventura est in orbem universum [1]). Omnium prima cadet Laodicea, nam ibi Ecclesia nec frigida nec calida est eamque incipiet evomere ex ore, nisi mores emendaverit. Ipsa castigatio prodesse poterit, nam quos amat, arguit et castigat.

Hoc modo transitus fit ad illud tenerrimum verbum, quod non exspectabamus et quo arguitur, sermonum illorum amaritudinem eo tantum pertinere ut in media Asia Minore Ecclesiae exemplo sint sanctimoniae et legis divinae observantiae. Libenter emergimus ex illis obscuris et odiosis imaginibus, ut tandem appareat, quid secundum hunc scriptorem ὁ ἐρχόμενος agat: Ecce sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum et coenabo cum illo. Sic intelligimus quomodo postea Christus ille evadere potuerit, quem Lucas novit 10, 38—42, ille ad cuius pedes assedit Maria.

Sed amabilis imago cito transit, vel certe aliena mox admiscentur. Stat agnus tanquam occisus, habens cornua septem et oculos septem; idem ille agnus est leo de tribu Juda, radix David. Stat in medio throni et accipit librum [2]); aperit unum de septem sigillis [3]); ira Agni formidamen est [4]); lavantur stolae et dealbantur in sanguine Agni [5]); Agnus ipse pastor fit [6]); stat super montem Sion cum centum quadraginta quatuor millibus, habentibus nomen Patris ipsius scriptum in frontibus suis [7]); quinam denique

---

1) Apocal. 3, 10.
2) Apocal. 5, 5 sqq.
3) Apocal. 6, 1, alibi.
4) Apocal. 6, 16.
5) Apocal. 7, 14.
6) Apocal. 7, 17.
7) Apocal, 14, 1.

illi sunt, qui sequuntur Agnum quocumque ierit, qui emti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno, in quorum ore non est inventum mendacium et qui sine maculo sunt ante thronum Dei? Nempe Οὗτοί εἰσιν οἳ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν [1]).

Videt scriptor super nubem candidam sedentem *similem* Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream et in manu sua falcem acutam. Mittit falcem suam in terram et vindemiat vineam terrae [2]). Coronam habet, quoniam Dominus Dominorum et Rex Regum est, quocum frustra pugnabitur, nam vincet Agnus [3]), nec tamen victoriam reportabit, priusquam ἡ μεγάλη μήτηρ [4]) τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς ebria facta sit de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu. Itaque Roma Gentium magna adversatrix est et, quod addere licet, Christi adversatrix, vere ἀντίχριστος. Excisa sanguinolenta malorum stirpe [5]), veniunt nuptiae Agni, cuius sponsa se cooperit byssino splendenti et candido, quod byssinum justificationes Sanctorum sunt, τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων [6]).

Hoc quoque transit ac statim Christus, qui λόγος τοῦ θεοῦ hic dicitur, miles est equo albo vectus; oculi autem eius sicut flamma ignis et in capite eius diademata multa et vestitus est veste aspersa sanguine et de ore eius procedit gladius acutus et exercitus sequuntur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo [7]). Paratur magna coena Dei et manducantur carnes regum, fortium, equitum, quin et equorum ipsorum, uti et omnium liberorum et servorum et pusillorum et magnorum [8]). Horrenda imago

---

1) Apocal. 14, 4.
2) Apocal. 14, 14.
3) Apocal. 17, 14.
4) Apocal. 17, 5. Martyres sunt, qui spiritum prophetiae habent, cf. 19, 10. An Cybele respicitur?
5) Apocal. 18, 24.
6) Apocal. 19, 7.
7) Apocal. 19, 11 sqq.
8) Apocal. 19, 17 sqq.

et quoniam illi, in quibus secunda mors non habet potestatem, sacerdotes Dei et Christi dicuntur, intelligi hic debebit ingens omnium Gentium hecatombe [1]). Sed post illam stragem, redit sponsa, uxor Agni, civitas sancta Jerusalem descendens de caelo [2]). In ea civitate Agnus templum est [3]), lucerna [4]), sed foris manent Gentes [5]).

Quo tempore Christus nondum de coelo descendisse credebatur, eo tempore modus, quo sibi homines repraesentabant τὸν ἐρχόμενον, necessario aliquatenus apocalypticus esse debuit, sed nihil est cur putemus mansisse postea eandem imaginum confusionem. Qui Christus in Apocalypsi depingitur, vetustissimus omnium est, quos novimus, eadem ratione qua Homericus Apollo vetustissimus est Apollo, quem novimus. Non miramur in vetusta imagine multa inveniri quae in concordiam nequeant redigi idque fiet quamdiu indigentia mortales adiget, ut sese ad unius Dei nomen applicent, quamquam non satis intelligant, diversissima esse quorum quisque indigeat. Sero demum res ad examen vocatur atque incipiunt pugnantia discriminare et consimiles proprietates peculiari nomine conjungere, quod nomen cognomentum esse videtur, sed revera proprium nomen est eius divinae proprietatis, quam praecipuo honore homines prosequuntur. Hoc maxime modo nascuntur Ζεὺς νεφεληγερέτης et Ζεὺς μειλίχιος, Apollo Smintheus et Pythius Apollo. — Post multa saecula, quod mirabile dictu est, conantur mortales olim discriminata iterum conjungere et varias proprietates in unius Dei caput coacervant, ut Bacchus exeat, quem ab Jove dignoscere nequeas. Apud Graecos et Romanos certe lex secundum quam deorum natura mutatur, tribus verbis continetur, scilicet confusione, diffusione, concretione. Hae sunt in cuiusque dei vita quasi metae.

---

1) Apoc. 20, 6.
2) Apoc. 21, 9 sqq.
3) Apoc. 21, 22.
4) Apoc. 21, 23.
5) Apoc. 22, 15.

Ad primam periodum Christus pertinet, qualis in Apocalypsi depingitur; ad tertiam referimur in Evangeliis Catholicis vel Canonicis; sequitur satis longum intervallum fuisse inter hanc et illam. Hoc eo facilius nobis persuadebimus, si primum observaverimus, Apocalypticum scriptorem ignorare quemadmodum Iesus in Palaestina vixerit, et Evangelistas ab altera parte cum Actis Apostolorum miro modo plane tacere de peculiari illa Christiana religione quae olim in Asia Minore effloruerit.

In Apocalypsis confusione reperimus Christi imagines, quae postea discriminantur; χριστὸν θεριστήν Apoc. 14, 15 sqq.; χριστὸν πτύοντα Apoc. 3, 16; χριστὸν σωτῆρα Apoc. 1, 5; 5, 9. Reperimus 1⁰. Agnum, 2⁰. Iracundum, qui frumentum triturat, 3⁰. Eum qui nos diligit. Reperimus 1⁰. Deum, quem virginea cohors comitatur, 2⁰. militem equo vectum, 3⁰. amicum qui sicuti Bethaniam olim venit ad omnes, una coenaturus. Haec omnia copulantur non minus nativo modo quam apud Homerum conjunguntur Δ 514; Η 58—60; Ο 220—261 cum Π 513—529; 666—683; quin et uno eodemque loco Ω 59—63, Apollo lyram tenet, malos comitatur et αἰὲν ἄπιστος est (quaerat quis tale quid apud Pindarum veluti Olymp. 14, 10 sqq. vel Pyth. 1).

Quisquis est in Apocalypsi ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου, certe non idem erit qui υἱὸς ἀνθρώπου. Hoc autem legitur in iis Matthaei capitibus, quorum color quodammodo apocalypticus est. Videntur fuisse qui Palaestinam peragrarent, ut nunciarent adventum eius qui venturus erat, τοῦ ἐρχομένου. Matth. 10, 23 dicuntur non consummaturi esse civitates Israel, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Nec Christus patiens erat quem exspectabant, sed Filius Hominis venturus erat in gloria Patris sui cum angelis suis, ut redderet unicuique secundum opera eius. Erant tunc viventes, qui mortem non gustaturi erant, donec viderent τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ [1]). Hoc tempus erat futurum regenerationis, quum satellites sederent super sedes duode-

1) Matth. 16, 27 sq.

cim juxta Filium Hominis in sede majestatis suae sedentem, judicantes duodecim tribus Israel [1]).

Sed jam obnubilabatur coelum et perspiciebant omnes pugnam inevitabilem fore. Quo maius erat libertatis periculum ex intestinis dissensionibus, quas Romani fovebant, eo magis adventus τοῦ ἐρχομένου confundi coepit cum extremo proelio, quo de summa rerum aliquando dimicandum foret. Erant prophetae qui ad Ieremiae exemplum amissam libertatem animo praecipiebant ea spe ut excellentior Israel ex conflagratione renasceretur. Jam erat unus eorum qui augurabatur fore ut brevi concideret templum, quod Herodes Magnus exaedificarat. Magnificentissima domus de qua loquitur Matthaeus 24, 1 anno demum 64 post aeram nostram perfecta fuit, vicesimo anno post mortem Herodis Agrippae, qui primus post avum idemque postremus totam Palaestinam in sua potestate ac ditione tenuerat. Ab hoc inde tempore res semper in peius ruebant nec mirum Agrippam Minorem fideliter semper stetisse a partibus Romanorum. Nihil erat quod propheta speraret praeter Christi αἰῶνα. Domus illius, sic enim canebat, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur [2]). Audituri estis praelia et opiniones praeliorum; novus ab-integro nascitur ordo; consurget enim gens in gentem et regnum in regnum et erunt pestilentiae et fames et terrae motus per loca. Et multi pseudoprophetae, pseudochristi, surgent. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Pseudochristi dabunt signa, ita ut in errorem inducantur etiam electi. Si dixerint vobis Ecce in deserto est (Johannes Baptista?) [3]), nolite exire; ecce in penetralibus (tanquam sapiens), nolite credere. — Repente fulgur exit ab Oriente et paret usque in Occidentem: ita erit et adventus filii hominis. Sol obscuratur; stellae cadunt de caelo; virtutes

---

1) Matth. 19. 28.
2) Matth. 24, 1 sqq.
3) Matth. 24, 26 sq.

caelorum commoventur: nolite timere. Levate capita vestra! [1]). Ecce paret signum Filii hominis in coelo: venit, venit in nubibus coeli cum virtute multa et majestate et mittet angelos suos cum tuba. Adest dies messis. Electi vi ab suis abstrahuntur et congregantur. Duae molunt in mola: una assumetur et una relinquetur; duo erunt in agro: unus assumetur et unus relinquetur. Quando, quando hoc futurum est? sic anxie rogitatis. Estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. Habete accensas lampadas [2]).

Alii canebant affore judicii tempus. Congregantur ante Eum omnes gentes et separat eos ab invicem, sicuti pastor segregat oves ab hoedis. Hic benedicti Patris, possidentes paratum regnum a constitutione mundi; illic maledicti discedentes in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Illic supplicium aeternum, hic aeterna vita [3]). Illud tenetote: qui filium hominis confusus fuerit et verba ejus in generatione ista adultera et peccatrice: et filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis [4]). Datur tessera: vigilate, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes [5]).

Dum vigilant et exspectant eamque ὑπομονὴν exercent, quae etiam in Epistulis saepe maxima Christianorum virtus habetur, non deerant exhortationes, ut fidelibus animus adderetur. Beati sunt quibus nunc male est; beati quorum ejicitur nomen tanquam malum propter Filium hominis; imo potius χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ σκιρτήσατε [6]). Satis est credibile, persuasionem illam de Messia peperisse desperationem omnium rerum quae pertinerent ad libertatem tutandam. Qui Christum animo jam contuiti erant, exspectabant *deum ex machina* et vulgo tanquam fanatici exagi-

---

1) Luc. 21, 28.
2) Matth. 24, 44; 25, 13.
3) Matth. 25, 31—46. cf. 26, 64.
4) Marc. 8, 38.
5) Marc. 13, 36 sq. Luc. 12, 40.
6) Luc. 6, 23.

tabantur. Poterant autem facile mysticismo suo sese mancipare, quum personae miserabiles essent neque esset cur possessionibus suis timerent. Nihil eorum intererat, utrum Romanus miles pelleretur necne; quid enim libertas iis novi afferre poterat praeter novos fortasse dominos et novas miserias? Quanto lubentius auscultabant apostolis τοῦ ἐρχομένου! Nunc lacrimatis, tunc ridebitis; nunc esuritis, tunc satiabimini: hoc animum addebat, quum veniret dies quando desiderabant videre unum diem Filii hominis [1]). Multi credebant ab excidio Hierosolymorum libertatem Israelitarum exorituram esse [2]); eo utique die appariturum esse Filium hominis; eo die nova Sodoma peritura erant igne et sulphure divinitus immissis; sicuti Lot olim tunc urbem effugituri erant et omnia perdituri ut omnia salva facerent [3]).

Nec tamen perpetua erat animorum alacritas. Dominus cunctator erat et sollicitae preces non exaudiebantur nec malorum finis appetebat. Tunc surgebat unus de prophetis illis et populum commonefaciebat: Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die et nocte? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Sed orandum et vigilandum est [4]).

Secundum alios longior mora erat futura necdum excidium capitis gentis salutem erat allaturum. Iterum captivi in omnes gentes ducendi erant et Hierosolyma ab Gentibus calcanda, donec implerentur tempora nationum [5]).

Satis intelligitur hic Christum „stare ad ostium". Nisi loci quos percensuimus et quibuscum alii sunt conjungendi, veluti 1 Thess. 4, 13 sqq., de quibus versibus supra diximus, Christum ostenderent ante Christum, χριστὸν τὸν κρού-

---

1) Luc. 17, 22
2) Luc. 21, 20.
3) Luc. 17, 28 sqq.
4) Luc. 18, 1—8.
5) Luc. 21, 24 cf. vs. 9. Non apparet quomodo apocalypticus reliqua sibi repraesentaverit, nam vs. 25 reditur ad primum vaticiniorum genus.

οντα, non tam obscuris coloribus Filius ille hominis depictus fuisset neque numquam agnosceremus Matris dolorosae filium.

§ 2.

Χριςὸς ὁ θεριςής.

Hic est Christus, quem Prophetae praedixerant, Rex Judaeorum, destinatus pastor Israel [1]). Tentatorem oppugnat locis e Vetere Testamento petitis [2]), jubet omnia fieri quaecumque dixerint qui sedent super cathedram Moysis [3]). Doctrina, quam totam ab Judaeis mutuatus est [4]), spirat in Beatitudinibus extremam animi mansuetudinem et summam Mosaicae Legis reverentiam [5]), jubet nos acquiescere eo quod Deus iusserit, ab temerario judicio dehortatur [6]) et comprendit Legem et Prophetas una sententia morali [7]). Quum ad rem ventum est, tuetur sacerdotalem legem [8]) et miratur se fidem invenire extra Israel [9]). Prudenter prodit in publicum et clamores vitat [10]), ne quid Pharisaeos offendat, quos genuinos populi pastores esse negat [11]).

Haec omnia decent *Χριςὸν τὸν θεριςήν*. Messem collecturus est, quae post diuturna saeculorum discrimina tandem maturuit, nam novi seret nihil: *τότε λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, οἱ δ' ἐργάται ὀλίγοι. δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.* Alibi: *ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοῦς ὑμῶν καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμόν* [12]). Idem spectatur in

---

1) Matth. 1, 22; 2, 2; 5 sqq.
2) Matth. 3, 15 sqq.
3) Matth. 23, 1—3.
4) Cf. A. Pierson, *de Bergrede* bl. 200 vlgg.
5) Matth. 5, 17 sqq.
6) Matth. 7, 1 sq.
7) Matth. 7, 14.
8) Matth. 8, 4.
9) Matth. 8, 10.
10) Matth. 9, 30
11) Matth. 9, 36.
12) Matth. 9, 37; Joh. 4, 35—38

similitudine Matth. 21, 33 sqq. Mittetur filius omnium postremus λαβεῖν τοὺς καρπούς (vs. 34 in fine).

Curare debent duodecim Apostoli ne intrent in civitates Gentium et Samaritanorum [1]). Quid enim rerum ibi agerent? Quod apud populares sparsum est, colligere debent, nihil aliud. Ad se trahere vult quod in toto populo optimum est idque invenit inter pauperes et inopes [2]). Venit ad laborantes et oneratos, ipsa mansuetudo, ipsa humilitas [3]), Dei dilectus qui non contendit neque clamat neque audiet aliquis in plateis vocem eius, qui arundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit [4]). Non vult incurrere in oculos, sed imitari quod minimum est omnibus seminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius. Fermentum est quod in farinae satis tribus absconditur. Quorum ingenium diligit, sunt qui margaritam quaerunt et inventa una pretiosa margarita, abeunt et omnia vendunt ut emant [5]). Ubi tandem illud est eximium, quod pollicetur, necessarium illud, quod Maria invenit ad ejus pedes adsidens? Nimirum peculiari modo conjungit vetera et nova. Quem probat scribam, is profert de thesauro suo nova et vetera [6]). Hic omnia tenebris obsita, sed de industria obsita sunt. Praefert quieta, humilia; portitorem anteponit Pharisaeo; devertitur ad Zacchaeum statura pusillum [7]); infans est quem nos jubet imitari; infantes ad eum accedere debent; sapiens est in penetralibus [8]); Bethaniae familiaris; saepe ac multum secedit in deserta loca, in solitarium montem, nocturno tempore, suamque doctrinam arcani aliquid habere per-

---

1) Matth. 10, 5 sq.
2) Matth. 11, 5; 25 sq.
3) Matth. 11, 28—30.
4) Matth. 12, 18—20.
5) Matth. 13, 45 sq.
6) Matth. 13, 52.
7) Luc. 19, 1.
8) Matth. 24, 26.

hibet [1]). Quo tempore extra se ipsum effertur, vident eum discipuli colloquentes cum legislatore et magno propheta veteris oeconomiae [2]).

Hic locus revocat nobis in memoriam *Chocmam* sive sapientiam Hebraeorum, quae exponitur Job. 28: Argentum, aurum et ferrum abscondita, quamquam aegre in lucem tamen producuntur. Semitam ignoravit avis nec intuitus est eam oculus vulturis nec pertransivit per eam leaena: tamen homo: והחכמה מאין תמצא. Sed unde sapientia producetur? Ubi est? Non invenitur in terra suaviter viventium neque est in abysso. Non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione eius. Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia. Unde veniet? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque caeli latet. Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius. Deus solus intelligit viam eius et ipse novit locum illius. Et dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia et recedere a malo intelligentis.

Hanc Sapientiam, quietum, absconditum, prudentem Domini timorem (hic cogitamus Rom. 2, 28 sq.) jam adspexerat Proverb. 8. Allegoria tam late extenditur, ut Sapientia declaret: amo (non qui me sed) qui illam (sic enim legendum) amant (vs. 17). Cap. 8, 22 et 8, 12 plane respondent Matth. 13: 34 sq.; 25, 34; Cap. 8, 12 שכנתי ערמה, repetita commendatio *τοῦ φρόνιμον εἶναι* Matth. 7, 24; 10, 16; 24, 45; 25, 2; 4; 9; Luc. 16, 8; 1 Cor. 4, 10; 10, 15; 2 Cor. 11, 19.

Sic demum intelligimus quam messem hic Christus quae-

---

1) Matth. 4, 1; Marc. 1, 13; Luc. 5, 16; Matth. 14, 13 (etiam puer 2, 14 et 22); 4, 12; 12, 15; 14, 23; 17, 1; 24, 3; 6, 31; 32; 7, 33; Luc. 9, 10; Joh. 8, 59: 12, 36. Esotericam disciplinam simul cognosce Marc. 4, 34 coll. Luc. 10, 23; etiam Matth. 11, 25; 13, 35; 13, 44; Luc. 13, 21; 18, 34; 3; coll. 3, 2; Apoc. 2, 17. Hujus Christi esoterica disciplina respicitur Luc. 11, 33 et Matth. 10, 29,

2) Matth. 17, 3.

rat. Rogat populum ubi tandem ea sapientia sit quam didicerit et num Israel nullos in usus tot mala perpessus sit.

§ 3.

Christus vannans [1]).

Statim post partum misera mater obnoxia est malevolorum hominum suspicionibus et ne pater sponsam desereret, Angelus intercedere debuit. Herodes infanti iratus est, cuius salus constitit interitu aliorum puerorum. Antecessor vaticinatur: ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Hoc fundamentum est, cui reliqua superstructa.

Quadraginta diebus et quadraginta noctibus hic Christus in deserto fuit et tentabatur a Satana eratque cum bestiis [2]). Mox ad pugnam se accingit: non satisfacit justitia Pharisaeorum; antiqua lex imperfecta est; perfecta sanctimonia postulatur; publicae eleemosynae et orationes in synagogis et in vicis inanis ostentatio; qui Deo confidunt, non solliciti sunt rerum suarum. Ethnici odio sunt et putant quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos [3]).

Severa doctrina est: angusta porta et arcta via est et pauci sunt qui inveniunt eam. Alii aliter sentiant: vos attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem lupi rapaces; molliter monent, ubi mollities crudelitas est aut certe errorem parit, spinas et tribulos, qui mox in ignem conjicientur. Externa nihil juvant. Dominum, Dominum dicitis, prophetatis, daemonia ejicitis, in nomine meo virtutes facitis: numquam

---

1) Apoc. 3, 16, cf. Antigon. 1232; etiam Matth. 3, 12 ut cognatio utriusque verbi appareat.

2) Marc. 1, 13.

3) Matth. 5, 20; 21—44; 48; 6, 1—5; 19—34; 7; 7; 7, 6.

novi vos, qui operamini iniquitatem [1]). Non magis homines ad se vocat quam repellit. Discipulus cupit aliquamdiu secedere ut patrem sepeliat: mortui mortuos sepeliant, inquit; tu me sequere. Remittit paullulum animi ingens contentio et dormit in navicula. Motus magnus fit in mari et accedunt ad eum discipuli et suscitant eum. Etiam in lectulo jacens [2]) eos increpat: quid timidi estis, modicae fidei? Mox surgens imperat ventis et mari et facta est tranquillitas magna, quae maiorem horrorem incutere debuit quam ipsa procella. Mox horrendus sermo conseritur cum daemonum Legione, quae ubique circumstrepit. Ite, inquit, et exeuntes abierunt in porcos et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare. Intrat urbem, sed urbani adspectum non ferunt et rogant ut transeat a finibus suis [3]).

Hic propheta minime conatur novam doctrinam veterum placitis adaptare. Ne commissura panni rudis in vestimentum vetus! Ne vinum novum in utres veteres! Opera luditur: vinum effunditur et utres pereunt.

Ubicumque prodit, vehementia est. Principis alicuius filia defuncta est et in funesta domo fiebat lamentatio secundum morem gentis. Lamentatrices et circumstantem turbam recedere jubet: non enim, inquit, est mortua puella, sed dormit. Inter lacrimas risus obortus est, sed turba eiicitur. Christus intrat domum ubi cadaver jacebat, tacitus prehendit manum et surrexit puella [4]).

Semper properat, nam breve ei tempus concessum fuit; pergit nec habet ubi caput reclinet. Admiratio hominum cum terrore conjuncta est. Audit Herodes et metuit ne Johannes revixerit [5]). Credunt Pharisaei in principe daemoniorum eum ejicere daemones [6]). Discipulis quos emittit, instillat eundem

---

1) Matth. 7, 14—23.

2) Matthaei locum mitigavit Luc 8, 24.

3) Matth. 8. Marc. 5, 9.

4) Quod in fine nimis concisum est apud Matthaeum, mitigatur ap. Marc. 5, 41 et Luc. 8, 54.

5) Luc. 9, 7 sqq.

6) Matth. 9.

animi ardorem, eundem impetum, eandem in caritate vehementiam. In quamcumque civitatem aut castellum intraverunt, breviter quaerunt quis in ea dignus sit; ad eum devertuntur; deceptos se esse sentiunt, pulverem de pedibus excutiunt et exeunt, datam salutem secum absportantes [1]). Ita jussit terribilis magister et res ita postulabat. Quales enim illi sunt ad quos emittuntur? Suntne adituri ad oves dissipatas? Imo ipsi sunt oves et mittuntur in medio luporum rapacium. Quales sunt illi adversus quos bella movet? Superant iniquitate terram Sodomorum et Gomorrhaeorum. Cavete ab hominibus, ita minitabundus inculcat. Male vos mulcabunt et odio eritis omnibus propter nomen meum. Perseverantia, inexsuperabilis perseverantia prima ac sola virtus est. Audacter omnia proloquimini; nolite parcere pravis populi opinionibus; nolite exspectare opportunum tempus; nolite vitare rumores. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine et quod in aure auditis, praedicate super tecta, neminem timentes praeter Deum, qui potest et animum et corpus perdere in gehennam. Vae ignavo homini qui eum negarit: Christus eum negabit coram patre, qui in caelis est.

Itane vulgus hominum perpetuum bellum geret adversus Jesu discipulos? Itane provocabunt ad pugnam, ubicunque prodierint? Christus non decipit suos; quo tempore hic Christus natus est, non Angeli pacem cantarunt. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium. Veni separare hominem adversus patrem suum, adversus matrem suam. Inter illa carissima capita et me optio facienda est. Qui me sequitur, qui vitam vivit me dignam, accipiat crucem et perdat animam ut inveniat [2]). Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Qui hoc omne non praestare paratus est, discedat ne anhelans curriculo excidat et ridiculus fiat, sicuti is qui tur-

---

1) Mitigatum ap. Luc. 10, 11 in fine.
2) Matth. cap. 10.

rim aedificare voluerit vel bellum committere, non ante paratis quae ad perficiendum necessaria sunt [1]). Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus; est insulsum sal, quod ne in sterquilinium quidem utile est, sed foras mittetur [2]). Filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias; illi vero qui digni habebuntur hoc novo saeculo, neque nubunt neque ducunt uxores. Inutile est propagare genus; οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται [3]). Cf. Apocal. 14, 4.

Ecce mandata primis Apostolis data: jam non erunt sapidi salis vel almae lucis similes; horrisona tuba bellum canit. A diebus Johannis Baptistae regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud. Arripiat sibi quisque summum illud, ad quod vulgus humi repens numquam attollet oculos. Stulti sunt qui putant se populum docere posse: quidquid agitis, odium paritis. Canitis nec saltant; lamentatis nec plangunt. Venit Johannes neque manducans neque bibens: Daemonium habet. Venit Christus manducans et bibens: cum pravis hominibus consociatur. Rumores spernite vulgi. Justificata est Sapientia a filiis suis.

Jam ipse desperat de Galilaeae urbibus. Chorazin et Bethsaida habebunt quod Tyro et Sidoni invideant. Capharnaum usque in infernum descendet. Numquid igitur illae urbes peccarunt et scientes male fraude Sapientiam spreverunt? Imo Deus abscondidit Sapientiam a sapientibus et prudentibus, quoniam sic fuit placitum. Nemo novit Filium vel Patrem, nisi cui divinitus revelatum fuerit [4]).

Docet quidem et discipulos suos docere jubet, sed ante omnia hoc agit ut superstitiones et pravae vulgi opiniones tollantur et eradicentur. Itur per sata sabbato! Velluntur spicae, ut exagitetur sabbatorum rigida observantia! Non susque deque rem habebant meticulosi Pharisaei. Davidem

---

1) Luc. 14, 26—31.

2) Luc. 14, 34 sqq.

3) Luc. 20, 35 sqq. qui locus retractatus est, ut fieret vaticinium de vita futura: vide etiam versionem Belgicorum Ordinum.

4) Matth. cap. 11.

audient quomodo panes propositionis comederit; sacerdotem audient quomodo sabbato in templo sabbatum violet. Inclamatur: Dico autem vobis, quia templo maior est hic; Dominus sum etiam sabbati [1]). Laedit. Offendit. De industria laedit et offendit. Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae, ad mulierem viduam. Multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo propheta et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Hic Christus ipse elicit certamen.

Juxta suam doctrinam non relinquit locum aliorum opinionibus, nec magis licet ab signis absistere et nullarum partium esse: qui non est mecum, contra me est; qui non congregat mecum, spargit [2]). Quomodo bona loqui poterunt Pharisaei, progenies viperarum, cum mali sint?

Sed accedunt Scribae et Pharisaei quidam et Christum deposcunt signum. Excandescit indignatione. Generatio mala et adultera signum quaerit. Num Ninivitae Jonam vel Regina Austri Salomonem signum depoposcerunt? Et ecce plus quam Jonas vel Salomon hic.

Ductatur rebus quae sensibus subjiciuntur, qui signum cupit videre. Altius eminet quod Christus cogitat; quin et despicit dulcissimos et honestissimos affectus animi. Nolite matris vel fratrum mentionem facere: adstant et extendit manum in discipulos suos. Neminem agnoscit nisi qui voluntatem fecerit Patris, qui in caelis est [3]).

Quid igitur refert quod cum paucis sit? Tranquilla philosophia verticem erigit in illa superba parabola seminantis. Initur ratio seminis, quod, postquam in terram cecidit, fructum tulit. Prima pars a volucribus comesa; secunda pars sole orto exaruit; tertia pars spinis suffocata; quarta pars, quae sola restat, fructum dedit. Quarta tantum pars humani generis terra bona est! Sunt qui secus viam seminati sunt: perpluunt; nihil remanet. Sunt qui super petrosa

---

1) Matth. 12, 1—8.
2) Plane contra est Marc. 9, 40.
3) Matth. cap. 12.

seminati sunt: nihil ultra superficiem; denique ne hoc quidem: sunt spinae et tribuli tantum. Nemo umquam virtutem severius coluit, neque hoc fit quo homines intentius adlaborent. Frustra est virium intentio, deficiente bona terra, hoc est ingenio divinarum rerum capace. Zizania sunt. Non statim colliguntur, scilicet ne triticum simul eradicetur. Dilatum est judicium. Postquam advenit consummatio saeculi, exeunt Angeli; messis fit et zizania in fasciculos alligata comburuntur. Ibi erit fletus et stridor dentium [1]).

Ad principes viros asperis verbis utitur et contumeliae plenis. Dicite illi vulpi, Antipas ille est, me non consummatum iri nisi quando voluerim et ubi voluerim [2]). Pharisaei caeci duces sunt, a quibus cavendum est. Jam constat necem ab iis imminere et cupit Petrus hoc periculum avertere. Vade retro. Num forte putat stratam esse rosis, quae via ad vitam ducat? Via Crucis laborum plena. Abscide manum pedemve et projice; erue oculum: licitum est truncare corpus ut in vitam intres. Perfectus est qui haec terrestria didicit contemnere. Perfectus est qui omnia sua dat pauperibus, ut habeat thesaurum in coelo. Difficile est divitem intrare in regnum coelorum. Dives sepelitur in inferno, quoniam induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. Miraculum est si homo salvetur; sed apud Deum omnia possibilia sunt. Non datur merces pro opera: operarii undecimae horae tantum accipiunt, quantum qui portarunt pondus diei et aestum [3]).

Una res comprehendet omnia. Singulare spectaculum universam civitatem commovit. Intrat propheta in templum et eiicit omnes vendentes et ementes in templo et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit. Plaudunt pueri et acclamant Hosanna! Ita est: de adultis desperandum est. Sicuti Mosem et Prophetas non audiunt,

---

1) Matth. cap. 13.

2) Luc. 13, 31 sqq.

3) Matth. 15, 6; 14; 16, 11, 21 sqq.; 18, 8. sq.; 19, 12 in fine; Luc. 16, 19; sq.; Matth. 19, 21 sqq.; 20, 1 sqq.

sic non credent, etiamsi quis ex mortuis resurrexerit. Somnient alii messem, quae constituto tempore maturescet: metere ipse vult ubi non seminaverit et congregare ubi non sparserit. Revertens in civitatem videt fici arborem unam secus viam; esurit: nihil invenit in ea nisi folia tantum. Numquam ex te fructus nascetur in sempiternum! Ab Israel auferetur regnum dei. Qui ceciderit super lapidem, quem reprobaverunt aedificantes et qui factus est in caput anguli, is confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum [1]). Id quodammodo incertum est, cuiusmodi fructus exspectetur, quum legamus hominem ligatum manibus et pedibus mitti in tenebras exteriores, quod vestem nuptialem non habeat [2]).

Certe non parcetur Pharisaeis et Scribis. Hypocritae sunt, stulti sunt, caeci sunt, putidi sunt, malitiosi sunt, qui culicem excolant et camelum glutiunt, similes sepulcris dealbatis, quae plena sunt ossibus mortuorum, filii eorum qui prophetas occiderunt, serpentes, genimina viperarum: sic sine ulla intermissione declamat. Veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram! Quin et ipsi urbi convicium fit: Ierusalem occidit prophetas.

Exsecrationi: *ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον* Israel mox respondet in Pilati praetorio: *τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν.* Hic est ille idem Christus quem vidimus 1 Thess. 2, 15; 16; Rom. 2, 5 sq.; 16 sqq. 3, 10 sqq. Desperandum est de Judaeorum populo. Quod Christum rejecit, apparet quod cor ingravavit.

---

1) Luc. 16, 31; Matth. 25, 26; 21, 18 sqq. cf. Marc. 11, 13 in fine; Matth. 21, 43 sqq., cf. Marc. 12, 10 qui mitigatus locus est.

2) Matth. 22, 2—14. Hic admodum luculenter apparet quomodo redactor duas res conjunxerit. Vs. 9 Christus vocat omnes neque in ullo conviva nuptialem vestem exspectat. Unus solus poenas dat, vs. 13. Quod igitur narratur vs. 2—10 non convenit cum vss. 11—14. Vs. 10 discrimen obscuratur addito *πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς* post *πάντας ὅσους εὗρον.* Non ita distinguitur vss. 2—10.

§ 4.

Χριςὸς ὁ σωτήρ (ὁ Ἰησοῦς).

Huius natales suavissimo modo praedicuntur. Nomen Jesus erit. Jam ante laudat Maria eam misericordiam, quae est a progenie in progenies. Haec misericordia, Zacharias ait, memor est testamenti sui sancti. In Agro Bethlemitano angeli evangelizant pastoribus gaudium magnum, quia Salvator natus est. In terra pax erit. Senex Simeon laetus de vita decedit, postquam accepit infantem in ulnas suas et oculi viderunt salutare, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis Israel[1]).

Crescit puer et gratia Dei est in illo[2]). Praecursor proficiscitur ab Jesaiae verbis: Consolamini, consolamini, populeus meus[3]).

Christus prodit Nazareth in synagogam et de ore procedunt verba gratiae. Omnium oculi sunt intendentes in eum, quum librum revolvens Jesaiae locum invenit, ubi scriptum erat: Me — et vide hujus Jesu imaginem — Dominus misit evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, praedicare annum Domini acceptum[4]). Duc in altum, primum est ad Simona symbolicum verbum. Jussu eius rete laxatur et concluserunt piscium tantam multitudinem, ut ambae naviculae pene mergerentur[5]). Plenum lepra non mundat tantum: tangit eum[6]). Paralytico, qui ante pedes ponitur, promittit ante reliqua omnia: Homo! remittuntur tibi peccata tua[7]). Discumbit cum publicanis et peccatoribus; venit enim vocare peccatores ad poenitentiam et iis mederi, qui animo male habent[8]). Cur jejunarent ipso

1) Luc. 1 et 2.
2) Luc. 2, 40.
3) Jes. 40, 3—5 laudati, Luc. 3, 4.
4) Luc. 4, 16 sqq.
5) Luc. 5, 1 sqq.
6) Luc. 5, 13.
7) Luc. 5, 20.
8) Luc. 5, 30 sqq.

praesente? Nonne sponsus est et qui circa eum sunt, sponsi filii [1])? Obviam fit loculo, post quem mater vidua lacrimabunda procedit et simplici verbo: Adulescens, tibi dico, surge, reddit filium matri [2]). Ingressus domum Pharisaei — itaque Pharisaeis nondum odio est — tangitur ad coenam a muliere, quae erat in civitate peccatrix. Remittuntur ei, inquit, peccata multa, quoniam dilexit multum; deinde ad mulierem ipsam conversus: fides tua, inquit, te salvam fecit: vade in pace [3]). Mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus et infirmitatibus [4]), ministrabant ei de facultatibus suis; adeo hic non est ille miserabilis qui non habet ubi caput reclinet.

Nihil est cur hic vitet Gentiles vel Samaritanos. Nuncios mittit in civitatem Samaritanorum ut hospitium parent; redeunt infecta re et discipuli ignem de coelo deposcunt, ut illi consumantur. Respondet: Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare [5]). Mox Samaritanus exemplum erit misericordiae quam commendat [6]) et exercere debemus, quoniam exemplum imitari debemus Dei misericordis.

Eius Dei cognitio proprium est officium huius Christi et ut describat omnia complexam Patris caritatem, tam tenera verba reperit, qualia numquam antea audita fuerant; modo leni ironia colorata, modo perfusa succo, qui in humana natura optimus est. Non dabit deus petenti filio pro pane lapidem et pro ovo scorpionem! Non hiat inexsuperabile intervallum inter bona et mala; non est illic via, lapis, carduus; hic autem bona terra: imo corrigi potest, quod a recta via deflexit; sunt amissae oves, sed amissum agnum pastor laetus humeris suis domum portat. Amissa drachma est, sed diligens materfamilias domum everrit,

---

1) Luc. 5, 34 sqq.
2) Luc. 7, 11 sqq.
3) Luc. 7, 36—50.
4) Luc. 8, 2 sq.
5) Luc. 9, 56, secundum nonnullos libros; certe 19, 10.
6) Luc. 10, 25 sqq.

donec inveniat. Imo filius est qui paternam domum deseruit, sed pater reditum perpetuo exspectat. Tandem redit prodigus filius, parat certe redire. Cum autem adhuc longe est, videt illum pater ipsius et misericordia motus est et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum.

Hoc est aeternum Evangelium [1]), quo desperatio superatur. In terra viventes homines gaudere oportet, nam invenitur quod amissum fuerat et quod mortuum est reviviscet. Est quaedam in integrum restitutio eaque restitutio non tribuitur omnipotentiae quae id efficit quod per se effici nequit, sed redit sui conscientia quasi in vitam revocata ope gratiae irresistibilis. Prodigus filius filiusfamilias est manetque: meminerit modo. Non est virtus appetere inaccessa vel certe longo intervallo remota; poenitentia est et ad se reditus, μετάνοια. Regnum Dei intra vos est [2]). Expetat Satanas homini terrorem incutere et adimere animi tranquillitatem, Christus rogat pro nobis ut non deficiat fides [3]). Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ (?) in omnes gentes praedicabitur poenitentia et remissio peccatorum [4]).

Narratane fuerunt ab initio παθήματα huius Christi Σωτῆρος? Vix crediderimus. Non postulare haec imago videtur sanguineam crucis καταςροφήν. Inter filium prodigum et lugentem patrem haud facile mediator inseritur, qui paternam domum aperiet. Praeterea in Epistulis quas examinavimus, videmus gratiam et consolationem saepissime memorari, raro autem crucem. Licet fortasse nobis hunc Christum repraesentare in Monte Olivarum, qualis Moses fuit in monte Nebo, quem Deus sepelivit et non cognovit homo sepulcrum eius in praesentem diem [5]). Et factum est dum benediceret illis, recessit ab iis [6]). Admirabiliter.

---

1) Vide Apoc. 14, 6.
2) Luc. 17, 21.
3) Luc. 22, 31.
4) Luc. 24, 47.
5) Deuter. 34, 6.
6) Luc. 24, 51 secundum optimos libros.

§ 5.

Χριστὸς τὸ πνεῦμα.

Hic Christus (cf. 2 Cor. 3, 17) Christus est Pneumaticorum, postquam eum tanquam κύριον agnoverunt. Magna est convenientia cum Christo vannante, sed tamen duplici ratione distinguitur, primum metaphysica nota, deinde etiam origine, nam Pneumaticorum imago itidem est orta, quod impugnabant alias Christi repraesentationes et conferat quis quae supra de quarto Evangelio diximus.

Hic Christus docet quod etiam doctus Judaeus, qualis Nicodemus erat, ignorat, nec satis habet exponere quod apud Mosem et Prophetas primarium est [1]). Nec mirum; descendit enim de coelo, non, sicuti in Apocalypsi, ita ut oculis conspici posset, sed plane metaphysice, nam ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς itidem est ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ (vide supra) [2]). Lux est quam odit omnis qui male agit [3]).

Hic non describit regnum coelorum, non lacrimas quae abstergebuntur, non vulnera quae curabuntur: doctrinam exponit: necessitatem regenerationis; Deum esse Spiritum nec proinde nisi in Spiritu nos eum adorare oportere; salutem non esse ex fonte Jacob, sed opus esse alia aqua, qua sumta in aeternum non sitias cet. Auspicatur ministerium ab Samaritanis, ut appareat quam nihil curet Iudaeos [4]). Aegros non tangit neque agit cum iis de remissione peccatorum; reguli filio absens medetur uno verbo potenter pronunciato [5]) Hunc Christum exspectationes numquam frustratae sunt. Nullam videmus κρίσιν· illa enim jam vere κρίσις est, quod in publicum prodiit. Aliis extremus labor sit templi purificatio; huic initium operis fuit. Statim post primum miraculum persequuntur eum Judaei

---

1) Joh. 3, 10.
2) Joh. 3, 13.
3) Joh. 3, 19.
4) Joh. 4, 40.
5) Joh. 4, 50.

et interficere parant, non secta quaedam, non soli duces, sed universus populus [1]).

Hoc Christus mirari minime potuit [2]). „Divina comoedia" est: ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati [3]), h. e. ut falsa species caerimoniarum Mosaicarum coargueretur. Christus pneumaticus comparari potest cum pretiosissima gemma, quam publice expositam multi negligenter praetereunt, quod oculi tenentur ne eam agnoscant. Sed haec ipsa stultorum hominum condemnatio est.

Ecce adest quo nihil est praestantius, adest ipse deus in medio mundo et mundus se ad profana adplicat, nam divinam pulcritudinem non distinguit, odit potius. Quam tenuis aether est unde excelsa imago exstitit! Dei Filius est: ipsum Deum perpetuo tanquam exemplum sequitur. Vivificat quos vult. Judicium ei datum fuit. Qui verbum eius audit, transit a morte in vitam aeternam. Hunc esse Dei filium, res ipsa loquitur; ab homine testimonium non accipit: opera quae facit divinam originem perhibent [4]), vel si id mavis, symbola sunt et signa vitae illius coelestis, quam nobis aperit [5]).

Quam alte illa mens evolat! Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam illeque cibus, verus panis de coelo ipse est. Ego sum panis vitae. Per eum invenimus quo nobis maxime opus est. Qui ad eum venit, non esuriet neque sitiet. Non viae dux est, non veritatis fidus interpres; videt Deum et qui nunc eum videt, Patrem videt [6]). „Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes". Hic apocalyptice nihil, nihil quod oculis subjici queat. Non tubae sonitus, non auri fulgor. In hoc Christo pneumaticus homo suum Deum agnoscit. Caecus fuerit a na-

---

1) Joh. 5, 16.
2) Imprimis Joh. 6, 64.
3) Joh. 18, 37.
4) Joh. 5, 19—36.
5) Joh. 6, 26.
6) Joh. 6, 27; 32; 25; 46 cf. 14, 9.

tivitate: oculi eius aperiuntur; jaceat in sepulcro: audit: Lazare, veni foras.

Sed quomodo reliqui mortales erga eum affecti sunt? Non eos ad vitam vocat pneumaticus Christus. Quum fratres qui ne ipsi quidem in eum credebant, eum adhortantur ut se ipsum mundo manifestet [1]), quod respondet, demonstrat quam parum eum mundum curet: mundus odit eum, quia testimonium de illo perhibet, quod opera eius mala sunt.

Hoc est illud. Numquam fuit turpius spectaculum videre pugnae inter eximiam praestantiam et vulgi abjectum et humi repentem animum. Stat Jesus die festo in templo, multitudine stipatus, populo illo olim Deo dilecto. Non pronunciat illud: „venite omnes ad me". Accusat, vituperat, aenigmata loquitur. Nempe vult omnium iras in se concitare, omnes ad furorem adigere. „Nemo ex vobis facit legem..... Quaeretis me et non invenietis et ubi sum ego, vos non potestis venire.... Verum est testimonium meum.... Neque me scitis neque Patrem meum.... In peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.... Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos [2]).

Jam ira excandescunt. Sequitur horrendum colloquium:

Tune liberabis? Semen Abrahae sumus et nemini servivimus umquam.

— Facitis peccatum et qui facit peccatum servus est peccati. Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Liberine erimus? Pater noster Abraham est.

— Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum.

---

1) Joh. 7, 4 sqq.
2) Joh. 8, 32.

Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus deum.

— Quare igitur loquelam meam non cognoscitis? Ego ex Deo sum, vos ex patre diabolo estis, homicida ab initio, qui non stetit in veritate. Verba Dei non auditis, quia ex Deo non estis.

Pergunt et convicia conviciis regerunt. Exprobrant quod Samaritanus est et daemonium habet. Christus contendit se Abraha natu maiorem esse. Judaei ostendunt incredibilem rem esse. Quis finis erit disputationis? Ferunt Judaei lapides ut jaciant in eum.

Bellum est. Vetustum foedus inter Deum et Israel fugit hunc Christum, qui, uti aequum est, negat quidquam promissum fuisse Diaboli filiis (cf. Rom. 9, 4 sq.). Vetustum foedus non praeparavit huius Christi adventum; non est hic, sicuti Hebr. 1, 1, multorum legatorum postremus: imo ab eo fit novum omnium rerum initium. Non tantum ipsa veritas est, est quoque via ad veritatem; est ostium et qui non intrat per ostium fur et latro est [1]). Non est χριστὸς θεριστής, qui praeteriti temporis messem colliget. Omnes quotquot venerunt ante eum, fures sunt et latrones; hinc non audierunt eos oves. Ipse solus pastor bonus est, reliqui supra mercenariam operam nihil praestare possunt [2]).

Hic Christus solum coelum cogitat. Nulla eum manet κρίσις, sicuti diximus, nec metuit mortem. Ponit animam suam ut iterum sumat. Nemo tollit eam ab eo, sed ponit eam a se ipso [3]). Judaei eum insanire [4]) opinantur. Nihil hoc Jesus miratur, non enim sunt ex ovibus eius [5]). Neque alius finis invenitur odiosi colloquii, nisi ut Judaei iterum lapides tollant ut eum lapident de blasphemia [6]).

Necdum venit mortis momentum, quod ipse elegit. Tan-

---

1) Joh. 10, 1.
2) Joh. 10, 8.
3) Joh. 10, 17, sqq.
4) Joh. 10, 20.
5) Joh. 10, 26.
6) Joh. 10, 31—33.

dem advenit: Venit hora ut clarificetur Filius hominis [1]). Nulla transfiguratio in monte nihilque habet hic Christus, qua de re cum Mose vel Elia agat. Clarificatio erit solitaria mors, qua ostenditur non esse illi locum in hoc mundo tenebris obsito. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hanc necessitatem dum reputat, conturbatur nec tamen ea conturbatio exprimet verba quae in Torculari pronunciata fuerunt. Non postulat ut calix transeat, sed illud potius: Pater clarifica nomen Tuum. Nempe mortem optat. Venit autem vox de coelo, quam solus audivit, nam populus dicebat tonitruum esse factum et alii credunt angelum ei locutum fuisse, quamquam Jesus affirmet non propter se hanc vocem venisse, sed propter multitudinem, quae proinde fragore contenta esse debuit.

Nempe satis est multitudini aliquid magni esse factum: nunc est judicium mundi et sententia pronunciata est. Excaecati oculi sunt, indurata corda et princeps hujus mundi eiicitur foras (an extra illum mundum ubi solus Deus regnat?) [2]). Mundus eum odit et oderit legatos ejus, nam nihil nisi quod suum est diligit. Haec sola et unica nobilitas est, odio esse mundo [3]). Loquentur eo consilio, ut peccatum mundi appareat neque excusationem habeat [4]).

Atque sic Christus mundum a se dimittit. Haec omnia locutus est discipulis, ut in se pacem haberent. In mundo pressuram habebitis, sed confidite: ego vici mundum.

Nunc ex illa colluvie, quae tam aspera verba elicuit, redit ad serena illa, quae ultra nubes extenduntur. Sublevat oculos in coelum et dum Deum orat, erigit animos suorum. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum. Opus consummavi: manifestavi nomen Tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo;

---

1) Joh. 12, 23 sq.
2) Joh. 12, 27—31; 40.
3) Joh. 15, 18 sqq.
4) Joh. 15, 22 sqq.

cognoverunt, quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt. Ego pro iis rogo; non pro mundo, in quo jam non sum; sed hi in mundo sunt. Pater Sancte, serva eos in nomine Tuo; habeant gaudium meum impletum in semetipsis; serva eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo, sed sanctificari debent in veritate et illi et ii qui credituri sunt per verbum eorum in me. Pater, simus omnes unum: tu in me, ego in te, ii in nobis, consummati in unum. Pater quos dedisti mihi, volo ut ibi sum ego et illi sint mecum, in tua aeterna claritate. Pater juste, qui me dilexisti, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit et ego in ipsis [1]).

Composito vultu nec conturbati hunc Christum sequimur in tenebricosum locum, ubi mors eum ad coelum evehet. Hujus in Torculari non sudor sicut guttae sanguinis, non lacrimae, non flebilis precatio [2]), sed: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Pontificem Maximum majestate superat; coram procuratore Romano se regem praestat [3]). „Regnum meum non est de hoc mundo": primum in praetorio romano hoc pronunciatum fuit, quod omnibus terrae regnis superstes est futurum. INRI: per omnia saecula inrisio populi, qui filiorum maximum non agnovit. „Consummatum est": hic praeterea nihil requirimus.

Non crescit haec Christi imago, sed manet immutabilis semper, nam mutatio non intelligitur nisi temporis ratione et huic Christo tempus aeternitate mersum est. Sunt omnia „sub ratione absoluti", ut hodie in schola loquimur. Quod Deo natum *est*, intrat regnum Dei. Mundus judicatus *est*. Deus in terra clarificatus *est*. *Accipit* Christus claritatem, quam habuit apud patrem, priusquam mundus erat (aliter Philipp. 2, 9). Vera vita est nosse Semper Eundem. Nonnulli de mundo Christo dati *sunt*. Fideles inter se, cum Christo et cum Deo metaphysice conjuncti sunt, hoc est,

---

1) Joh. cap. 17.

2) Joh. 18, 1—12.

3) Joh. 18, 37: — Πιλᾶτος· οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; Ἰησοῦς· σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμ' ἐγώ. Cf. 19, 10 sq.; 14; 19.

conjuncti sunt eodem modo quo Pater et Filius, neque ea conjunctio vel crescere potest vel imminui [1]). Consummatum est. Huc nihil pertinet parabola de seminante vel de fermento. Non invenitur conversionis vocabulum [2]), non magis quam misericordiae. Hic Christus multitudinis misericordia non tangitur: non magis naturam miseret animalis rationis expertis et mutat in hominem.

§ 6.

Χριστὸς πλήρης χάριτος.

Quae est ratio inter Christum τὸ πνεῦμα et Christum Vannantem, eadem ratio est inter Christum πλήρη χάριτος et Christum Σωτῆρα. Etiam ὁ πλήρης χάριτος aliquid Pneumaticis debet et metaphysice describitur ac minime ad popularem modum. Etiam hunc videmus aliis Christi imaginibus opponi.

Est Patris Filius Unigenitus; Verbum Dei caro factum est, cuius de plenitudine gratiam accipimus. De sinu Patris descendit, ut enarraret quem nemo vidit. Baptista eum describit tanquam Agnum, non eum Agnum quem in Apocalypsi habuimus, sed Agnum, qui tollit peccata mundi: Columba descendit de coelo et mansit super eum, symbolum Spiritus. Velociter omnes ad se trahit. „Inveniunt" eum Philippus, Andreas, Petrus, Nathanael, sicuti pulcre inventum invenimus. Coelum ei semper patet: Angeli Dei adscendunt et descendunt [3]). Aquam in vinum commutat. Et vivus et mortuus documento est, quanto opere Deus mundum dilexerit. Qui in eum credit non peribit. Fidelibus promittit fontem aquae salientis in vitam aeternam. Qui bibent ex aqua quam ille dabit, non sitiet in aeternum.

---

1) Joh. 17, 21. Etiam 1 Joh. 5, 19 (κεῖται) Christum eodem modo repraesentat.

2) Apparet huc non pertinere Joh. 12, 40.

3) Joh. 1, 52.

Ad eum ducunt Scripturae: illae sunt quae testimonium perhibent de illo [1]).

Aegre ferre videtur quod ministerium tam breve est futurum. Cogitat noctem, quando nemo potest operari. Non semper, praesens vel absens, ipsa veritas est: imo „quamdiu sum in mundo, lux sum mundi" [2]). Τοῦ πλήρους χάριτος nusquam est excellentior imago quam in colloquio cum muliere in adulterio deprehensa. Hic Christus nos non omnia facere jubebit quae Scribae et Pharisaei jusserint, in Mosis cathedra sedentes. Severam legem de inconcessis amoribus mitigabit, inhibebit ea suavitate, quae non nisi castitati propria est. Adducunt Scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam; provocant ad Mosaicae legis severitatem. Tu ergo, Magister, quid dicis? Tacet Jesus et inclinans se deorsum digito scribit in terra. Instant. Itaque erigit se et dicit: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Parcit spectatoribus neque ipso vultu prosternit omnes. Iterum se inclinat et scribit in terra. Silentium. Unus solus audit in pectoribus aestuantem conscientiam. Omnes deinceps accusatores exeunt. Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? — Nemo, Domine. — Nec ego te condemnabo: vade et jam amplius noli peccare [3]).

Jesus est resurrectio et vita: qui credit in eum, etiamsi mortuus fuerit, vivet [4]). Mortem subibit pro gente et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui sunt dispersi congreget in unum [5]). Symbolice indicatur mors prope instans. Bethaniae Magistri pedes nardo pistico bona femina lavat et unguet. Domus impletur ex odore unguenti et qui habitum ei honorem vituperant, nihil audiunt praeter hoc: Sinite illam; me non semper habebitis; quibus verbis respicitur ad 9, 5 [6]).

---

1) Joh. 5, 39.
2) Joh. 9, 4 sq.
3) Joh. 8, 2—11.
4) Joh. 11, 25.
5) Joh. 11, 51 sq.
6) Joh. 12, 8 deest in codice Cantabrig.

Mox antequam discipulos valere jubet, instituitur sacramentum pedum ablutionis, quo jam ante impugnatur nimia illa inter fratres severitas, a qua tantum periculum Ecclesiae portendebatur.

Deinde quam tenera et caritatis plenissima verba sunt! Ne turbetur cor vestrum. In domo Patris mei mansiones multae sunt; vado parare vobis locum. Rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, qui suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis. Haec locutus sum vobis, ut gaudium vestrum impleatur. Jam non dico vos servos; vos amici mei estis. Tristitia vestra vertetur in gaudium et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Ipse Pater amat vos. In mundo pressuram habebitis, sed confidite.

Cum his verbis convenit cura, quam discipulorum gerit postquam in Torculari captus est [1]). Servi auriculae ab discipulo abscissae medetur. Non alapa eum de statu dejicit [2]). Continuo post: ECCE HOMO, quem omnes admirantur, nemo obliviscitur, tanquam aeri insculptus est cordibus mortalium quotquot vitam patimur. De cruce commendat matrem discipulo quem diligebat et exit diversa imago ab ea quae depingitur Luc. 2, 46 sqq., Matth. 12, 46 sqq. vel denique Joh. 2, 4.

Quod Maria uno verbo audito post resurrectionem [3]) Jesum agnoscit, convenit cum illo εὕρηκα Joh. 1. Hic ille Christus est, cui frustra resistitur. Intrabit, etiamsi cordis fores clauseris [4]). Pax vobis, inquit. Ecquis infidelis umquam amabilius ad fidei professionem adductus est quam Thomas, qui non amplius expetens videre stigma in latere, Jesu pedibus obvolutus ingemiscit et exclamat: Dominus Meus et Deus meus [5])?

Ultimo capite delectabilis imago absolvitur. Matutina nebula extenditur super mare Tiberiadis. Petrus et reliqui per totam noctem frustra laborarunt. Vident hominem in litore: estne dilectus Magister? Dominus est: sentit hoc

---

1) Joh. 18, 8.
2) Luc. 22, 51. Joh. 18, 23.
3) Joh. 20, 16.
4) Joh. 20, 19.
5) Joh. 20, 24—29.

Simon Petrus et tunica succinctus mittit se in mare, ut alios antevertat. Mox omnes una sunt circa prunas positas. Vescuntur pisce et pane. Mox post pisces prodigiose captos, symbolum ecclesiae, quae contemnit neminem, sequitur illud ter repetitum: ἀγαπᾷς με itidemque ter repetitur ποίμαινε τὰ προβάτιά μου, quod fortissimum reddidit qui minimus fuerat in regno eius tribuitque poenitentiae lacrimis quod justo denegatum fuit. Christus ille est Pauli Episcopi: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελεῖται.

Omnes has Christi imagines Ecclesia Catholica primum Evangeliis suis conjunxit et mox canone suo consecravit atque sic illum Christum dedit mundo, qui singulas imperfectas imagines numquam amplexus fuisset. Condonari autem debet Ecclesiae ratio, qua imagines illas conflavit. Sed hoc pertinet ad scribendi genus, a quo diversam viam nos fuissemus ingressi, qui omnia analytice, omnia circumspecte, omnia meditate. Etiamne meliorem viam? Id dubitatur. Habent tempora suam quodque scribendi rationem et veteres praeclaros viros longe alio modo describere solebant quam nos solemus. Naturam sponte sequebantur nec figuram quam pingebant, aliis aequalium figuris stipabant, ut hae illam illustrarent et illa has. Lectores sibi postulabant attentos, curiosos, non inconsiderantes et obliviosos. Quaedam negligunt; adumbrant potius quam ad lucem examinant; indicant et suggerunt; liberum tibi relinquunt ut multa praeterea dicenda esse suspiceris; faciunt denique quod hodie multi pictores solent, ad quorum tabulas si propius accedas, merae sunt colorum maculae; recede paullulum et rerum vivida imago emicabit.

Itaque ea scribendi ratione probata, Catholicam Christi imaginem vehementer admirari poterimus. Perfectus homo nonne complectitur, quae in omnibus scripturis de Christo sunt? Id nondum perspicis, suspicaris tantum? Nonne habet omne mirum, omne dissonum, omne vaporosum, quod habet ὁ ἐρχόμενος? Modo tibi videtur id tantum perficere, quod saeculorum series praeparavit; demetemus et colligemus quod humanum

genus olim sevit et excoluit; modo adoras quod non nisi praestantissimus quisque intelliget; modo annuis saluti, quae universo hominum generi ostenditur. Sed alio tempore nihil distinguis praeter acerbissimam omnium hominum rerumque omnium exagitationem. „Non ad plebis palatum": ita mussitas, sed mox raperis ineluctabili vi verae pulcritudinis et divinae virtutis.

Non ostendit haec imago virtutes, quae forte aliquando magis quam alias in honore fuerunt; nam quo magis talis imago certo tempori certisque hominibus placuerit, eo citius consenescet eritque eodem loco quo picta tabula, in qua vestimenta hodie obsoleta nescio quem vetustatis foetorem traxerunt. Haec imago non exposita est ut admireris, non ut imiteris: id certe non prae ceteris agitur; sed formam accepit id quod summum est, ad quod aspirare possumus. Hunc Christum intuentes incedunt Thomas de Turri Cremata, Loyola et Calvinus; Franciscus Asisius et Melanchthon; Lessingius et Parkerus; flectit genua Magdalena; ludit infans, cui Salvator modo benedixit. Hic vere ille est qui nihil humani a se alienum putat. Solis ortum et occasum, tempestatem, maria atque montes: quidquid vere eximium est unusquisque suo modulo contemplatur. Hunc Christum adorat magnus Inquisitor, penes quem veritas est ab omni errore immunis; ad hanc imaginem conturbatur scepticus, qui ex pristina fide nihil salvum habet praeter animi quandam teneritudinem. Audit monacha: „in resurrectione neque nubunt neque nubuntur". Audit mater: „pueri ad me veniant". Ferimus cum eo crucem et ad nuptias adsidemus. Audit sapiens similitudines sapientiae plenas et Maria sedet ad pedes hospitis Bethaniae. Ille est qui perficit quod olim prophetae fuerant vaticinati, quique omnia virtute sua renovat. Apud eum quietem invenit defatigatus et accingit se apostolus ad bellum adversus lupos rapaces [1]).

---

1) Operae pretium foret, cum cura illustrare quod hic tribus verbis dictum est et ostendere quomodo illae diversae Christi imagines deinceps Ecclesiae usui fuerint. Post Constantinum Magnum nihil inutilius videbatur quam esoterica doctrina, cui Christum τὸν θεριςήν tribuimus. Ecclesia publice constituta fuerat,

Qui amat rerum intelligentiam historiae legibus innixam, ei jucundum erit videre quomodo unica Christi imago, unde tam multa tamque egregia in omnes partes disperguntur, revera ibi nata sit, ubi, praecipue in remota antiquitate, religio cum arte consociabatur, ut altera alteram fulciret et emendaret. Nec sane duplicem illam rationem religionis et artis negligere licet; quoniam utraque res tam arcte conjuncta sit, ut non philosophi dialectica, sed pii hominis vere poeticus animus fons sit unde optima quaeque decurrant. Quo plus tribuetur animi illis affectibus, eo Catholica Christi imago pluris habebitur; sic eadem conditio in vitam revocata fuerit, quae dederit originem.

---

neque jam opus erat „arcana" sapientia. Ecce venit Ecclesiae Reformatio, qua factum est ut hic illic intra Ecclesiae parietes Catholicorum non esset nisi tanquam mystarum arcanum sodalitium. Doctus quidam Scotus scripsit nuper: „die Geschichte der Katholischen Kirche in Schottland in nachreformatorischen Zeiten ist die Geschichte einer geheimen Gesellschaft"; quae verba laudantur ab Adolpho Bellesheim, qui scripsit egregiam *Geschichte der Katholischen Kirche in Schottland von der Einführung des Christenthums bis auf die Gegenwart.* Moguntiaci 1883.

FINIS.

APPENDIX I.

Sacrae Scripturae recognitio et emendatio ab nostro consilio alienae fuerunt itaque, si quid de hoc genere attigimus, id obiter fecimus et quotiescumque ad nostram disputationem nihil interesset, quas lectiones sequeremur, plerumque Vaticanum Codicem secuti sumus, nec quidquam adnotavimus de scripturae discrepantia, cum verendum esset ne lectores obtunderemus, si identidem interrumperemus, quod probare institueramus. Ne tamen ab ea parte opera nostra manca sit futura, in appendice componemus varias lectiones, quarum aliquis usus esse poterit; qua in re uti nobis contigit Michelsenii sagacitate, qui quae nos fugerant ad plagulas ex typographeo madidas diligenter adnotavit. Speramus fore ut lectores docto viro gratias habeant, sicuti ipsi magnas ei gratias agimus atque habemus.

Pag. 4 vs. ult. 1 Thess. 4, 14. Vaticanus Codex et Syriaca habent ὁ θεὸς καὶ — ἄξει· reliqui boni libri: καὶ ὁ θεός.

Pag. 5 vs. 5. 1 Thess. 5, 17: οἱ περιλειπόμενοι om. FG. Desumta verba sunt e vs. 15.

Pag. 9 vs. 3 inf. 1 Thess. 1, 1: ἐν θεῷ πατρί. Redit hoc 2 Thess. 1, 1; sed ibi non magis intelligitur.

Pag. 10 vs. 12 inf. 1 Thess. 2, 16: τὰς ἁμαρτίας in Vaticano Codice perperam omittitur.

Pag. 16 vs. 5. 1 Thess. 3, 13: ἀμέμπτως Codicis Vaticani est; reliqui boni libri: ἀμέμπτους.

Pag. 30 vs. 4. Galat. 2, 12: πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινὰς ἀπὸ

Ἰακώβου: itala ducit ad τινὰ et Origenes interpretatur: πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν Ἰάκωβον. Apparet igitur olim hic aliquid fuisse turbatum.

Pag. 33 vs. 9 inf. Galat. 3, 19: τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προετέθη. Cod. FG: τί οὖν ὁ νόμος τῶν πράξεων; ἐτέθη, quo non multum lucramur.

Pag. 38 vs. 8. Galat. 4, 7. Parum refert scire εἶ in Cod. FG. esse omissum.

Pag. 45 vs. 12 inf. Galat. 6, 1. In Codice Mosquensi legitur προκαταληφθῇ.

Pag. 55 vs. ult. 1 Corinth. 12, 2. In Codice Vaticano correctum fuit ἀνήγεσθε et alteruter nostrum olim commendavit ἀπατώμενοι pro ἀπαγόμενοι.

Pag. 57 vs. 3 inf. 1 Corinth. 2, 7. Michelsenius conjicit insiticium esse τὴν ἀποκεκρυμμένην..

Pag. 58 not. 1. 1 Corinth. 4, 7: τί γάρ σε διακρίνει Erasmi conjectura est.

Pag. 62 vs. 16. 1 Corinth. 14, 2: πνεύματι δὲ λαλεῖ μυςήρια. Erunt qui cum Cod. FG probent πνεῦμα. Nunc quidem nostra nihil interest.

Pag. 62 vs. 23. 1 Corinth. 14, 11: ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί, praepositionem omittunt DFG.

Pag. 64 vs. 18 sq. 1 Corinth. 14, 37: ἐντολὴ om. DFG et in Alexandrino Codice pro κυρίου legitur θεοῦ. Vs. 38 pro ἀγνοείτω vetusta lectio est ἀγνοεῖται· est hoc quidem absurdum, sed sub corruptelis pellucet, quid scriptor fere velit. Itaque p. 70 vs. 10 iisdem versibus usi sumus; quid enim attinet addaturne ἐντολή necne; γινωσκέτω ἃ γράφω ὑμῖν ὅτι κυρίου ἐςίν, perspicua verba sunt, etiamsi in fine non addideris ἐντολή.

Pag. 64 not 2. 1 Corinth. 14, 34 sq. in Cod. DFG leguntur post vs. 40.

Pag. 65 vs. 21. 1 Corinth. 14, 21: περισσοτέραν δοὺς τιμήν, sed in Vaticano est: τι περισσότερον δούς.

Pag. 78 vs. 1 inf. 1 Corinth. 7, 36. Operae pretium est videre apud Manenium p. 276, quid Theologi ad hunc versum explanandum attulerint.

Pag. 80 extr. 1 Corinth. 10, 19. Contendit Michelsenius hunc versiculum recentioris esse fabricae idque argui Codicum dissensione.

Pag. 83 vs. 20. 1 Corinth. 10, 3: τὸ αὐτὸ deest in Codice Sinaitico et Alexandrino idemque vocabulum sequenti versu deest in Codice Alexandrino. Sed etiamsi his omissis legeris: πάντες πνευματικὸν βρῶμα ἔφαγον et πάντες πνευματικὸν ἔπιον πόμα, non credimus ad id quod agimus quidquam interesse, nam in disputatione, quae hoc capite continetur, velis nolis cogitando tamen supplebis quod non diserte enunciatum est. Nec praeterea concedimus continuo spuria esse quae in libris quos diximus, non inveniantur, nam hoc ipsum vocabulum *spurium* non satis perspicimus quid significet, sicubi sermo fit de textu non primitivo sed saepius retractato. Homerica carmina nobis exemplo sint. Satis intelligitur per omnes libros alia deinceps aliis superaddita fuisse, sed quod spurium fuit quo tempore primum cum pristinis verbis coaluit, id jam genuinum erit, si contuleris ea, quae postera aetas interpolavit. Spurius sit Navium Catalogus, sed eum ipsum genuinum appellabimus, si forte quaeretur de supplementis, quibus postea ea ipsa Iliadis pars distenta fuit. Quantum quidem fieri potest, tempora distinguenda sunt et plane iidem versus modo spurii modo genuini dici poterunt. Sed id omne spurium fortasse dices, quod non sit antiquissimum? Verum id ipsum quaeritur semperque fortasse quaeretur, quid tandem sit antiquissimum. Deinde spurium dices, quod non fuit in postrema et legitima recensione, cuius auctoritas semper et ubique maximi habenda est. Verum quaenam ea recensio est? An Aristarchi? Itaque in posterum ne licebit quidem quaerere, sitne Navium Catalogus ipsius poetae opus necne? An Pisistrati fuit exemplar, ad quod omnia examinare debemus? Sed, ut alia multa taceamus, de illo exemplari plura suspicari possumus, quam liquido affirmare. Pleraque omnia deinceps saepius fuerunt retractata, nec novimus quando primum una alterave recensio vulgo recepta sit et, etiamsi id sciremus, tamen lateret, quanti ea recensio habenda fo-

ret. Sed verius est in lectionum constitutione omnia per multa saecula fluxa et incerta fuisse: frustra investigatur, quae recensio fuerit in archetypo libro, unde vetustissimi Codices derivantur. Veterum incuria plane incredibilis fuit. De Sacra Scriptura scribit Origenes: νυνὶ δὲ δηλονότι πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορά, εἴτε ἀπὸ ῥᾳθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως (οὔσης supplemus) τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων ἢ ἀφαιρουμένων. Textus legitime constitutus numquam fuit et si fuit, periit nec nobis norma esse poterit. Sed imprudenter fecimus, quod argumentum attigimus quod tribus verbis non satis recte explicari potest. Redimus ad id quod initio posuimus: nunc quidem nostra nihil refert servesne in textu τὸ αὐτό necne. Similiter p. 84 vs. 2 novimus sane in Cantabrigiensi Codice aliisque libris omitti Luc. 22, 19[b]; 20; sed etiamsi ea verba „spuria" sint, consequitur tamen jam mature dubitavisse homines, qua ratione *corpus* et *panis* deberent componi. Ceterum de hoc genere plurima negligere licet iis, quibus non est propositum quaerere de textu constituendo. Veluti 1 Corinth. 15, 15[b] itidem in Cantabrigiensi Codice desunt verba: εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, sed etiamsi talia e textu eliminaveris, lectores tamen tacita mente supplebunt et quantum nobis judicare datur, sententiae nihil interest.

Nondum dimittere possumus argumentum, in quod forte fortuna incidimus. Redeatur ad Irenaei tempora, quod Tischendorfius spopondit: deinde quid tum? Nonne novimus quam late grassata sit temeritas hominum, qui fuerunt ante Irenaeum? Deinde, etiamsi concedamus repressam fuisse haereticorum licentiam, quis repressit licentiam τῶν ὀρθοδόξων? Sed ut appareat, quam lubricum negotium sit, si quis illorum librorum primitivam formam restituere velit, adscribemus per saturam locos nonnullos, qui propter lectionum diversitates maxime memorabiles sunt. Veluti Matth. 17, 20 discipuli Jesum rogant: διὰ τί ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν (τὸ δαιμόνιον); ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς διὰ τὴν ὀλιγοπιστίαν ὑμῶν.

Est haec lectio Codicis Sinaitici, Vaticani, aliorum multorum, sed sunt praeterea haud pauci libri optimae notae, qui ἀπιςίαν repraesentant. Utra scriptura verior? Respondet Tischendorfius: „ὀλιγοπιςίαν secundo certe saeculo vulgatum fuisse pro testium auctoritate dubitari nequit, nec vero eodem saeculo posterius esse ἀπιςίαν probatur itala. Proclive est dicere substituto ὀλιγοπιςίαν pro ἀπιςίαν mitigatam esse vituperationem. At talem mitigationem potius a posterioribus exspectaveris testibus, qui magno consensu ἀπιςίαν exhibent. Poterat ἀπιςίαν substitui propter sequentia, quibus omnis πίςις excludi videbatur: quam mutationem suadebat etiam 13, 58. Certum hoc est, locis huiusmodi, si rejicimus quod in summa antiquitate vulgatissimum conjuncta codicum patrum interpretum testimonia probant, nimium tribui arbitrio". Non sane intercedimus quominus edatur ὀλιγοπιςίαν, nec Tischendorfii rationem improbamus, cum editor ultra Irenaei tempora adscendere aut noluerit aut non potuerit; verum si quaeritur utra lectio antiquior sit magisque referat ipsius scriptoris manum, necessario respondendum est praestare ἀπιςίαν, nam quorum πίςις ne κόκκον quidem σινάπεως aequat, ἄπιςοι magis sunt quam ὀλιγόπιςοι et videtur interpolator parcere voluisse discipulis nec verisimile est pro ὀλιγοπιςίαν umquam rescribi potuisse ἀπιςίαν. Sequitur Matth. 19, 19: τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα. Καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Quae verba diductis literis notavimus, omittuntur in Codice Hierosolymitano, quo syriaca versio continetur. Non est hoc negligendum, nam accedit Origenis auctoritas: πρόσσχες οὖν, εἰ δυνάμεθα πρὸς τὴν προκειμένην ζήτησιν — οὕτως ἀπαντῆσαι, ὅτι μήποτε τὸ ἀγαπήσεις — σεαυτόν, ὑπονοεῖσθαι δύναται ὡς οὐχ ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἐνταῦθα παρειλῆφθαι, ἀλλ' ὑπὸ τινὸς τὴν ἀκρίβειαν μὴ νοήσαντος τῶν λεγομένων προστεθεῖσθαι· συναγορεύσει δὲ τῇ ὑπονοήσει τοῦ προστεθεῖσθαι ἐνταῦθα τὸ ἀγαπήσεις etc. ἡ τῶν ὁμοίων παρὰ τῷ Μάρκῳ καὶ τῷ Λουκᾷ ἔκθεσις, ὧν οὐδέτερος προστέθεικε ταῖς ἐντολαῖς τὸ ἀγαπήσεις etc. Respondebis fortasse nihil id referre, quid Origenes olim conjecerit: at nunc vide Matth. 21, 15: ὡσαννὰ τῷ υἱῷ

Δαυείδ. Hic autem quid Origenes? ζητήσεις δέ, ait, πότερον ταὐτόν ἐςιν οἶκος Δαυείδ καὶ υἱὸς Δαυείδ· καὶ εἰ μὴ ταὐτόν ἐςιν, ἡμάρτηται τὸ κατὰ Ματθαῖον γραφικῶς, ὀφεῖλον ἔχειν ἤτοι δίς· τῷ οἴκῳ Δαυείδ· ἤτοι· τῷ υἱῷ Δαυείδ. „Sunt haec." inquit Tischendorfius, „in vss. 9 et 15 dicta; altero igitur loco οἴκῳ, altero υἱῷ scriptum invenit: at nunc quidem Origenes neutro loco aliter quam υἱῷ legisse invenitur." Non refragamur, modo concedatur hodie ferri in libris conjecturam Origenis, veram fortasse, sed conjecturam. Sed dices parvulam rem et nullius momenti esse: quid igitur facies Matth. 21, 29—31, ubi alia multa turbata sunt et plane nescitur inde ab Hieronymi temporibus, nam Origenes ea praeteriit, sitne legendum ὁ πρῶτος, ὁ ὕςερος an ὁ δεύτερος, cuius rei dijudicatio anceps habenda erit, ni stet sententia in omnibus sequi auctoritatem Codicis Sinaitici. Neque alibi, Matth. 22, 32, definies quae vera scriptura sit, nisi antea constitueris quantum auctoritatis Origenis libris tribuendum sit, quae intricata quaestio est necdum ad liquidum perduci potuit. Quam est notabile quod traditur de Pilati verbis Matth. 27, 17: τίνα θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν, Βαραββᾶν ἢ Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον χριςόν, de quo loco olim diximus *Mnem.* XX 278. Scribit Origenes: „In multis exemplaribus non continetur, quod Barabbas etiam Jesus dicebatur, et fortasse recte, ne nomen Jesu conveniat alicui iniquorum; idque confirmatur scholio quodam: Ἀναςασίου ἐπισκόπου Ἀντιοχέως· παλαιοῖς πάνυ ἀντιγράφοις ἐντυχὼν εὗρον καὶ αὐτὸν τὸν Βαραββᾶν Ἰησοῦν λεγόμενον. Aut omnia nos fallunt, aut certum est cognomines fuisse Jesum et Barabbam, nam intelligimus, quomodo nomen divinum Barabbae ademtum aliquando fuerit; minime assequimur quales tandem mortales addere potuerint, nam quod Tischendorfius etiam palaeographiae auxilium invocat, id nunc quidem frustra fecit. Est tamen vestigium veteris lectionis in quinque libris minusculis, sed sincerae lectioni obfuit quod Beda adnotavit ad Act. Apost. 13, 6: „Non convenit hominem flagitiosum et magum filium Jesu, id est salvatoris, appellari, quem e contrario Paulus filium diaboli nuncupat;" qua in re eum

Origenem sequi videmus: „In tanta multitudine scripturarum neminem scimus Jesum peccatorem, sicuti in aliis nominibus justorum, ut ejusdem nominis inveniantur esse etiam iniqui; — non autem conveniebat esse tale aliquid et in nomine Jesu.” Admirabile hoc est artis criticae specimen.

Legitur in Codice Sinaitico et Vaticano Matth. 27, 49: *ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην ἔνυξεν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν καὶ ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα. ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.* Obloquitur Johannes 19, 34: *ἀλλ' εἷς τῶν ςρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξεν, καὶ ἐξῆλθεν εὐθὺς αἷμα καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκεν, καὶ ἀληθινὴ αὐτοῦ ἐςὶν ἡ μαρτυρία.* Quo spectat illa solemnis obtestatio? Nempe Matthaeus tradiderat Jesu adhuc vivi latus lancea petitum fuisse; asseverat autem Johannes idem factum fuisse post mortem. Nunc Tischendorfius paene necessitate coactus Sinaiticum suum Codicem deserit seseque applicat ad Codicem Alexandrinum aliosque libros, in quibus apud Matthaeum lanceae mentio omissa est. Clemens V in Concilio Viennensi a. 1311 additamentum in Matthaei Evangelio damnavit et docuit — *ποςαῖος ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*; — Johannem tenuisse rectum rei gestae ordinem. Sed Papa scire non poterat, id quod nunc Tischendorfii labore perfacile est, quam vetustis temporibus versiculus ille jam legeretur et facilius intelligimus expunctum fuisse quod cum Johanne pugnaret, quam adscriptum fuisse quod tam diserto testimonio convelleretur. „Suspiceris,” inquit Tischendorfius, „jam Celsi temporibus evangelicam Matthaei scripturam traditione de puncto vivo Jesu corpore auctam fuisse.” Itaque negligit testimonium tam vetustum et nihil proderit redire ad Irenaei saeculum, si hoc agatur ut pristina forma Sacrae Scripturae reddatur. Sed etiam alibi concedit Tischendorfius, quod incurrit in oculos, jam Irenaei aetate Sacrum Codicem multum ab integritate afuisse. Utrum Marc. 1, 1 verba *υἱοῦ θεοῦ* quae addita sunt in Vaticano Codice, sed ab initio omissa erant in Codice Sinaitico, spuria sunt an genuina? Neque id sic simpliciter affirmari, nec negari potest. Qui Levi dicitur Marc. 2, 14 Origenis tempore ab

nonnullis Jacobus dicebatur, idque Origenes minime improbat. Fueruntne Marc. 5, 2 Geraseni, Gadareni an Gergeseni dicendi? Optimae auctoritatis lectio est Γερασηνῶν· quid autem Catena Oxoniensis? Γέρασα τῆς Ἀραβίας ἐςὶ πόλις, οὔτε θάλασσαν οὔτε λίμνην πλησίον ἔχουσα· καὶ οὐκ ἂν οὕτω προφανὲς ψεῦδος καὶ εὐέλεγκτον οἱ εὐαγγελιςαὶ εἰρήκεισαν, ἄνδρες ἐπιμελῶς γινώσκοντες τὰ περὶ τῆς Ἰουδαίας. Fuitne Jesus, Marc. 6, 3, ipse faber an fabri filius tantummodo? Fabrum respondent omnes Codices meliores et consentiunt Justinus cum Celso; fabri filium respondet Origenes.

Marc. 10, 25: εὐκοπώτερόν ἐςιν κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. Confer parallelos locos Matthaei et Lucae et diligenter quaere quae sit proverbii primitiva forma: τρυμαλιᾶς an τρήματος an τρυπήματος, ῥαφίδος an βελόνης, διελθεῖν an εἰσελθεῖν. Si contigerit invenire, magnam gratiam inibis apud Theologos. Non minus arduum est dicere quae primitiva ac genuina forma fuerit Marc. 10, 29: ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν ἢ ἀδελφοὺς ἢ ἀδελφὰς ἢ μητέρα ἢ πατέρα ἢ τέκνα ἢ ἀγρούς. Cur hic nulla mentio facta uxoris quae tamen memoratur Luc. 18, 28? Codex Alexandrinus hic certe dissentit a Codd. Sinaitico et Vaticano. Datumne aliquid fuit scurrili joco Imperatoris Juliani?

Ignoratur fueritne primitus scriptum Marc. 11, 1 Bethania an Bethphage. Sed quid pergimus quaerere de minutis illis, quum maxima oriatur dubitatio circa ea quae leguntur ad Evangelii calcem. Spuria omnia sint quae inveniuntur post ἐφοβοῦντο γάρ· verum Irenaeus jam novit additamentum, quod omissum quidem est in Sinaitico et Vaticano, sed legitur in Alexandrino. „Ante Irenaei tempora," ut ait Tischendorfius, „textus apostolici mutationes atque interpolationes longe plurimae ac gravissimae factae sunt." Audimus; verum si hodie ultra Irenaeum adscendere non licet, quod Tischendorfio jam magnificum videtur, sequitur micare in tenebris qui Codicum ope susceperit investigare librorum toties retractatorum genuinam formam et antiquissimas partes.

Veluti statim minime negligendum est, resectis duobus capitibus Marcionem suum Evangelium auspicatum fuisse ab illis quae hodie leguntur Luc. 3, 1; nec tamen minus apparet admodum antiqua esse quae duobus illis capitibus continentur. Spuriane sunt an genuina? Non sic simpliciter respondere possumus, nam alia multa ante examinanda erunt, ut appareat unde coaluerint quae hodie apud Lucam leguntur: pergemus quaerere, sed ipsa Homerica quaestio minus perplexa est. Correctionum et interpolationum nullus finis est: Luc. 2, 33 memorantur Jesu pater et mater; jam in Alexandrino Codice pro patris nomine Josephus substitutus fuit et nunc quidem pellucet causa cur sincerum vas incrustatum fuerit; sed nullus Codex opem tulit Luc. 3, 23, ubi Josephi filius dicitur, ὡς ἐνομίζετο, quae verba certe non statim ab initio addita fuerunt. Unicum praesidium est in Origenis verbis: ὃς ἦν υἱός, ὡς ἐνομίζετο, καὶ γὰρ καὶ τοῦτο προστίθησι, τοῦ Ἰωσήφ, nam hoc ipsum vix adscripsisset, nisi nosset verborum illorum ὡς ἐνομίζετο sublestam fidem esse.

Quod aliter fieri vix potuit, in tanto testium numero testimoniorumque discrepantia Tischendorfius ipse interdum incertus haeret et duces deserit, quos alibi unice admiratur. Luc. 8, 37 Sinaiticus, Alexandrinus et Vaticanus habent: ἠρώτησεν αὐτὸν ἅπαν τὸ πλῆθος· tamen edidit ἠρώτησαν· nimirum haec lectio maximam commendationem ab interpretum inprimis Latinorum testimonio habet propterea que invitis antiquissimis Codicibus Graecis retinenda." Alibi vero, Luc. 9, 56, cum iisdem illis Graecis libris quaedam omisit et adscripsit: „Secundo vero jam saeculo quin in Codicibus omnis haec interpolatio circumferri consueverit pro testium auctoritate, Latinorum maxime et Syriacorum, dubitari nequit." Nec sane hoc carpimus, sed negamus in tam obscuro argumento aliquid pro certo affirmari posse. Ipse hoc disertis verbis Tischendorfius fatetur ad Luc. 8, 42: „Ceterum," inquit, „dubium non est quin medio jam saeculo secundo utraque lectio Codices occupaverit." Redieris igitur licet ad Irenaei tempora et nihilo eris doctior quam fueras.

Verum enimvero cavendum esse videmus, ne nimis multi simus in re aperta, cum Lachmannus et Tischendorfius ipsi contendant primitiva scriptorum verba non posse in vitam revocari et nos contentos esse debere, dummodo textum recuperare possimus, qui fuit tempore concilii Nicaeni vel, post inventum Sinaiticum Codicem ceterosque Tischendorfii labores, fortasse Irenaei. Describemus tamen quae nos inprimis adverterunt. Veluti scribit Epiphanius ad Luc. 19, 41: *ἀλλὰ καὶ ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς* ΛΔΙΟΡΘΩΤΟΙΣ *ἀντιγράφοις, καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ καθ' αἱρέσεων πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν χριςὸν πεφηνέναι λέγοντας· ὀρθόδοξοι δ' ἀφείλοντο τὸ ῥητόν.* Benefactum quod nunc nihil nocuerunt, sed suspicari possumus quid alibi designaverint. Legitur Luc. 22, 43 sq.: *ὤφθη δ'αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέςερον προσηύχετο καὶ ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντος ἐπὶ τὴν γῆν*, vide autem quantum fuerit periculum ne ea verba interciderent: mature deleta fuerunt in Sinaitico; non sunt in Alexandrino; non sunt in Vaticano; in aliis asteriscis notata sunt; obelis in aliis; teste Cyrillo deerant in Graecis et in Latinis Codicibus quam plurimis; verbo, quantum efficimus ex docta Tischendorfii adnotatione, offensioni fuerunt quamdiu bellum gestum est adversus Arium; deinde sepultis illis certaminibus resumtum fuit telum, quo Docetae convincerentur. Lachmannus laudata verba omisit; retinuit Tischendorfius. Uter recte? utrum probes perinde est: ipsum Lucam si quaeris, genuina certe verba sunt; quodsi autem id scire interest, quid probatum fuerit tempore concilii Nicaeni, plerique et vetustissimi testes respondent tunc temporis locum a bene multis spurium fuisse habitum. Tam est perplexum quod imperitis expeditum videtur esse.

Venimus ad Luc. 23, 43: *σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.* Utebantur Manichaei his verbis ut ostenderent resurrectionem *περιττήν* esse et Marcion locum e textu eliminarat. Nempe, ut ait Origenes, *οὕτω ἐτάραξέ τινας ὡς ἀσύμφωνον τὸ εἰρημένον ὥςε τολμῆσαι αὐτοὺς ὑπονοῆσαι*

προστεθεῖσθαι τῷ εὐαγγελίῳ ὑπὸ τινῶν ῥᾳδιουργῶν αὐτὸ τό· σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ θεοῦ. Credisne numquam accidisse quod sexcenties tentatum fuit? Tischendorfius certe cum Cantabrigiensi omisit Luc. 24, 40, qui versus exstat in Sinait. Alex. Vatic., alibi. Minime improbamus factum, sed miramur tamen cur Tischendorfius nunc italae plus tribuerit quam saepe soleat.

Joh. 3, 6, quod disertis verbis traditur, expunctus fuerat ab Arianis. Et hic quidem Arianorum fraus perpluit: verum quid faciemus Joh. 5, 4: ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος ὑγιὴς ἐγίνετο ᾧδήποτε κατείχετο νοσήματι. Ut alios libros taceamus, habet haec Alexandrinus; non habent Sinaiticus et Vaticanus; hinc Lachmannus recepit, Tischendorfius non recepit. Absurdum est quod narratur: concedimus; sed non videmus quid inde sequatur: cur enim tutius est interpolatori absurda illa tribuere quam ipsi scriptori? Hic quoque, nisi fallimur, Codicis Sacri reverentia fecit ut Editor in textu anilem fabellam tolerare nollet. Nonne locus omitti potuit vel asteriscis notari, cum veteres doctores tam incredibilem superstitionem non possent concoquere? Tam hoc est verisimile quam illud. Quod Tischendorfius respondet ad Joh. 5, 13 de auctoritate Codicis Cantabrigiensis ejusmodi est, ut tota res revocetur ab certa judicandi norma ad liberum editoris arbitrium: fieri potest ut eo necessitate inevitabili deducamur, sed cavendum est ne aliis imponamus, dum ea scire videamur, quae oculorum et mentis aciem plane effugiunt. Veluti pericope de muliere adultera in illo ipso Cantabrigiensi legitur: cur ejus auctoritas nunc repente eviluit? Cur plane nihili faciendum est quod scribit Augustinus: „Sed hoc videlicet fidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae fidei vel potius inimici verae fidei, credo metuentes peccati impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia dominus fecit, auferrent de Codicibus suis.”? Requirimus certe firmius argumentum quam illud est, quo post alia gravissima tandem Tischen-

dorfius utitur, dum postulat ut probetur Tertullianum atque Origenem ex illorum numero maritorum fuisse, quorum fidem Augustini disputatio suspectam reddidit. Quamdiu ignorabitur origo quarti Evangelii, non arbitramur certissimum esse, quod contendit Tischendorfius, locum de adultera non ab Johanne scriptum esse. Denique optimi Codices pericope careant nec legerint multi patres; at habet Cantabrigiensis nec deest in itala. Scribit Hieronymus in Evangelio secundum Johannem in multis Graecis et Latinis Codicibus inveniri de adultera muliere, quae accusata est apud dominum. Quod a tertio inde saeculo in Codicibus Graecis et Latinis legi coeptum est, non continuo e textu eliminabimus, nam etiamsi locus divina pulcritudine nos alliciat, intelligere tamen videmur cur moribus corruptis cautum sit ne disciplina ulterius laxaretur. Pariter scurrilis jocus libidinosi illius adulescentis fortasse fecit ut in nonnullis libris deleretur Luc. 6, 30: *παντὶ αἰτοῦντί σε δίδου*, ne virgines cum haec legerent, pudore suffunderentur simulque gentilibus ansa praeberetur turpia Christianorum mysteria exagitandi. Multa certe ante consideranda erunt, quam liceat in alteram utram partem pronunciare.

Quam innumera sunt quae nos latent et latebunt! Cur tandem Act. 20, 15 spuria hodie videntur verba, quae et alibi leguntur et in Codice Cantabrig: *τῇ δ' ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον (καὶ μείναντες ἐν Τρωγιλίῳ) τῇ ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς Μίλητον.* Cur Act. 21, 1: *ἤλθομεν. . . . κἀκεῖθεν εἰς Πάταρα (καὶ Μύρραν)*? Cf. Act. 27, 5. Profers Codicum auctoritatem, sed ipse Tischendorfius saepe suo arbitratu textum constituit. Est locus Act. 20, 28: *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου ἣν περιεποίησατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου.* Quaeritur debeamusne appellare *ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου* an *τοῦ θεοῦ.* Utraque lectio suos testes habet et quidem locupletissimos. Quid Editor? „*Τοῦ κυρίου* lectio quin ab ipso scriptore profecta sit, licet contra stent Sinaiticus et Vaticanus vix dubitari licet.” Confer praeterea Joh. 1, 18 et videbis optimorum codicum consensum repente evilescere, sicubi res ita tulerit; contra autographorum instar

sunt, si quid forte praebent quod editoribus probabile videtur. Adeo omnia incerta sunt: recurratur identidem ad Irenaei tempora, sed quod ultra est, de eo libera est omnium existimatio. Estne legendum 1 Joh. 4, 3: πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν an ὃ λύει? Quam vetusta lectio est προορισθέντος pro ὁρισθέντος Rom. 1, 4! Rom. 1, 32: οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, cur posthabendum est quod Vaticanus habet ποιοῦντες et συνευδοκοῦντες, cum illa participia etiam aliunde stabiliantur? Etiam atque etiam considerandus est Rom. 3, 5, ubi Origenes pro κατ' ἄνθρωπον invenit κατ' ἀνθρώπων. Vide Rom. 8, 11 ipsorum veterum dubitationes sitne legendum διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος an διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα et hodie quoque dissentit Vaticanus ab Sinaitico et Alexandrino. Nimirum diu omnes omnia ad suum palatum refingebant: queritur de haereticis Augustinus ad Rom. 9, 20; quid haereticos de orthodoxis questos esse arbitrabimur? Quam est difficile dicere sitne legendum Rom. 12, 11: τῷ κυρίῳ δουλεύοντες an τῷ καιρῷ. Σκοτοδινιῶμεν quum quaerimus quae tandem sincera scriptura sit 1 Corinth. 7, 34. Quod legitur 1 Corinth. 10, 9: μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν κύριον, reposuit Marcion τὸν χρεστόν eamque lectionem multi boni codices habent, uti et itala et FG: pendentne igitur e Marcione? Vix id nobis persuademus. Itaque Epiphanius mentitus est? Sunt qui credant. Quid igitur restat? Uti nobis quidem videtur, fateri ignorantiam et conferre Tischendorfium ad 1 Corinth. 10, 16 et Philipp. 2, 30. Pergimus ad 1 Corinth. 10, 17: οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν· cum alii codices, tum DFG addunt: καὶ τοῦ ἑνὸς ποτηρίου· cur id nunc necessario falso fieri existimabimus? Alibi, 1 Corinth. 10, 20, Marcion omisisse fertur τὰ ἔθνη itaque legitur in libris B D F G, alibi. Ancipites haeserunt veteres scriberentne 1 Corinth. 13, 3 καυθήσομαι, quod facilem explicationem habet, nam syntaxin nunc non moramur, an καυχήσομαι, quod propemodum absurdum est. Utra scriptura verior? Dixerimus neutram satis probabi-

lem esse. Deinde 1 Corinth. 14, 38: εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοεῖται est in Sinaitico, sed ἀγνοείτω est in Vaticano, alibi legitur; hinc Tischendorfius edidit ἀγνοεῖται· dubium enim non esse quin ἀγνοείτω pro faciliore lectione habendum sit. Num igitur infames sunt lectiones, quae facilitate commendantur? Admirabilis canon is est, ad quem scripturae varietas exigetur. Porro 1 Corinth. 15, 47 Marcionitice tinctus est Codex Alexandrinus neque ab ea labe immunis mansit Sinaiticus, ne forte putes hoc vitium competere solis codd. B D F G. Maior etiam dubitatio oritur quomodo constituendus sit 1 Corinth. 15, 51: πάντες οὐ κοιμησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα et tanta est inter librarios dissensio, quanta major non potest esse eaque dissensio permanavit ad Lachmannum et Tischendorfium, quorum alter quamquam ducem suum ignorans sequitur Sinaiticum conspirantem cum ACFG, hic autem Vaticanum.

Venimus ad Galat. 1, 1: διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· scripserat autem Marcion: διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Sit hoc temere factum nec sane Marcionem hic sequemur; sed id tamen videmus, unde sit factum ut toties pro ἐγερθῆναι inveniatur varia lectio ἀναστῆναι, cf. infra 1 Corinth. 15, 52; apparet igitur vetustissimos libros quos habemus, haereticorum tentaminibus infectos fuisse, sed quomodo et quando id factum sit, plane incertum est. Quam parum novimus sitne ad Ephesios epistula revera Ephesum missa? Quam multa pro lectorum arbitrio constituta videbuntur, quum Paulus Graece parum doctus fuerit: audi Origenem ad Ephes. 2, 4: τὸν ΔΕ σύνδεσμον ἡγούμεθα ἤτοι παρεμβεβλῆσθαι μάτην ἐν τοῖς ἀντιγράφοις ἢ ὡς ὑπ' ἰδιώτου τῷ λόγῳ Παύλου μὴ τεθεωρῆσθαι παρέλκοντα itidemque ad Ephes. 3, 1: σολοικισμὸν δὲ γεγονέναι νομίζω ἐν τῷ τόπῳ· denique ad Ephes. 5, 11 Hieronymus, qui ex Origene pendet: „Quia vero in hoc loco contextus eloquii videtur esse turbatus et tota scatere (squalere?) sententia, sic ordini sermo reddendus est". Hinc idem ille ad 1 Thess. 4, 6: caussati in prin-

cipio sumus inter omnes Pauli Epistulas hanc (i. e. ad Ephesios) vel maxime et verbis et sensibus involutam.

Finis nobis aliquando faciendus est itaque multis omissis nunc digitum intendimus in Hebr. 2, 9, ubi mature dubitatum fuit essetne legendum χάριτι θεοῦ an χωρὶς θεοῦ et 1 Tim. 3, 16, ubi nota fraude pro ὃς suppositum fuit θεός. Quid autem si id verum esse reperietur, quod scribit Hieronymus: „ad eos venio haereticos, qui Evangelia laniaverunt,..... quorum plurimi *adhuc vivente Joanne Apostolo* eruperunt"? I nunc et quaere quae sacri codicis primitiva forma fuerit et ope codicum constitue quid genuinum spuriumve in iis inveniatur. Non prius editi illi libri fuerunt in lucem, quam omni corruptelarum genere inquinati. Quod per saecula minimum duo neglectum jacuit, pristinum nitorem numquam recuperabit. Ad eum finem facimus quod possumus, sed quod volumus neutiquam licet. Numquam fuerunt mortales, quibus contigit Sacrum codicem non corruptum lectitare et meditari. Saepe de tota hac quaestione cum Michelsenio egimus, quamquam non plane inter nos conveniebat. Sic enim vir doctus sibi persuasit, ex perita collatione librorum, qui tum ex Oriente tum ex Occidente ad nos permanarunt erui aliquando posse textum qui vulgo receptus fuerit exeunte saeculo secundo. Non intercedimus; verum post mille exantlatos labores quid lucrati erimus? Audi ipsum: „Zulk eene uitgave zou meer dan iets anders 't recht, neen de onvermijdelijke noodzakelijkheid der conjecturaal-kritiek staven; want ze zou ons bij benadering den archetypus teruggeven, 't handschrift waarvan al de onze afstammen, en het zou niet langer twijfelachtig zijn, hoe diep bedorven dat handschrift was." Scilicet tanto intervallo a „primitivo" textu separamur et nobis quidem placet sapiens Catulli consilium, ut quod vides perisse perditum ducas.

Pag. 92 vs. 4. 1 Corinth. 15, 4: ὃ καὶ παρέλαβον, om. Irenaeus, Tertullianus, alii.

Pag. 92 vs. 15 inf. 1 Corinth. 15, 29: οἱ βαπτιζόμενοι, sed Cod. Claromontanus. sec. Lachm.: οἱ βαπτίζοντες.

Pag. 92 vs. inf. 1 Corinth. 15, 24 Origenes septies laudavit nec sibi constat, nam insignis est lectionum varietas. Itidem quae tradita sunt vss. 26—28ª variis modis transponuntur vel etiam omittuntur. Michelsenius rem repetit a vs. 27, quem spurium scribit sibi videri.

Pag. 93 vs. 4. 1 Corinth. 15, 52. Dubitatur utrum verior scriptura sit ἐγερθήσονται an ἀναστήσονται. Cf. Matth. 24, 11.

Pag. 93 vs. 15 inf. 1 Corinth. 15, 37: ὃ σπείρεις om. a Tertulliano.

Pag. 94 vs. 16. 1 Corinth. 15, 54: ὅταν — ἀθανασίαν om. FG; deinde Sinait. aliique libri om. τὸ φθαρτόν — ἀφθαρσίαν καί. In Cod. Alexandrino duo sententiae membra transposita.

Pag. 99 not 1. Scilicet non omnia enotavimus, sed potiora tantum. Omnes in hac epistula recensere corruptelas infinitum est. Interdum corrupta emendare conati sumus, sed plane ἐν παρέργῳ. Addimus 2 Cor. 2, 7: ἢ ὑπὸ τῶν πλειόνων om. F G et 2 Cor. 11, 29 jam ante nos Patricius Iunius πτύρομαι invenit.

Pag. 101 vs. 13. 2 Corinth. 2, 9: ἔγραψα ἵνα γνῶ τὴν δοκιμὴν ὑμῶν εἰ εἰς πάντα ὑπήκοοί ἐστε, sed solus Vaticanus habet: ἢ εἰς πάντα. Ancipites haeremus utram scripturam probemus, sed hoc liquido constat, neque hoc neque illud commode explicari posse idque fatebuntur omnes, qui locum sine praejudicata opinione consideraverint.

Pag. 106 not. vs. 8. 2 Corinth. 11, 4. Michelsenius est qui λαμβάνετε delevit.

Pag. 107 not. 1. 2 Corinth. 12, 7. Jam Mangeius ante nos commendavit κολάζῃ.

Pag. 112 vs. 9. 2 Corinth. 6, 14—7, 1. Jam dudum hi versus interpretibus offensioni fuerunt; cf. quos Manenius recenset.

Pag. 116 vs. 5. Apparet nihil sane esse cur nos narrationem de praefecto Aretae regis spuriam habeamus.

Pag. 116 not 3. 2 Corinth. 12, 6; sed quam mire: μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται.

Pag. 117 not 1. 2 Corinth 12, 11. Sed rectene scribitur: οὐδὲν γάρ τι ὑστέρησα? De vs. seq. Manenius dicet quid interpretes moliti sint.

Pag. 124 vs. 12 inf. Rom. 1, 32 memorabilis est in Vaticano lectio ποιοῦντες et συνευδοκοῦντες.

Pag. 129 vs. ult. Rom. 2, 29. Nec negligendum est in Cod. G uti et in itala legi: ὃς πνεύματι.

Pag. 130 vs. 24. Rom. 3, 25 sq. Omiserunt F G: διὰ τὴν πάρεσιν — τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ.

Pag. 130 vs. 26. Rom. 3, 26. In excutienda lectionis varietate oculi nostri aberrarunt ad vs. 22, nam in hoc versiculo minimeque vs. 26 om. est Ἰησοῦ in Vaticano Codice.

Pag. 131 not 1. Rom. 4, 1 Codex Alex. cum Sinait. F G aliis insertum habent εὑρηκέναι. Τί οὖν ἐροῦμεν εὑρηκέναι τὸν προπάτορα ἡμῶν κατὰ σάρκα, cui lectioni nostra explicatio minus favet, nec tamen plane repugnat.

Pag. 132 vs. paen. Rom. 4, 17. In Cod. F G legitur ἐπίςευσας.

Pag. 133 vs. 12. Hic adnotandum fuerat in libris F G omitti μόνον et καί.

Pag. 133 vs. 5 inf. Rom. 4, 19. Habent D F G ἐν τῇ πίςει et vs. 20 F G: ἐδυναμώθη.

Pag. 136 vs. 27. Quaesitum fuit olim essetne scribendum ἐπὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας an ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. Ambrosiastri locum Tischendorfius apposuit, ubi et alia scribuntur et illud: „constat porro olim quosdam Latinos de veteribus Graecis translatos codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat: postquam autem a concordia animis discedentibus et haereticis perturbantibus torqueri quaestionibus coeperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in libris, quod homini videretur, unde etiam *ipsi Graeci diversos Codices habent*".

Pag. 138 vs. 13 inf. Rom. 5, 12. Alterum ὁ θάνατος om. in F G et vide quid de ea scriptura Augustinus contra Pelagianos attulerit.

Pag. 138 not. 1. Rom. 5, 17: ἐν ἑνὶ παραπτώματι est Codd. A F G; in Sinait. Vatic. et aliis est: τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι.

Pag. 139 vs. 9. Rom. 5, 7 apud Irenaeum omissus est.

Pag. 144 vs. 7. Rom. 7, 13: ἐγένετο om. F G.

Pag. 146 vs. 10. Rom. 7, 15: τοῦτο om. D F G.

Pag. 146 vs. 16. Rom. 7, 17: ἐνοικοῦσα pro οἰκοῦσα est Codd. Sinait et Vatic.

Pag. 146 vs. 19. Rom. 7, 21. F G. om.: ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται.

Pag. 147 vs. ult. Rom. 8, 17. F G om.: κληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι.

Pag. 149 not. 5. Rom. 8, 20. F G habent: οὐ θέλουσα.

Pag. 159 not. 1. Rom. 9, 3: ἀπὸ τοῦ χριςοῦ. Sic boni Codices, sed D E G: ὑπό.

Pag. 164 vs. 8. Rom. 11, 21. D F G habent μήπως οὐδὲ σοῦ.

Pag. 170 vs. 21. Rom. 13, 12. Pro ἀποθώμεθα habent D F G ἀποβαλώμεθα.

Pag. 171 vs. 20. Rom. 14, 2 D F G λάχανα ἐσθιέτω, non ἐσθίει.

Pag. 177 vs. 7. Rom. 1, 7. ἐν Ῥώμῃ om. G., uti et 1, 15: τοῖς ἐν Ῥώμῃ.

Pag. 197 vs. 8 inf. Joh. 3, 34 τὸ πνεῦμα om. Vatic.

APPENDIX II.

In superioribus omisimus dicere quid alii ad Sacri Codicis interpretationem contulissent idque nos fecisse libenter profitemur, quo facilius lectoribus appareret, quid ipsi suscepissemus probare. Verum ignorationis et arrogantiae crimen ut effugiamus, nunc repetendum est quod de industria neglectum fuerat. Eos autem, qui ante nos fuerunt, potissimum cognovimus ex aliorum relationibus, neque id pudet ingenue fateri, nam brevitas humanae vitae facit ut is numquam perveniat quo tendat, qui ipse sibi sapere non audeat, priusquam omnium quotquot laude floruerunt, doctorum virorum opiniones examinaverit et refutaverit.

Ante alios consuluimus Holtzmannum et Manenium. Jamdudum est ex quo ille in Annuis Relationibus de Exegesi scribere coepit — *Jahresberichte* appellant — et nuperrime Isagogen edidit — *Einleitung* —; hujus autem est *Novum Testamentum inde ab anno* 1859. Ad id quod agimus, ut explicetur historia Exegesis Sacrae, non dantur duces fideliores. Audiemus diligenter quid afferant, et circumspiciemus, numquid forte inde possit derivari quod nos meliora doceat.

Quod attinet ad quatuor Pauli Epistulas ὁμολογουμένας, scribit Holtzmannus *Einl.* p. 224: „sie bleiben dunkel und schwerverständlich, wie wenige Producte des Alterthums." Itaque Holtzmannus eodem pervenit quo jam perventum fuerat 2 Petr. 3, 16. In his Epistulis „kann die geniale Concep-

tion oft mehr geahnt als nachgewiesen werden.". Secundum eum „wollen diese Briefe nicht gelesen, sondern studirt sein. In bunter Fülle drängen sich Schwierigkeiten."

De quibusnam hoc dictum est? Num de disputationibus philosophicis? Num forte de Pascalis Schediasmate, currente calamo festinanter in codicillis exarato, magis ut philosophus sibi ipsi sua explicaret, quam ut alios doceret? Imo de epistulis sermo fit, de epistulis ad ecclesias recens conditas minimeque philosophia imbutas; de epistulis denique compositis ab eo, qui nullam sibi arrogat sapientiam. Quid autem demonstratur ea Holtzmanni descriptione, qui novit interpretes omnes sibique persuasit genuinas esse omnes Pauli τὰς ὁμολογουμένας?

Depingitur ante oculos nostros Paulus quidam, qui etiam scribendo docere, exhortari, consolari, novam denique fidem propagare cupiebat, nec tamen didicerat scribere; qui in scriptione ad indoctos utebatur locutionibus obscuris minimeque intellectis, quae etiam nos sero natos frustra exercent.

Nemini certe talis imago placere potest itaque argumentum est quod ab utraque parte interpretes concludit: *aut* genuinae epistulae sunt, sed, postquam diu frustra desudatum fuit, non satis dignae sunt quae semper ab integro legantur; *aut*, si quidem nostro indefesso studio dignae sunt, obscuritatis illius origo non repetenda est ex scriptoris imperitia, sed ex hiulca compositione. Nempe ne sunt quidem epistulae, sed compilationes.

Holtzmannum si sequimur, vide historicam interpretationem, ut ipsa suo se gladio jugulet. Epistularum explicatio, inquit, petenda est ex historia temporis, quo conscriptae sunt. Itaque sequitur conscriptas esse Epistulas, ut *certi* aliquid traderetur *certis* quibusdam lectoribus. Optime! Quodnam est igitur Epistularum argumentum et quibus tandem mortalibus destinatae sunt?

Hic interpretes in diversa abeunt et sua cuique unice placent; nos autem destituimur. Itane? Deposcimur ut explicemus temporis ratione habita, scriptionem, cuius

neque argumentum in universum constat, nec quosnam lectores scriptor cogitaverit. Jam propemodum ad desperandum adigimur.

Sed manent nos maiora: epistularum explicatio pendet ex tempore quo conscriptae sunt. Nec tamen quod attinet ad ea quae Christianae religioni propria sunt, tempus illud cognosci potest nisi ope earundem illarum Epistularum. At illae Epistulae sunt „dunkel und schwerverständlich." Habemus sane quod nobis gratulemur! Malumus fere veterem illam Θεοπνευςίαν, nam in divinis oraculis obscuritas nihil habet quod nos offendat. Verum quid facias documentis historicis quae nemo intelligit? Τὸ ἄλφα explicabitur ope τοῦ βῆτα· verum τὸ βῆτα cognosci non potest nisi ἐκ τοῦ ἄλφα· τὸ ἄλφα autem est ... „dunkel und schwerverständlich." Hoc quidem est hominem, uti aiunt, ludos facere.

Nihil horum tangit interpretes. Facile ferimus, inquiunt, quod in illis Epistulis δυσνόητον est. „Paulus dictirte und daraus erklärt sich das Ungeordnete und wenig Gefeilte seiner Schreibweise.... Oft genug mochte dem Apostel das Dictiren zu langsam gehen; er kam, während der Schreiber seine Buchstaben malte, auf neue Gedanken, verlor den Faden und veranlasste auf diese Weise exegetische Probleme, deren etliche vielleicht für immer unlösbar bleiben."

Nempe unde hoc rescivimus? Possuntne dictari philosophicae disputationes, quales in hisce Epistulis identidem recurrunt? Nec multum tribuimus iis quae leguntur Rom. 16, 22; 1 Corinth. 16, 21 cet.; cum negemus omnia ab Epistularum initio usque ad calcem unius eiusdemque scriptoris esse. Ut obtineatur quod interpretes ostendere voluerunt, tria demonstranda sunt: 1⁰ Paulum Epistulas dictavisse, 2⁰ eum negligenter dictavisse, 3⁰ non eum duxisse operae pretium relegere et corrigere, si quid nimis negligenter dictavisset.

Sequitur alia explicatio: „die Exegese hat mit der Möchlichkeit zu rechnen, dass nachträgliche Zusätze .... in den Text aufgenommen werden müssten." Hoc quidem ad rem

pertinet, sicubi quaeritur sintne Epistulae *genuinae* necne; nos autem investigavimus sitne illarum Epistularum argumentum simplex duntaxat et unum. Additamenta illa parum curamus, nam quantumvis multa deleveris, non tamen obtinebis ut reliqua cohaereant et uno tenore decurrant.

Jam venimus ad singulas epistulas ac primum ad *Epistulas ad Thessalonicenses.*

I. Ad quosnam scripta est prima ad Thessalonicenses epistula? Respondet Holstenius: ad Ecclesiam quae constabat Judaeis et Gentilibus; contra asseverat Hilgenfeldus fuisse eam „eine wesentlich Heiden-christliche." Hoc igitur parum constat.

II. Unde repente 1 Thess. 4, 13: „die Belehrungen über die Parusie?" Holtzmannus insistit vestigiis Pauli Schmidt et respondet: „Besprechung der aus dem früheren heidnischen Leben der Gemeindeglieder herrührenden sittlichen Schäden (4, 1—12) leitet über zu den *Belehrungen* über die Parusie." Hoc quidem falsum est: vide modo ἵνα μὴ λυπῆσθε et παρακαλεῖτε ἀλλήλους (vss. 13 et 18). Qui scripsit vss. 13 sqq. non vult „belehren", vult consolari idque minime exspectabamus post duodecim priores versus hujus quarti capitis.

III. Quam causam scriptor habuit cur scriberet alteram Epistulam? Respondet Holtzmannus: „zur Belehrung über den Tag des Herrn, der noch nicht da sein kann." Hoc scilicet nititur conjunctione ὡς ὅτι (2, 2) = *tanquam.* Rectius tamen vertes *quoniam* itaque causa quam scriptor habuit, incerta est indeque consilium in obscuro est (cf. supra p. 22).

IV. Pergit Holtzmannus: „Der Brief ist geschrieben um die apokalyptische Eschatologie in die paulinische Gedankenwelt zu übertragen." Quasi Holtzmannus eam *Gedankenwelt* probe nosset. Πόθεν ἐπίσταται; Οὐ γάρ;

Epistula ad Galatas.

I. Quod ad hanc epistulam attinet, quae est de ratione inter Christianos et Judaeos, nondum satis constat, „ob das jüdische Element auch in der Christengemeinde (Galatarum) vertreten war" (pag. 234).

II. Litigant interpretes metuatne scriptor periculum, quod nuper demum allatum fuisset. Etenim ambigunt jamne acceperit Paulus nuncium de fraudibus Christianorum ex Judaeis „bei seiner Anwesenheit" (apud Galatas) „oder erst bald nach seiner Abreise." Ni credas omnium interpretum obtusam aciem esse, statuere licebit non esse Epistulam in qua et hoc et illud legatur, sed imperitam compilationem.

III. Scribit Holtzmannus acer τῆς γνησιότητος patronus, de hac epistula, qua post reformatam Ecclesiam nulla alia diligentius pertractata fuit: „Unklar bleibt dabei freilich noch Manches, so ganz besonders die gegenseitigen Anschuldigungen" (5, 11; 6, 13). „Fügt man zu diesen controversen Punkten noch die zahlreichen Probleme der Exegese, — Stellen wie 1, 10; 2, 4; 14—18; 3, 20 werden niemals eine Auslegung finden, bei der es sein Bewenden haben muss, — so dürfte Gal., scheinbar eines der durchsichtigsten Stücke des N. T" (sicuti propter argumentum etiam necesse fuit) „zu den schwierigern Räthseln derselben zählen." Etiam post Prinsium! Utinam requiescens ab omni „polemica" et „apologetica" doctus vir Epistulam ad Galatas aliquando interpretari vellet, sive Latino sermone, sive vernaculo! Modo ne paraphrastice, quemadmodum hodie solent, sed quod fidi interpretis est, verbum verbo.

IV. Agitur in Epistula de eadem quaestione, quae tractata fuit in Actorum cap. 15 necdum *ex ipsa Epistula* effici potuit fueritne conscripta ante illam Synodum an post.

Epistulae ad Corinthios.

I. Semper frustra quaeritur potuerintne τῶν τοῦ χριστοῦ nomine intelligi qui vero Evangelio adversarentur (p. 241).

II. Secundum 1 Corinth. 4, 17; 16, 10 sq. debebit Timotheus Corinthum proficisci et deinde redire ad Paulum, quocum revera est 2 Corinth. 1, 1; 19; sed ex 2 Corinth. interpretibus nondum apparuit fueritne umquam Timotheus Corinthi.

III. Periitne etiam alia Epistula praeter eam, de qua sermo fit 1 Corinth. 5, 9? Tenemusne fortasse eam epistulam 2 Corinth. 10—13? Numquid forte Ecclesia rescripsit

post acceptam 1 Corinth.? Suntne versus 2 Corinth. 2, 1; 12, 14; 21; 13, 1 sq. (cf. 1 Corinth. 16, 7) eiusmodi ut necessario credere debeamus Paulum praeter iter quod describitur Act. Ap. 18, 11, etiam alia occasione Corinthum adiisse? Pertinentne 2 Corinth. 10—13 ad id quod scriptor sibi ab initio proposuerat? Dissentiunt interpretes; quamquam, dummodo interpretes ipsos excipias, nemo intelligat quomodo in Epistulis, quae quidem vere Epistulae sint, post sexcentos commentariorum libros talia incerta esse possint.

Epistula ad Romanos.

Ecce vetustissimum documentum, quo docebimur ipsas origines Evangelii: epistula est ad nobilem ecclesiam, conscripta anno 59 et quidem ab ipso magno Apostolo Gentilium. Jam omnium primum quaerimus ad quosnam Paulus scripserit.

Hic difficile est satiram non scribere. Plane invidemus Holtzmanno τῷ χαλκεντέρῳ, qui mille interpretum voluminibus perlectis, tamen alacri animo sese accingit ad opus.

„Die berühmte Debatte", (sic enim ille, sed parum abest quin ridiculam disceptationem nos quidem appellemus) „über den juden- oder den heidenchristlichen Character der Mehrheit der römischen Gemeinde hat mehrere Stadien durchlaufen. Das altherkömmliche Urtheil lautete auf *Heidenchristenthum*"

Eo perventum fuerat anno 1824 post partum Virginis. Jamne ad metam?

Noli festinare! Secundum Koppium Ecclesia est *Judenchristlich.* Assentiuntur gravissimi doctores. „Diese Annahme (scheint) in Folge der Arbeit von W. Mangold längere Zeit über das Feld siegreich zu behaupten."

Eo perventum fuit anno 1876. Jamne ad metam?

Noli festinare! „Ein Rückschlag erfolgt durch Weiszäckers Eintreten zu Gunsten der *ältern* Beurtheilung." Etiam hunc multi sequuntur, inter quos Kneuckerius fuit anno 1881. Jamne metam videmus?

Ἥσυχος ἥσυχος ἠρέμα κάνθων· μή μοι σοβαρῶς χώρει λίαν.

Procedit Beyschlagius qui commendat „eine Vermittlung" et distinguit „zwischen nationalem Character und religiöser Richtung." Fuerint primi epistulae lectores: „judaïstisch denkende Proselyten, nicht umsonst durch die Schule der Judenthums durchgegangene Heiden."

Huius „Vermittlung" patronos inter et adversarios exoritur Schurerius ut „vermittle". Est plane, uti vides, Pelion Ossae.

Denique Holtzmannus propriam sententiam tuetur. „Die ganze Controverse ist vielleicht in sofern unlösbar, als man es dem (Briefe) anmerkt, dass Paulus keine eigene Anschauung von der Gemeinde hat, an die er schreibt.".

Ain tu? Fortasse lectores jamdudum norant id quod Paulus demonstrare volebat; fortasse ita instituti erant, ut neque methodum Pauli intelligerent, neque unde ejus disputatio procederet! Οὐ φροντίς Ἱπποκλείδῃ. Romae in maxima urbe et capite orbis erant tamen quibus talis scriptio poterat prodesse. Scribendum est, o Apostolorum maxime, scribendum est et fortuna juvabit. Suppetit otium.

Tandem pervenimus quo tendebamus. Anno 1886 post partum Virginis tuto affirmare possumus, scriptam fuisse Epistulam ad Christianos ex Gentilibus, imo: ex Judaeis; imo, ex Gentilibus, h. e. ad proselytos Judaice tinctos, vel potius ad mundanos, non magis Gentiles quam Judaeos; fortasse etiam ad homines plane diversos, quos Paulus parum novit.

„An der Frage nach dem Leserkreis unseres Briefes," pergit Holtzmannus, „hängt die Frage nach seinem Zweck." Itaque exspectamus consilium incertum fore. Ita est: secundum interpretes αἰὲν ἀτειρεῖς voluit Paulus in Epistula ad Romanos

impugnare 1° legis aeternam auctoritatem, 2° Manichaeismum, 3° legis neglectum, 4° dissentientium in Ecclesia hominum livorem, 5° contagium quod metuebat ab Judaeis; vel etiam

exponere 1° ipsa fundamenta Christianae religionis, 2° suam sibi propriam docendi methodum, 3° Evangelii natu-

ram, 4° naturam dogmatices Paulinae; nihil enim attinet anxie quaerere quomodo tam absurdae opiniones Latine dici possint, cet. cet. Vide ridiculam tabulam p. 251.

„Möglichst allgemein geben aber den Zweck des Briefes fast alle neuere Theologen," uti scribit Holtzmannus. Tuto sane.

Postquam Holtzmannus candide et vultu irretorto infelicia interpretum tentamina percensuit, apparet tamen eum bono animo esse. Contendit enim omnes illas „eindringende Untersuchungen" stravisse viam ad „feststehende Ergebnisse," quae sequuntur:

I. „Der Brief erklärt sich aus der äusseren Situation seines Verfassers, welche dazu angethan war, seine Aufmerksamkeit auf die römische Gemeinde zu lenken" ....

Verum partim hoc ipsum per se apparet; partim ad rem nihil pertinet; partim redit ipsa quaestio novis verbis involuta et obscurata.

Etiam injurato testi credimus neminem scribere Epistulam, qualis Epistula ad Romanos est, nisi res ita tulerint, ut Romae et Romanis attenderet.

Res illas externas esse, hoc enim est, uti arbitramur, „die äussere Situation," plane nihil refert.

Verum, si quidem refert, semper manet quaestio quae fuit. Quae res Paulum impellere potuerunt, ut scriberet, quemadmodum scripsit, ad Ecclesiam, quam numquam vidisset? Nonne necessario incertum erat, essetne assecutus id quod sibi proposuisset? Respondet Holtzmannus: „die Römer," (p. est 255) „sollen, so lange sie ihn persönlich nicht in ihrer Mitte haben, wenigstens wissen, wie nahe sie seinem Herze stehen und dass er keineswegs Scheu hegt, sein Evangelium auch ihnen zu verkündigen (1, 16); sie sollen auch wissen, von welcher Art dieses Evangelium ist und was sie von ihm zu erwarten haben."

Itaque ut probabile fiat scripsisse Paulum, *fingit* Holtzmannus Epistulam ad Romanos scriptoris rebus accommodatam, sed delineatio quantumvis imperfecta discrepat ab ea Epistula ad Romanos, quam tenemus. Voluerit Aposto-

lus ostendere quibus rebus animus commoveatur vel qualis doctrina sit quam profitetur: itaque quorsum acerbissima invectiva in Gentiles (1, 11—32)? Quorsum caput quintum, quod nemo intelligit? Quorsum mille alia? Nec negligimus secundum nonnullos postea assuta fuisse quae leguntur post caput undecimum. Ante reliqua omnia, quam infeliciter 1, 16! Οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον, scilicet quo nihil novit praestantius! Quis ita scribat ad ignotos, quos nesciat utrum benevolo animo lecturi sint necne?

II. „Sollte das Christenthum sich nicht im inneren Kampf zerreiben, so musste die eingetretene Spannung beseitigt und der Hass des Judenchristenthums beschworen werden. Eben darum geht er nicht direkt nach Rom, sondern lässt sich vorläufig durch den Brief vertreten.....

„Dem bedeutsamen Wendepunkt der apostolischen Laufbahn, auf welchem es Entstehung gefunden, entspricht ganz der milde und ausgleichende Character des Sendschreibens."

Conjectura ea est et praeterea falsa conjectura, quae si vera foret, non nimis magnifice judicaremus de Apostoli ingenio et acumine.

Primum nusquam apparet Paulum cavere voluisse ne exitiosae lites ex Oriente in Occidentem transmigrarent.

Deinde non scribit Paulus ad animos placandos et sedandas iras, vide modo 3, 29, nec magis eo pertinet Rom. 9, 27 quam Galat. 4, 28.

Nec detractat certamen de summis rebus generosa indoles. „Der alte Streit," Holtzmannus ait, „welcher den Orient aufgewühlt hatte, sollte, wo immer möglich, dem Abendlande fern gehalten werden." Cur? Si in Occidente homines carere potuissent doctrina quae legitur Galat. 5, 2, non magis in Oriente Paulus eam conditionem debuerat efflagitare. Praeterea, Holtzmanni conjecturam si sequimur, desideramus in Paulo acumen. Exspectavitne serio, animos placatum iri lectis Rom. 9, 30—33? Concedimus in Epistula ad Romanos multa contraria et repugnantia inveniri: idonea causa est cur compilationem esse putes; nihil est

cur hoc pertinere credas ad animos placandos. Si quis flagrante bello utrosque adversarios impugnat, incurrit in odium utrorumque et spe excidit.

III. Hinc tamen Paulus exspectavisse credetur fore ut „die Gemeinde werde bei seiner Ankunft in Rom bereitwillig auf seine Pläne eingehen" (pag. 256).

Quodnam nobis narratur Pauli consilium? Ni forte credas Ecclesiam Romanam doctorum interpretum auxilium invocavisse, alioqui necesse est statim intellexerit, perplexum orationis genus explicari non posse; nam, si quidem epistula genuina est, hic Paulus de eadem re modo ναί, modo οὔ. Et videantur contradictiones, de quibus in nostris Verisimilibus diximus, 3, 29 et 15, 8 sqq.; 10, 8 et 10, 14 sqq.; 1, 21—23 et 2, 1 sqq., alibi.

Quod apparet, non nos sumus, qui vulgarem interpretandi methodum ludibrio habemus. Ille est Holtzmannus, cuius doctrinam tanto opere admiramur, ut hoc solo fundamento freti statuamus: de reo desperandum est, quem talis patronus ne ipse quidem servari posse videt, nisi mendaciunculis et subterfugiendo. Si Pergama dextra. Quod Holtzmannus omnibus commentariis perlectis enodare non potuit, id ne potest quidem enodari, nisi tritam viam dereliqueris [1]).

Sed Manenius quoque audiendus est.

Renanum secutus narrat nobis Paulum ad Romanos scripsisse Epistulae undecim capita priora, deinde apographa missa fuisse ad varias Ecclesias cum variis additamentis, quae additamenta sive integra supersunt, sive partim continentur Capp. 12—16.

Hoc si probabis, simul peribit in epistula cohaerentia; sed magis ad rem pertinet observatio, nunc repente deseri quod in nova methodo prae ceteris commendari solet, nempe historicam rerum considerationem. Scilicet promissa

1) Holtzmannus haud raro nimis benigne judicat; veluti severius pronunciandum est de Pauli Schmidtii Commentario ad Primam Epistulam ad Thessalonicenses. Comperimus Schmidtium difficultates numquam coram intueri et clausis oculis monstra praetervehi. Lectores ἀναλφάβητοι paraphrasi inducuntur in errorem.

fuerat Epistularum explicatio ratione habita ejus qui scripsit, et eorum ad quos scriptae sunt, quum pectora *certarum* rerum indigerent! Nunc autem epistula ad Romanos scripta videbitur ad plures Ecclesias simul, unde consequitur nihil respici praeter ea, quorum indigerent omnes.

Stemlerus mavult cogitare de certis hominibus, scilicet de Christianis ex Gentilibus; itidem Guilielmus Th. van Griethuyzen Romanos agnoscit. In hac epistula, inquit, numquam fit sermo de cruce: quam sapienter! „Nolebat Paulus Romae in capite gentis offendere Christianorum aures idque praesertim sine causa!" Videlicet crucem minime amabant, quod Romae in catacumbis Griethuyzenio compertum fuit.

Juxta eam interpretationem collocamus opinionem eorum, quibus Epistula scripta est ut demonstrarentur fundamenta Christianae religionis. Verum quidem est deesse ex fundamentis illis unum, nempe crucis: sed Paulus hoc dedit delicatis auribus Romanorum.

Quod ex ipsa re apparet, Epistulae argumentum non unum et simplex erit, si postrema pars aliquanto post addita videbitur. Contendit Straatmannus, cuius felicem audaciam nemo in his terris ausus est imitari, excepto capite 15 insiticia esse omnia inde ab capite 12. Capite 12—14 produnt quidem Pauli manum, sed conjungenda sunt cum capite 16 eaque particula est Epistulae cuiusdam Pauli ad Ephesios. Totius Epistulae clausula latet in capite 15, nam quod legitur 15, 8 conjungendum est cum 11, 36, licet aliena quaedam admixta sint. Contra Roversius pugnax et acer et semper vigilans ne quid detrimenti capiat ἡ τῶν ἑτεροδόξων ὀρθοδοξία, imprimis vetuit ne capita 12—14 ab contextu secerneremus.

Ingenue miramur. Ut scias utrum caput 12 cum superioribus conjungendum sit necne, primum omnium opus est ut illud caput intelligas. Judicent Straatmannus et Roversius, alter libere, alter veteres presse secutus; sed uterque oberrat chorda eadem, quum simulant se loqui de capite 12 tanquam de re omnibus notissima. Vertant modo

fideliter simulque ita ut ne veniant apud populum in suspicionem se scurrilem in modum voluisse jocari.

Nimirum Straatmannus, eaque causa fuit cur docti viri vestigia premere neutiquam possemus, hoc habet πρῶτον καὶ ὕστατον ψεῦδος, quod serio credit se manu tenere certam quandam normam. Repraesentat sibi Paulum quendam genuinum, cui oppositus est alius quem spurium habet. Nos autem, undecim capitibus perlectis, ne possumus quidem serio rogare cohaereatne caput 12 cum superioribus, quum argumentum neutiquam intelligamus. Cohaerebitne corpus cum corpore, ubi in utroque quidquid tetigeris ulcus sit? Ubi omnia luxata sunt, frustra quaeres quae cohaereant vel minus fortasse cohaereant.

Praeterea hoc habent interpretes, ut maximas difficultates praetervideant, quum in minutiis perpurgandis toti sint. Cum U. W. Thoden-Velzeno mutant ἀγαθοῦ Rom. 5, 7 in ἀγαπητοῦ, ut agi videatur de Christi amore, quum vs. 5 postulat ut ostendatur quantus Dei amor sit. Cum Hoekstra vertunt 5, 12[b]: *cui accedit quod omnes peccaverunt*, et festuca eliminata non attendunt ad trabem, conjunctionem dicimus ὥσπερ (vs. 12[a]), cui in sequentibus nihil respondet. Cum H. N. Teutemio triumphant et clamant imaginem, 7, 1—4, apte adhibitam esse neque offendiculo est illud: ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ, quod de ipsa lege dictum oportuerat. Litigent, per nos licet, Holwerda et Hengelius sitne 9, 5: ὁ ὤν — ἀμήν doxologia nec ne: quid attinet muscas captare vulturibus undecumque circumstrepentibus? Quid enim? Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Redimus ad Straatmannum. In disputatione de 1 Corinth. 11, 1—15 et 15 hoc agebat ut ostenderet spurios esse 1 Corinth. 15, 1—11, sed sumserat sibi primum demonstrandum, etiam alibi in ea Epistula textum interpolatum et retractatum esse. 1 Corinth. 11, 10 „verbreekt het redebeleid.” Di vostram fidem! quodnam „redebeleid” cernitur 1 Corinth. 11, 1—15? „De woorden ἐν κυρίῳ 11, 11 schijnen van ascetischen oorsprong”: nonne etiam 7, 1? Meliusne intelligimus fuisse qui caput 11 — non compilaret sed —

conscriberet, postquam Straatmannus docuit vs. 16 interpolatum esse, vs. 18 spurium esse ἐν ἐκκλησίᾳ et vs. 19 ironice accipiendum esse? Secundum quam normam 12, 2 vel 13 interpolatus videbitur esse? Num amplexi conjecturam ἵνα καὶ αὐτὸ θύσωμαι facilius superabimus difficultates capitis 13? Secundum Straatmannum 1 Corinth. 14 interpolator mitigare voluit quod Paulus de glossolalia nimis inclementer dixerat: nonne vidit tum hic tum alibi variis de rebus contrarias opiniones proferri? Dele verbi causa 15, 12 sq. simulque deleveris quod illi Epistulae imprimis peculiare est. „Vss. 33b—35 zijn stellig onecht." Ita Straatmannus. Unde hoc ei revelatum fuit? Suntne igitur genuini vss. 29 sqq. et quo sensu genuini appellandi sunt?

Veluti Straatmanno τίνι λόγῳ (15, 2) spurium est tanquam „in strijd met Paulus bedoeling". Novitne igitur illam „bedoeling"? Πόθεν γάρ; „Ἐν πρώτοις past niet in Paulus mond." — „De uitdrukking ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν is niet Paulinisch." — „Paulus dacht niet aan eene herleving van Jezus' lichaam." — „De Apostel kon zichzelf niet ἔκτρωμα noemen."

Semper, uti vides, ἴα γῆρυς. Semper idem est vitium quod omnia permanat. Credit se tenere Lydium lapidem ad quem aurum exigat. Damnanda et abjicienda est ista interpretandi ratio. Dedecet cordatum virum tanquam ex cathedra decernere quid Paulinum, quid non sit, quasi haberemus oculatorum testium indubias μαρτυρίας. Quodsi quis aegre fert quod Straatmannum noluimus sequi, hanc primam causam nactus est ut quaerat quae tandem methodus nobis placuerit. Laudetur ab his; culpetur ab illis: est certe penitus diversa. Straatmanni multum interest 1 Corinth. 15, 19 conjungere ἐν χριστῷ cum ἐν ζωῇ ταύτῃ, ut Paulus videatur „niet te denken aan het aardsche in tegenstelling met het hemelsche, maar aan het kristelijk leven." Nobis quidem id plane ἀδιάφορον est: quid nostra refert quomodo ignotus vir aliquando de abstrusis rebus philosophatus sit? Denique Straatmanni methodus vinculis

constricta incedit. „Purgare" vult, „servare" vult: hoc agit ut *verus* Paulus in clara luce collocetur.

Straatmanni vitium vitium est omnium. Ὑπόθεσις fuit in Novo Testamento aliquod primitivum reperiri posse, etiamsi id hodie cum additamentis multo serioribus commixtum esset. Error hic est. Valet de novo Testamento quod valet de ruderibus in Graecia et Asia Minore. Fode ac perfode: numquam invenies architecturae initia; quod inveneris vetustissimum, semper spem facit artis etiam vetustioris.

Σκληρός ἐστιν ὁ λόγος οὗτος: dulcissimus error est rerum initia erui aliquando posse. Interpretatio jam non amplius ancillatur theologiae. Optime: modo ne nova servitus succedat. Pergunt interpretes quaerere „vetustissimum Evangelium" et Christianam religionem „veram, puram, primitivam." Effodienda haec scilicet sunt, ut laeto animo opponere possimus depravatae Ecclesiae recentiorum temporum, orthodoxiae non minus Catholicorum quam Protestantium [1]).

Evangelii prima initia in Novo Testamento exponuntur: haec nobis Carthago delenda est, sicuti patrum memoria theologi quotquot libere judicabant, delendam Carthaginem habuerunt τὴν θεοπνευστίαν. Commonstrat sacer codex quomodo Christiana religio *postea* sese explicarit et expansis alis alte evolarit, quum ipsa origo repetenda sit ab temporibus multo vetustioribus quam hujus aerae initium est. Quod plerique credunt esse in Novo Testamento aliquod

---

1) Est sane vehementer laudandus Völteri liber: *Die Entstehung der Apokalypse*, in quo docte quaeritur quomodo ratio possit reddi omnium eorum quae in sacro textu observantur, sed evitare non potuit errorem, qui derivatur ex hypothesi, quae tamen plane ἀναπόδεικτος est, de Ecclesiae initiis. Ita enim sibi persuasit presbyteros fuisse antequam episcopus constitutus esset fuisseque in Ecclesia multorum regimen antequam potestas deveniret ad unum. Consequitur ut, si forte Apoc. 2 et 3 ἄγγελος memoratur, qui solus in Ecclesia regnat, statim et sine mora affirmet, cum ἄγγελος idem sit qui episcopus, illa capita referenda esse ad alteram in Ecclesiae historia periodum. Nos, dum rem repetebamus ab hristi imagine, invenimus Ecclesias in Asia Minore quibus ἄγγελος praeesset, sed plane ignoramus fueritne hic Episcopus necne.

primitivum, opinio est ab renatis literis et Lutheri motu quasi per manus tradita et ad nostra usque tempora propagata. Commune vitium est, quod omnia quae vetusta sunt eodem loco habeant quo ipsa rerum initia. Est error cui venia danda est, sed error est. Etiam hodie ab omnibus frequenter sic erratur. Quaesivit Schliemannus Agamemnonem Mycenis, sicuti Scholtenus Christum in Evangeliis. Quae philosophia hoc nomine vere digna est, quaerit tantum. Ne ipsam urbem Trojam invenerit: at aliud quid inveniet; ne appareat Paulus Apostolus: at prodibit Paulus Episcopus. Archaeologiam ducem habemus: est Christiana antiquitas multo vetustior „than is dreamt of in your theology." Quod Aegyptiorum sacerdotes Herodoto dixerunt: Admodum recens, o Graeci, vestra historia est: eadem voce nunc utendum nobis est ad Sacros scriptores. Non credimus compositos esse libros Novi Testamenti post tempora, quibus hodie a peritis judicibus assignantur; sed haec ipsa causa est cur hesternum diem vix superent. Sit conscripta Epistula ad Romanos circa annum 60 post Christum; non tamen erit vetustus fons ad Christianae religionis historiam cognoscendam. In Novo Testamento non sunt res novitate conspicuae quae traduntur, sed longo usu detritae et vetustatis situ obductae. Ea est ratio inter Novum Testamentum et reliquas Ecclesiasticas literas, quae est inter Sanscriticam linguam et reliquas linguas ab Indo usque in ultimum Occidentem dissipatas. Matrem ignoramus, sed soror maxima superstes est.

Hoc docuit nos studium minime subitarium. Non exspectamus populi plausum et in singulis fortasse refutari poterimus; sed quod rei caput est, sic nobis persuasimus, non transibit cum ceteris. Caput autem hoc est: ignoramus Christianae religionis prima initia; sero demum tulit praestantissimum fructum, ipsum Christum dicimus; una pluresve formae quas postea induit, e Novo Testamento cognoscuntur; etenim ibi videmus, antequam Nicaeam itum sit, quomodo Ecclesia Catholica nata sit, effloruerit, altius sese extulerit. Modo hoc teneas, licet affirmare Sa-

cram Scripturam et Catholicam Ecclesiam una crevisse usque ad concilium Nicaeae habitum.

Qui hoc optime perspexit, is demum superavit mancum de S. Scriptura judicium et imperfectam Historiam Ecclesiasticam eorum qui Ecclesiam emendarunt, sed minime reddiderunt pristinam conditionem.

DATE DUE

AUG 24 1983			
[redacted]			
GAYLORD			PRINTED IN U.S.A.

BS2355 .P62
Verisimilia : Laceram conditionem Novi
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00060 6956